





JURIS ECCLESIASTICI ANALYSIS.

PARS POSTERIOR.

JUS ECCLESIASTICUM PRIVATUM.

VRATISLAVIAE,

TYPIS UNIVERSITATIS 1796.

ORDO MATERIARUM.

CAPUT I.

JUS PRIVATUM CIRCA PERSONAS ET BENEFICIA ECCLESIASTICA.

CA-

CAPUT II.

JUS PRIVATUM CIRCA RES SACRAS, ET ECCLESIASTICAS.

CAPUT III.

JUS PRIVATUM CIRCA JUDICIA ECCLESIASTICA.

CAPUT IV.

JUS ECCLESIASTICUM CRIMINALE.



JURIS ECCLESIASTICI
PARS II.
JUS ECCLESIASTICUM PRIVATUM.

CAPUT I.
JUS PRIVATUM CIRCA PERSONAS ET BENEFICIA ECCLESIASTICA.

---

§. I.
REQUISITA ET IMPEDIMENTA STATUS ET ORDINIS CLERICALIS.

I. Status Clericalis complexus eſt jurium & obligationum Clericis propriorum, qui ad ſacrum miniſterium & munia eccleſiaſtica deputati, Laïcorum in vita ſpirituali Duces, Magiſtri, & exemplar conſtituti ſunt. y) Ex hac notione deduces:

a) insignem certe virtutis, scientiæ ac prudentiæ gradum illis, qui tanto muneri obeundo se consecrant, esse necessarium; z)

b) necessarias quoque esse regulas quaspiam, ad quas tum ad Clericatum Adspirantes, tum in eo Viventes dotes moresque suos exigant; *a*)

c) sapienter proin Ecclesiam egisse, quod omni ætate ejusmodi regulas constituerit; *b*)

d) atque *irregulares*, seu a *regulis* canonicis *alienos* a Clericorum ordine, aut functionibus excluserit. *c*)

y) Pauca de Personarum Ecclesiam constituentium classibus præmittenda sunt. Nempe omnia Ecclesiæ Membra in duas potissimum classes abeunt, in membra *vulgaria*, & *non vulgaria*; illa simplices complectitur *laicos*, ista *Clericos*. Hoc Juris ecclesiastici capite de Clericis maxime sermo est: qui denuo dividuntur 1) ratione *modi*, quo ad functiones ecclesiasticas destinantur in *tonsuratos* & *ordinatos*; 2) ratione *functionum*, ad quas obeundas ordinantur in *minorum* & *majorum ordinum* Clericos; ad illos pertinent *Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, Acolythi*: ad hos vero primo Clerici *in Sacerdotio*, uti *Presbyteri* & *Episcopi*, postea *in Ministerio* constituti, quales sunt *Diaconi* & *Subdiaconi*; 3) ratione *qualitatum* Clericatui superadditarum in *Regulares* & *Seculares*. Quid singulis hisce Clericorum speciebus proprium sit vid: apud Daniel: Nettelbladt in *observat: Juris eccles.* Halæ Salicæ 1783. editis, *observat I.* Quod Clericorum minorum ordinum originem & primæva officia adtinet, leg: Fleury *Inst. J. E. P. I. cap. 6. 8.* De Clericis majoribus conf. *præcognit: cap I. §. II.*

II n. V. VI. De omnibus vero valet id, quod Paulus ad Tit, II. 7. scripserat: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. — Non solum enim Episcopi Presbyteri, & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone, & scientia præcedant; verum etiam & inferior gradus Exorcistæ, Lectoris, Aeditui, Acolyti, & omnes omnino, qui domui Dei serviunt: quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores Laicos esse quam Clericos.* S. Hieronymus apud Gratian: *Caus. VIII. c. 21. q. 1.*

z) Qua ratione enim nomen *Ducis, Magistri* cum dignitate, ac veritate gerent, siquidem virtute, scientia, ac prudentia Laicis inferiores fuerint? Imo *Clericorum Status*, ut rectissime admonet Concil. *Massens*: an. 1626. *Tit. de Cler. moribus & vita: quemadmodum laicorum ordini dignitate præponitur, sic morum honestate, & vitæ spectabilitate, ut sidera in terreno Ecclesiæ cælo debet præfulgere.* Conf. Concil. *Trident. Sess XIV. cap. 1. de reform. Sess. XXII. cap. 1. de reform:*

a) Pone enim ejusmodi regulas abesse: tum ignorabunt facile Clerici aut ad Clericatum adspirantes, quibus dotibus exornare se debeant; aut noscentes quam optime officium suum, desides invenientur in eo adimplendo, quia deerit motivum, quo voluntas eorum ad comparandas sibi necessarias virtutes impellatur.

b) Longum foret enarrare omnes leges hunc in finem ab Ecclesiæ Rectoribus sive in Conciliis, sive extra eadem latas. Id vero præceptum prætereundum non est, quod Paulus adspirantibus ad Clericatum *Hebr. V. 4.* dederat: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Vi hujus in id præprimis cui-

vis ad Statum clericalem adspiranti incumbendum est, ut, an ad eundem a Deo vocetur, cognoscat. Indicia igitur vocationis divinæ, rogato etiam Virorum doctrina, peritia ac prudentia probatorum consilio probe examinanda sunt. Quæ vero ista? plura recenset Zech. *cit. loc.* §. 30. duo mihi videntur ceteris præferenda: 1) dotes ad implenda Status clericalis officia necessariæ a Deo collatæ; 2) animi ad hunc statum propensio constans ac pura, quam nec spes nec metus, sed religionis ac salutis aliorum promovendæ amor peperit & alit.

c) Ita est sane: irregularis enim, seu cujus dotes cum dotibus per regulas ecclesiasticas præscriptis non conveniunt ineptus est ad munia Status clericalis in Ecclesiæ bonum implenda: at sapientis est inepta ad finem consequendum media repudiare & eligere idonea; ergo sapienter Ecclesia irregulares ab ordine clericali, aut si jam in eo constituti sunt, a functionibus ordinis excludit. Inde vero sequentia jam profluunt corrolaria: 1) quisquis ad ordinem clericalem adspirat, videat, num ab irregularitate immunis sit; 2) ut id eo facilius cognoscat, prius sibi genuinam irregularitatis, specierum, effectuum &c. ejusdem notionem efformet, necesse est.

II. Irregularitas igitur impedimentum est canonicum, quo quis directe ad *suscipiendos* ordines, vel susceptorum *exercitium* ineptus redditur. *d*) In genere de ea notandum est

a) quod pro diversitate *caussæ*, *effectus*, *durationis* varia sit; *e*)

b) ac ob *casus* tantum in jure *expressos* incurratur. *f*)

d) Recta

d) Recte hac ratione irregularitatem definiri, ita ostenditur: Irregularitas, si vim nominis spectes, disconvenientiam qualitatum personæ cum dotibus illis denotat, quas regulæ ecclesiasticæ a Clericis exposcunt (*not. præced.*) atqui disconvenientia hæc impedit directe a susceptione ordinum, aut susceptorum exercitio; reddit enim hominem ineptum ad munia status clericalis (*præced. n. I.*) obeunda (*præced. not.*) ac efficit, ut Ecclesia eundem ob ordine vel functionibus ejus excludat *præced. n. I lit. d. not. c.*) ergo reapse impedimentum canonicum dici meretur, quo quis directe ad *suscipiendos* ordines, vel susceptorum *exercitium* ineptus redditur.

e) Nempe irregularitatem producunt vel *delicta* quæ Ecclesia specialiter a Clericis longe abesse voluit, vel *defectus* qualitatum, quas in iisdem necessario adesse debere decrevit; est ergo ratione *caussæ* irregularitas alia *ex delicto* seu peccato in jure *expresso*, *gravi* & *externo* opere completo, habetque rationem pœnæ negativæ: alia *ex defectu*, quæ merum impedimentum est, quod etiam citra peccatum contrahitur. Porro spectato *effectu* jam omnium — jam quorundam ordinum susceptionem vel usum impedit: illa dicitur *totalis*, hæc *partialis*. Denique una de se perpetuo, altera ad tempus solum ab ordinibus suscipiendis arcet; si igitur *durationem* spectes, est irregularitas aut *perpetua*, aut *temporalis*.

f) Vid. *cap. 18. de sentent: excommunicat: in 6.* Non obstat *cap. 12. de homicid:* ubi dicitur *in dubio præsumi debere contractam esse irregularitatem.* Enim vero non hic sermo est de dubio circa irregularitatem in hoc illove casu jure statutam, sed de dubio circa factum, num id ad illum casum pertineat; atque tum delicti reus tutiorem semitam eligere & pro irregulari se gerere jubetur. Adde *c. 5. de cleric. excom. ministr.*

Omnis igitur irregularitas *juris* est, & *nulla facti*; haudquaquam tamen per hoc iis, qui regimine præditi sunt, ademta est potestas, irregularitatem in plura posthac expresso jure statuendi.

III. Irregularitatem ex delicto primis Ecclesiæ seculis gravioribus omnibus post baptismum admissis criminibus, etiam occultis, adnexam, nunc ad certa solum, & manifesta crimina restrictam g) hodie contrahunt

1) propter abusum Baptismi,

a) qui *scienter* & *absolute* alium rebaptizant;
b) qui se ita rebaptizari patiuntur;
c) aut in tali baptismo *ministrant*; h)
d) qui ab hæreticis *sine necessitate* baptismum recipiunt; i)
e) vel illum ad infirmitatis periculum differunt, quos *Clinicos* vocant. k)

g) At cur hodie ad *casus* tantum jure *expressos* restricta est irregularitas? Ideo, ni fallor, quod, cum collapsa Ecclesiæ disciplina jura scriberentur ecclesiastica, Legislatores antiquum rigorem restaurare haud potuerint, nisi aut carere Clericis, aut frequentissimis dispensationibus auctoritatem legum ecclesiasticarum labefactare voluissent; maluerunt igitur in odiosis benigniora sequi, atque irregularitates ad certos solummodo casus restringere. Conf *C. 9. Dist. L c. 9. Concil. Nicæn*: item Pehem *cit. loc. P. II. §. 35. seq.*

h) *C. 65. Dist. L. C. 117. Dist. IV. de Consecrat. C. 2. de apost. & reiterat. Baptism.* Conf. *Can. Apostolic. 46.*

i) C.

i) C. 18. Caus. I. q. 1. Can. Apostolic. 45.

k) C. un. Dist. LVII.

2) propter abusum ordinationis,

a) *furtive* ordinati; l)
b) qui *per saltum*, seu omisso inferiore ad altiorem ordinem promoventur;
c) qui duos ordines *majores* una die recipiunt; m)
d) qui ab Episcopo *deposito*, *schismatico*, *censuris adfecto*, vel ab eo, qui dignitati suæ *renuntiavit*, ordinari se sinunt;
e) qui *excommunicatione majore* irretiti ordinantur; n)

l) C. 1. de eo, qui furtive.

m) Tit. de Cleric. per salt. promot. c. 13. de temp. ordinat.

n) C. 4. Causs. IX. q. 2.

3) propter abusum Ordinis.

a) qui in ordine sacro, quem nondum recepere, *solenniter* ministrant; o)
b) excommunicati, suspensi, aut interdicti *ante absolutionem* ministrantes, aut celebrantes;
c) celebrantes *in loco interdicto*. p)

o) C. 1. & 2. de Cleric. non ordinat. ministr.

p) C. 7. Causs. XI. q. 3. c. 1. de sent. & re judic. in 6.

4) propter hæresim,

a) *hæretici*, *apostatae a fide*, *schismatici*, eorumque fautores, aut defensores; *q*)
b) hæreticorum *nepotes* ex parte patris, ex matris solum *filii*, nisi eorum parentes ad sinum Ecclesiæ redierint. *r*)

q) C. 21. *Causs*. I. *q*. 7. *c*. 32. *Dist*. L. *c*. 2. *de hæret. in* 6.

r) C. 15. *de hæret. in* 6 Conf. *decret. Congreg. Concil*. 21. *Maji* 1718. Istud tamen intuitu Protestantium in Germania non obtinet, cum hæreticorum nomine in Imperio haud veniant; quamvis Curia Romana tales absque dispensatione ad ordines admittere non soleat.

5) propter homicidium vel mutilationem,

a) *voluntarie*, & *injuste* aliquem *occidentes*, mutilantes, ad id *concurrentes*, vel occisionem non *impedientes*, cum tamen tenerentur ex justitia; *s*)
b) etiam *præter intentionem* occidentes, dando operam rei *illicitæ* simul & *periculosæ*, vel *periculosæ solum*, si debitam ad præcavendum homicidium diligentiam non impendant; *t*)
c) procurantes *abortum* fætus *animati*; *u*)
d) seipsos *membro*, aut membri *parte voluntarie* privantes; *v*)
e) *dubitantes* etiam num mors suo, aut alieno facto evenerit. *x*)

s) C.

s) C. 6. & seq. de homicid.

t) C. 10. 19. seq. ibidem. Aliud est, si mors alterius prorsus ex fortuito casu, aut ex moderata & necessaria defensione sequatur, C. 13. de homicid. Clement. unic. ibid.

u) C. 20 de homicid. Quanam vero die fætus animetur, Medicorum est definire.

v) C. 6. Dist. LV. c. 1, de corp. vitiat. Unde Eunuchi, qui sponte se exscindi permiserunt, excluduntur: qui nolentes, aut sine culpa in morbo id passi sunt, admittuntur; sicut enim isti culpa ita & pœna immunes sunt. C. 4. 5. 7. seq. Dist. LV. c. 3. 4. 5. de corp. vitiat.

x) C. 18. de homicid. Hic reprobandus est quorundam scrupulus, qui vulnerato vel ægroto subvenire recusant levando, ne si fortassis inter eorum manus exspiret, ipsi accelerasse mortem, & propterea irregulares censeantur: *Si enim irregularitas oritur ex defectu lenitatis, sane ex ejus contrario, scilicet ex ipsa lenitate, actu misericordiæ, & charitatis christianæ oriri non potest, nec est verosimile, quód Pontifices voluerint per introductam irregularitatem tollere charitatem.* P. Engel J. C. P. V. tit. 12. n. 48. Interim, ut idem inquit, excusandi non sunt ab irregularitate, qui licet imperiti (nisi in casu necessitatis & defectu peritiorum) chirurgiam aut medicinam præsertim spe lucri, & per modum professionis exercent; imperitia enim culpæ adnumeratur in his, qui artem aliquam profitentur.

IV. Irregularitatem ex defectu latius hodie, quam olim, extensam contrahunt

1) ob defectum animi & sanitatis,

a) *infantes, amentes, epileptici* &c. y)

 b) sci-

b) *scientia* ad eum ordinem requisita *destituti*; z)

c) *neophiti* necdum in fide sat probati *a*)

y) Huc *lunatici*, *furiosi*, *dæmoniaci* referendi sunt, Concil. *Toletan XI can.* 13 *Dist. XXXIII. can.* 3 & 4. *Dist. XXXVI. can.* 1. Cônf. Lakics *lib. II. §.* 199.

z) Conf *annot. ad can.* 1. & 2. *Dist. XXXVI.* e qua liquido colligitur, non sufficere Clericis bonam conversationem, & morum honestatem, nisi addatur scientia doctrinæ.

a) 1 Timoth. III. 6. *Can.* 4. *seq. Dist. LXI. Concil. Laodic. can.* 3. *Sardic. can* 13 sed conf *Can. apost.* 79. Bingham *orig. eccles. vol. I. p.* 154. *seq.*

2) ob defectum natalium & famæ,

a) *spurii*, & *illegitimi*, nisi per subsequens matrimonium legitimentur; *b*)

b) *filii hæreticorum*, de quibus jam supra n. III 4. lit. b dictum; *c*)

c) *infamia juris* vel *facti* laborantes, donec reparetur. *d*)

b) Defectus natalium, a criminis suspicione alienus, primis X. seculis impedimentum non erat. *Dist. LVI. can.* 3. *seq.* Cum autem sec. X. XI. incontinentiæ vitium Angliæ potissimum & Germaniæ Clerum infecisset, Urbanus II. filios Presbyterorum, & aliorum in SS. ordinibus constitutorum illegitimos a suscipiendis ordinibus sub ea limitatione removit, *nisi in cænobiis, aut canoniis religiose probati fuerint conversati. Can.* 1. *Dist. LVI.* Tandem ad conservandum sacerdotii decus, aliasque ob causas morales (vid. *Dist. LVI. can.* 20.) impedimentum hoc generatim

tim ad eos omnes porrectum est, qui ex illegitima conjunctione prodiissent, aut legitima quidem, ast eo tempore, quo conjuges solenne continentiæ votum professi mutuis legitimi matrimonii juribus renuntiassent, (*Cap I. de fil. presbyt. cap 4. 18. eod. cap 7 20 25. de elect. cap. 10. de renunt:*) nihilque refert, natalium macula vulgo nota sit, an lateat. *Can. 14 Dist. LVI.* Et quoniam in filiis presbyterorum illegitimis specialis adhibenda est cautio, ne memoria paternæ incontinentiæ in Ecclesiis refricetur, lege peculiari habetur provisum, ut ejusmodi filii illegitimi etiam obtenta dispensatione super natalium defectu, non possint in illa Ecclesia, in qua pater beneficium habuit, ullum ministerium, officium, aut beneficium obtinere, & si quod actu obtinuissent, eodem priventur. *Cap. 2. 3. 4. 15. 16. de fil. presbyter.* Concil. *Trident. Sess. XXV. cap. 15. de reform.* Imo ex eo, quod canones ab omni specie successionis hereditariæ in beneficiis abhorreant, speciatim cautum est, ne filii presbyterorum etiam legitimi ad ipsius patris beneficium immediate admittantur. *Cap. 17. de fil. presbyt. Trident. Sess. XXV. cap. 7. de reform.* Expositos in censu illegitimorum habendos non esse, humanitati magis est consentaneum. Sed Conf. Zech *cit. loc.* §. 26.

c) Conf. *not. r) ibidem,*

d) *Can. 1. 2. Causs. V. q. VI. Cap. 87. de R. I. in 6.* Reparatio autem non eodem modo fit; nimirum infamia facti tollitur vel sententia judicis declarante innoxium eum, qui de crimine suspectus erat, vel canonica purgatione suspecti; quæ vero juris est, aut restitutione in integrum, aut canonica dispensatione. Caussas maculæ hujus, quas varii canones suppeditant, compendio recenset Lakics *cit. loc.* §. *186. Schol.*

3) ob-

3) ob defectum corporis, *e)*

a) *membro* ad ordinis usum *necessario* carentes, *f)*

b) *notabili*, quae horrorem vel risum moveret, *deformitate* laborantes. *g)*

c) membris etiam integris adeo *debilitati*, ut functiones ordinis obire vix valeant.. *h)*

e) Corporis vitii, si modo sacrorum officiorum administrationem non impedivit, rationem non habuit primitivae Ecclesiae disciplina. Vid. *Can. apost.* 76. & 77. Ast a seculo V. inter latinos invaluit, ut non modo illi corporales defectus irregularitatem inducerent, qui ordinis functiones omnino impediunt, sed & qui efficiunt, ut sine scandali, atque irreverentiae periculo illae exerceri non possint. *Cap.* 1. *de corp. vitiat cap.* 2. *de Cler. aegrot.* Hinc est, quod occulta corporis vitia, si modo sacrarum functionum exercitium non tollant, irregularem faciant neminem. *Cap.* 3. *de corp. vitiat. can.* 4. 5. *seq. Dist. LV.*

f) E. g. *manu* altera; *cap.* 6. *de corp. vitiat*: *digito* ad frangendam hostiam necessario: *cap.* 1. & 7. *ibid:* (non item quibus deficit unguis pollicis, vel indicis, si modo hostiam frangere queant; *cap. ult. ibid: caeci* & *oculo* praesertim, quem *canonicum* vocant, seu sinistro carentes. *Can. apost.* 77. *can.* 13. *Dist. LV. cap.* 2. *de corp. vitiat.*

g) Huc pertinent 1) naribus, aut auriculis orbati; 2) Pigmaei; 3) notabilem in modum gibbosi; 4) Corpus adeo incurvatum habentes, ut erecti procedere nequeant;

h) Quales sunt 1) surdi; 2) muti, non etiam balbutientes; 3) habentes manum inutilem, & aridam, aut adeo tremulam, ut sit periculum subversionis calicis; *cap.* 6. *de corp. vitiat.* 4) ita

ita claudi, ut fine baculo nequeant ire, & consistere ad altare; *can 57. de consecr. Dist. I.*
5) qui prorsus a vino abstemius est.

4) ob defectum ætatis, *i*)

a) nondum adepti annum ætatis saltem inchoatum XXII. pro *Subdiaconatu*,
b) XXIII. pro *Diaconatu*,
c) XXV. pro *Presbyteratu*,
d) XXXI. pro *Episcopatu*. *k*)

i) Variam hujus rei disciplinam Thomassinus diligenter illustravit cit loc. *de vet. & nov. Eccles discipl. P. I. lib. II. cap. 67. — 71.*

k) Concil *Trident Sess XXII. cap 12. de reform. Cap. 7. de elect.* Quoad *Tonsuram & minores ordines* moribus jam receptum est, *septennium* completum sufficere, nec haberi rationem canonis 2. *Dist. LXXVIII.* quo constitutum fuit, neminem XVIII. annis minorem inter Lectores adnumerandum esse; dummodo qualitates adsint a Concilio *Tridentino Sess. XXIII cap. 11. de reform:* requisitæ.

5) ob defectum Sacramenti, seu significationis unionis Christi cum Ecclesia, ceu sponsi *unius* cum sponsa *unica*; *l*)

a) *bigami*, sive *bigamia* sit *vera*, cum quis cum duabus successive consummat matrimonium; *m*)
b) sive ea sit *interpretativa*, cum quis viduam, vel corruptam duxerit; *n*)
c) sive *similitudinaria*, quando obstrictus voto solenni religionis vel in S. ordine constitu-

ſtitutus matrimonium adtentat & conſummat. o)

l) Hac ex ratione myſtica prohibent Latini, auctore potiſſimum S. Auguſtino *lib. de. bon. conjug. cap. 18.* bigamos a ſacris ordinibus, quod nimirum iteratæ nuptiæ ſpiritualem Chriſti cum Eccleſia, unius cum una, conjunctionem nequeant perfecte ſignificare; *Cap. 3. 4. de bigam: non ordinand.* ubi econtra Græci eosdem ob ſuspicionem incontinentiæ ab ordinibus arcent. Ex qua ſententiarum diverſitate nata eſt dispar deciſio quæſtionis, *an bigamus & irregularis ſit, qui ante baptismum duas uxores, aut ſaltem unam ante, alteram poſt baptismum duxit.* Negant Græci, cum macula incontinentiæ per baptismum aboleatur; adfirmant Latini, excepto S. Hieronymo, cum & hic defectus ſacramentalis ſignificationis ſubverſetur. Vid. Schrodt ad *tit. de bigam. non ordinand.* § 590.

m) Hujus bigamiæ fundamentum quærunt paſſim in D. Pauli I. ad Timoth. *III 2. & 12.* Tit. *I.* 5. præceptis. Conf: *cap. 2. & 3. de bigam, non ordinand.*

n) Concil. *Toletan. I. can. 3.* item *Can. Apoſt: 18* Huc pertinent ex ſententia Concilii Neo-cæſareenſis can. 8., qui cum adulteris commiſcentur. Conf. *Cap. 4. & 7. de bigam. non ordinand.*

o) Quique virginem Deo dicatam ducit. Conf. Lakics *lib. II. §. 204. & 205.* Hactenus Sacramentum in ſenſu *grammaticali* ſumtum eſt; ſi vero in ſenſu *theologico* ſumitur, ob defectum ejus irregulares erunt, qui carent *Confirmatione* Concil *Trident. Seſſ. XXIII. cap. 4.* & aliis *de reform. Non baptizatos* incapaces rectius ad ordines ſuscipiendos, quam irregulares dixeris

Vid.

Vid. *Can.* 25, 29. *Dist.* XXIII. item *Cap.* 1. *de Presbyteris non baptizat.*

6) ob defectum lenitatis, *p*)

a) omnes caussarum *criminalium administri*, morte, vel mutilatione sequuta *q*)
b) *occidentes* vel *mutilantes* aliquem in bello *ad offensionem gesto*, etiam *justo*; *r*)
c) *pugnantes omnes* in bello *injusto*, si vel *unus* ex parte adversa occidatur, vel mutiletur. *s*)

p) Credidit *Ecclesia* semper, *creditque* adhuc, ait Cl. Zech *cit. loc.* §. 23. *pag.* 17. *non decere, ut Agnum mansvetissimum, qui sanguinem suum pro nobis fudit, in Altari offerret ille, qui sanguinem fudisset humanum, exemplum præbente Deo, qui a Davide ob sanguinem in bellis etiam justis fusum templum sibi ædificari noluit.* Quapropter latissime hanc irregularitatis speciem olim extendebat: nempe hoc ex capite irregulares censebantur non judices tantum, notarii & alii quomodolibet officio suo in causa criminali juste fungentes sive Clerici, *Can.* 29 *Causs.* XXIII. Q. VIII. *Cap* 9. *ne Cler vel Monach.* sive Laici *Can.* 8. *Dist.* L. *can.* 1. 2. 4. *Dist.* LI ; verum etiam accusatores, denuntiatores, *Can.* 36. *Dist.* L. *Can.* 19. 29. *Causs.* XXIII. Q. VIII. *Cap.* 5. 9. *ne Cler. vel Monach.* ac testes *Cap.* 19. *de homicid:* item milites in justo bello depugnantes, si modo fusi sanguinis conscientia tenerentur *Can* 8. *Dist* L. Nec irregularitatem effugiebat Clericus, qui ad exercenda de capite judicia a summo Principe delegatus fuit. *Cap.* 5. *de rapt.* Quid! quod ne interesse quidem spectandi caussa Clericos permittatur in loco, in quo judicium sanguinis exercetur. *Cap.* 9. *ne cler. vel monach.*

nach. Verum ab his antiquæ Ecclesiæ moribus hodierni non nihil recedunt.

q) *Can.* 29. 30. *Cauſſ. XXIII. Q. VIII.* — *cap.* 5. 9. *ne Cler. vel Monach. cap.* 10. *de exceſſ. Prælat. cap.* 21. *de homicid: cap.* 2. *eod. in* 6.

r) *Can* 1. *Diſt. LI. Cap.* 24. *de homicid: cap.* 3. *de Cler. percuſſ.*

s) E contrario vero irregulares haud habentur 1) qui ad judicium ſanguinis concurrerunt, ſi ipſa ſanguinis effuſio quocunque modo impediatur. Van Espen *P. II. tit. X. cap. IV. n.* 26. 2) Epiſcopi aliive Prælati jurisdictionem criminalem habentes, eamque ſuis judicibus exercendam committentes. *Cap. fin. ne Cler. vel Monach.* 3) Clerici quicunque, dum illatas ſibi injurias perſequentes, capitalium etiam criminum reos ad judicem deferunt, etiamſi judex, exigente ita juſtitia, mortis ſententiam in eos dixerit, modo proteſtentur expreſſe, quod eos pœna ſanguinis adfici non intendant. *Cap.* 2. *de homicid. in* 6. 4) Epiſcopi, qui Clericos pro enormi crimine degradatos brachio ſeculari tradunt, tametſi morte plectendos certo ſciant, modo diſerte intercedant, de moderanda citra mortis periculum ſententia. *Cap.* 27. *de verb. ſignif. cap.* 2. *de homicid. in* 6. 5) Homicidæ neceſſarii. *Cap.* 13. *de homicid. Clement.* 1. *eod* 6) Milites in bello juſto, qui prælio quidem intererant, ſed puras ab hoſtili ſanguine manus retulerunt. *Cap.* 3. & 4 *de Cler. percuſſ.* juncto *Cap.* 5. *de pænit.* 7) Teſtes judicis auctoritate ad perhibendum teſtimonium compulſi, *Cap.* 19. *vers.* ad ultim. *de homicid* 8) Alii plures, quibus ſanguinis humani effuſio nec culpæ, nec cordis duritiæ adſcribi poteſt. Conf. Lakics *loc. cit.* §. 206 207.

7) ob

7) ob defectum libertatis,

a) *uxorati* uxore invita, vel in cælibatu vivere nolente; *t*)
b) *servi* stricte dicti seu *mancipia*, *u*)
c) ad *rationes* ab gestum officium reddendas obligati. *v*)

t) *Cap. ult. de temp. & qualit: ordin. in 6.*

u) De servis *proprie* dictis, quibus alii adjungunt *adscriptitios*, *homines* item *proprios*. (vid. Zech. *cit. loc* §. *26* item *Can. 12. 21. Dist. LIV.*) sine consensu Domini, anni unius lapsu firmato aut litteris expresso, non ordinandis; partim ne sacrum ministerium talis consortii vilitate polluatur, partim ne jus tertii violetur, plures canones sanciunt, & si quem invito Domino ordinari contingeret, eum, nisi Diaconus esset, aut Presbyter, in servitutem revocari posse, disponunt, quæ tamen disciplina non ubique eadem fuit. Vid. *Can. Apost. 82.* Concil *Toletan I. can. 10. Dist. LIV. can 2. 5. 10. 12. 21. Tit. totus de serv. non ordinand.* Conf. Berrardus in *comment. ad jus eccles. univ. Tom. IV. pag. 234. 235.*

v) Nihil interest, an officium gestum sit *publicum*, uti Thesaurii, Quæstoris, Telonarii; an *privatum*, veluti Tutoris, Curatoris, Actoris &c: *Can. 3 Dist. LIV. can. un. Dist. LIII. Cap. 1. de obligat. ad ratiocin:*

8) ob defectum Tituli, *x*)

a) qui nec sufficiente *patrimonio*,
b) nec *beneficio* pacifice possesso,
c) nec *religiosa professione*,

d) nec alia quadam certa promiſſione ſeu *titulo menſæ*, litteris patentibus plerumque a Principe, Nobili, vel communitate quadam datis, comprobato de congrua vitæ ſuſtentatione ſecuri ſunt. y)

x) *Tituli* nomine Veteribus veniebant Eccleſiæ, quarum ſervitiis ordinati adſcribebantur, quarumve ex reditibus ſuſtentabantur, quasve ſine Epiſcopi ordinatoris venia deſerere nefas erat. Ab ordinationibus ſine ejusmodi titulo factis adeo abhorrebat olim Eccleſia, ut eas in Concilio *Chalcedonenſi can. 6. irritas*, effectu ſcilicet vacuas declararet. *Abſolutæ* igitur ordinationis exempla, quorum aliqua ex vetuſtate refert, Bingham *orig. eccles. lib. IV. cap. 6. §. 3.* rara admodum erant, nec niſi extraordinariis occaſionibus prodita. Seculo circiter duodecimo cepit collatio beneficiorum ab ordinatione ſeparari; cum exinde plura orirentur incommoda, cautum eſt in Concilio *Lateranenſi III. Cap. 4. de præb.* ut Epiſcopus ſine titulo in Presbyterum vel Diaconum ordinato *inopi* tam diu vitæ neceſſaria ſubminiſtret, donec in aliqua Eccleſia convenientia ipſi ſtipendia adſignet, id quod deinde ad Subdiaconos extenſum eſt. *Cap. 16. de præbend.* Inde collegerunt, fas eſſe Epiſcopis pro arbitratu ſuo, vel ad Eccleſiæ vel patrimonii titulum clericos ordinare. *Cap. 23 de præbend.* Noviſſimum Concilium *Trident.* ſtatuit *Seſſ. XXI. cap 2. de reform.* ne quis deinceps Clericus *ſecularis*, quamvis alias idoneus moribus, ſcientia, & ætate ad *ſacros ordines* promoveatur, niſi prius legitime conſtet, eum *beneficium eccleſiaſticum*, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere: *Patrimonium* vero, vel *penſionem*, ſeu ut jam loquimur, *titulum menſæ* obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit adſumendos

mendos pro necessitate vel utilitate suarum Ecclesiarum. Ab hoc jam Concilii *Trident*: tempore nomine *tituli* intelligitur cautio sufficiens de perpetua, & congrua Ordinandi sustentatione, aliusque est 1) pro *secularibus Clericis* titulus *beneficii*; *patrimonii*; *mensæ*; 2) pro *Regularibus professionis* seu *paupertatis*. Vid: Pius V. *constit*: Romanus. De singulis notandum est in specie 1) titulum *beneficii* constituit possessio *pacifica* beneficii *veri* & *perpetui* ad *congruam* Clerici sustentationem *sufficientis*, quod proin *resignari* nequit, nisi aliunde habeatur cautio de congrua sustentatione Concil. *Trident cit. loc.* 2) Titulus *patrimonii* a Tridentino non nisi ob Ecclesiæ *necessitatem* vel *utilitatem* admittitur, ita quidem, ut patrimonium sit *certum*, *pacifice possessum*, *vere sufficiens*, *nec* absque Episcopi facultate, nec cum hac *alienandum*, donec beneficium sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint. Concil. *Trident*, *ibidem*. 3) Titulus *mensæ* litteræ sunt *patentes*, quibus plerumque bona *immobilia* possidentes obligationem in se suscipiunt alendi *congrue* ordinatum, siquidem forte ante obtentum beneficium impotens redderetur ad se honeste sustentandum. Titulo *professionis* ordinantur, qui sunt in ordine proventibus ad suos alendos sat instructo: *paupertatis* vero qui ordinem Mendicantium profitentur.

y) Concilium *Trident*: *cit. loc.* renovat in ordinationes absque titulo factas antiquorum canonum pœnas. Sed quas, an Concilii *Chalcedonensis*, an *Lateranensis III*? (vid: *not. præced*:) Distinguit Schrodt *lib. I. tit. XI* § 497. atque, si ordinatio sine titulo facta sit a *sciente*, aut *negligente Episcopo*, pœnam *Lateranensis*: si vero *dolo vel culpa* solius ordinati, pœnam *Chalcedonensis* Concilii a Tridentino repetitam non absque fundamento adfirmat.

V. Irregularitates hactenus recensitæ tolluntur,

a) si ex defectu *temporali* provenerint, eo *defectu sublato*;

b) ortæ ex defectu *natalium* per *professionem religiosam* quoad S. ordines tantum, non ad obtinendas dignitates; z)

c) reliquæ vero per *dispensationem*, a)

d) cujus impertiendæ potestas penes Pontificem est; b)

e) Episcopi tamen eandem exercere in omnibus ex *delicto occulto* provenientibus possunt, exceptis *homicidio voluntario*, ceterisque ad *forum contentiosum* jam deductis. c)

z) *Cap. 1. & cap. fin. de fil: presbyter.* Habent tamen plerique Ordines religiosi privilegia, vi quorum cum suis subditis dispensent etiam in aliis irregularitatibus. Vid. Tamburin. *de jur. Abbat tom. II. Disp. 17.*

a) Siquidem per Jus *humanum* introducta sit, nec prorsus ordinum exequutioni adversetur. Conf. Berrardus in *comment ad jus eccles. univers. tom: IV. pag. 253. seq.*

b) Vid. *P. I. cap. I. §. I. n IV. lit. d. not. q)*

c) *Trident. Sess. XXIV. cap. 6 de reform.* Quale delictum vero dicendum sit *occultum*, ut super irregularitate ex eo proveniente Episcopus dispensare queat, non est eadem Doctorum sententia. Alii id occultum dicendum putant, *quod ob defectum testium probari non potest.* Vid Fagnanus ad *cap 7 de cohab. cler. & mulier*; alii vero, uti Ducasse in *praxi jurisdictionali tom. I. cap. X. §. 2* quod commissum etiam in præsentia duorum vel trium testium probari quidem

quidem posset, attamen *nondum publicum & notorium est*. Alios casus, in quibus Episcopi dispensare possunt, vid. apud Zech *cit. loc. §. 18.* Num vero, Baptismo relaxari posse irregularitatem, recte aliqui tradant? vid. apud Eundem *ibid.* § 20.

VI. Circa Ordinationem, seu ritum illum, quo sacer ordo confertur, sequentia restant animadvertenda:

1) Minister ordinationis,

a) ut *valide* recipiatur ordo, est *quilibet* Episcopus rite consecratus;

b) ad *licitam* vero S. ordinis susceptionem Episcopus *proprius*, *d*) in Ecclesiæ Romanæ communione constitutus, & ab irregularitate, alioque impedimento immunis *e*) vel facultas *privilegio* quodam *apostolico*, aut litteris *dimissoriis* a proprio Episcopo obtenta requiritur. *f*) *g*)

d) Episcopus hodie reputatur *proprius*, 1) ratione *originis* seu loci, in quo parentes ordinandi, dum is nasceretur, fixum domicilium habuere; 2) ratione *domicilii* Episcopus loci, ubi quis animo perpetuo remanendi suam sedem fixit; 3) ratione *beneficii* Episcopus Diœcesis & loci, ubi ordinandus beneficium congruæ sustentationi sufficiens possidet; 4) ratione *familiaritatis* Episcopus ille, quocum quis trium annorum intervallo quasi commensalis fuit commoratus, & a quo statim beneficium adepturus est. *Trident. Sess. XXIII. cap. 8. & 9. de reformat.* Atque hæc quidem ad Clericos & Laicos ex æquo spectant. *Regularium* in causa quidem ordinationis Episcopus *proprius* est, in cujus Diœcesi situm est

Monasterium, in quo Superiorum suorum jussu tanquam de familia habitant. Concil. *Carthagin. V. can.* 23. Sed Conf. Concil. *Trident. Sess. VII. cap.* 11. & *Sess. XXIII. cap.* 3. *de reform.*

e) Si etenim *irregularis* sit Episcopus proprius, eo ipso est ad obeundas functiones ordinis sui ineptus. (*num praeced. II*) ast conferre ordines pertinet ad Episcopalis ordinis functiones (*P. I. cap* 1. *§. V. n. II.*) ergo ut has obeat, ab irregularitate immunis sit oportet.

f) Litterae *dimissoriae* vel indulgent, ut quis ordinari queat ab Episcopo alio catholico quocunque, vel ut a certo solùm; illae *generales*, hae *speciales* vocantur. Dimissorias concedendi facultatem habent 1) Episcopus proprius jurisdictione praeditus, licet nondum consecratus; 2) Vicarius Generalis Episcopo id expresse ipsi concedente, aut in remotis agente. *Cap* 3. *de temp. ord. in* 6. 3) Capitula Ecclesiae cathedralis sede vacante, verumtamen intra annum a die vacationis numerandum non aliis, quam arctatis ratione beneficii ecclesiastici. Concil. *Trident, Sess. VII. cap.* 10. *de reform:* 4) Superiores regularium pro subditis suis regularibus, casu, quo Dioecesanus abfuerit, vel non habiturus esset ordinationes, sub cautionibus tamen Concilii *Trident. Sess. VII. cap.* 11 & *Sess. XXIII. cap.* 3. *de reform* judicio definitis. Adversus haec si *Episcopus* quid commiserit, suspenditur per annum a conferendis ordinibus: minus recte *Ordinatus* ab exercitio ordinis non secundum canones suscepti, quamdiu Episcopo suo visum fuerit: si *Capitulum* sua abutatur potestate, interdicto subjicitur. Concil. *Trident. Sess XIV, cap.* 2. *Sess. XXIII. cap.* 8. *Sess. VII. cap.* 10. *de reform.*

g) Praeter Episcopum, quem sacrae ordinationis ministrum *ordinarium* diximus, dantur alii, qui jure

jure *extraordinario*, concessione scilicet Ecclesiæ & Pontificis romani delegatione ordines conferre possunt. Nempe utuntur hoc jure *Cardinales Presbyteri*, quoad Ecclesias *suorum titulorum*, & *Abbates Sacerdotes*, & *benedicti*, quoad *subditos suos regulares* in conferendis *prima tonsura*, & *minoribus ordinibus*. *Cap.* 11 *de ætat. & qualit: præfic:* item Concil. *Trident. Sess: XXIII. cap.* 10. *de reform:* Conf. quoad omnia de ministro ordinis hactenus dicta Zech *cit. loc. Tit. VI.* §. 67. usque 80.

2) Tempus, quo ordinatio fieri debet, *h*)

a) quoad *ordines minores* est tempus matutinum cujuslibet diei dominici & festivi; *i*)

b) quoad *ordines majores* vero sunt sex Sabbata, nimirum quatuor temporum, ante Dominicam Passionis, & Sabbatum sanctum; *k*)

c) nisi forte ordinans vel ordinatus per *Privilegium*, quod Episcopis Germaniæ cum reliquis facultatibus omni *quinquennio* dari solet, ad hæc tempora adstrictus non sit *l*)

h) Tribus primis Ecclesiæ seculis nullis certis diebus adstrictæ fuisse videntur Clericorum etiam majorum ordinationes, injuriis temporum exactum hac in re ordinem haud permittentibus; postea *cit. loc. cembri* plerumque fiebant. Bingham in *De lib. IV. cap. VI.* §. 6. *& seq.*

i) Etiam extra Missarum solemnia. *Pontifical. Rom. tit. de Ordinib. conferend. Cap.* 1. *&* 3 *de temp. ordin:* & quidem si Episcopo visum fuerit, eodem die uni plures, aut etiam omnes Minores simul cum prima Tonsura dari possunt. Concil. *Trident. Sess. XXIII. cap.* 11. *de reform.* Po-

ſterior ſeorſim quolibet anni die ac hora conferri poteſt. *Pontifical. Rom. cit. loc.*

k) Concil. *Trident. Seſſ. XXIII. cap. 8. de reform. Diſt. LXXV. can. 4. 7 Cap. 2. 3 de temp. ordin. Conſecratio Episcoporum* fit quovis anni tempore die dominico, vel natalitio Apoſtolorum, vel ex ſpeciali indulto Pontificis alia die feſtiva. *Pontifical. Rom. tit. de conſecrat. electi in Epiſc:* Si vero in Epiſcopum electus pluribus ſacris ordinibus eſt initiandus, neceſſitas Eccleſiæ exigere videtur, ut in iis conferendis non expectentur conſveta tempora. Zech *cit. loc. ſ. 82.*

l) Secus extra tempora *ordinans* canonica diſciplina erit corrigendus, & *ordinatus* ſuſpendendus ab exercitio ordinis *Cap. 2 & 3. de temp. ordin.* imo ipſo jure ſit ſuſpenſus. Pius II. in bulla: *Cum ex Sacrorum.* Quoquo vero tempore *ſacri* conferantur *Ordines*, conferri debent intra Miſſarum ſolemnia, quæ ex Pii V. Pontificis conſtitutione veſpertino tempore nunquam, nec in Sabbato ſancto, quod olim fiebat, celebrentur.

3) Tempus quod inter ipſos S. ordines interponi debet, ſeu *interſtitia.*

a) Inter *minores ordines*, qui una die conferri poſſunt (*not. præced. i*) & *Subdiaconatum*, & ſic porro inter unum alterumque ſacrum ordinem ſuſcipiendum *annus eccleſiaſticus* intercedat, oportet; *m*)

b) relicta tamen Epiſcopis ob *majorem Eccleſiæ utilitatem* ita diſpenſandi facultate,

c) ut, niſi urgente cauſſa Privilegio locus detur, *aliquot* ſaltem *dierum* ſpatium interponatur; *n*)

d) max

d) maxime vero, ne quis ad altiorem ordinem, omiſſo inferiore, ſeu *per ſaltum* promoveatur. o)

m) Concilium *Trident. Seſſ. XXIII. cap. 11. 13. & 14 de reform.* Intervalla hæc temporis poſt ſeculum IV. in Occidente ſatis longa fuiſſe, pluribus Siricii, & aliorum Pontificum teſtimoniis oſtendit Martene *de S. eccleſ. rit. lib. I. cap VIII. art. III. §. 6.* Conf. etiam Zech *cit. loc §. 84.*

n) Non audet igitur *regulariter* Epiſcopus plures ordines *majores* (de *minoribus* aliud *not præced. i)* diximus) uni una die, dieve Sabbati hunc, alterum die dominica, continuato quamvis jejunio, conferre *Cap. 13. 15. de temp. ordin: cap. 2. de eo, qui furtive.*

o) *Cap. un. de cler. per ſalt. promot. Cap. 10. de exceſſ. Prælat.* Per ſaltum ordinatus alios (præter Epiſcopatum omiſſo Presbyteratu *Cap. 10. in fin. de exceſſ. Prælat*) ordines *valide* quidem, *illicite* tamen recipit; unde ſuſpenditur ab uſu ordinis temere ſuſcepti, irregularitatemque contrahit, ſi in ordine omiſſo aut per ſaltum ſuſcepto fungatur miniſterio, priusquam aut defectus ſuppleretur, aut abſolveretur a ſuſpenſione. Concil. *Trident. Seſſ. XXIII. cap. 14. de reform.*

4) Locus ordinationis

a) *proprius* eſſe debet, ſeu in Diœceſi ordinantis poſitus, eidemque ſubjectus; *p)*

b) *ſacer* ſaltem pro majoribus ordinibus conferendis, *q)*

c) et *publicus*, nimirum cathedralis, aut dignior quædam Eccleſia. *r)*

p) Jus enim ordinarium constanter obtinuit: nulli Episcopo licere, cujusvis privilegii prætextu pontificalia, quæ inter & collationem minorum ordinum & tonsuram referre oportet, in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia: secus si quid factum esset, Episcopus ab exercitio pontificalium, & ordinatus ab exercitio ordinis jure ipso suspenduntur. Concil. *Trident. Sess. XXIII. cap. 8. de reform.* Non obstare huic asserto antiquorum exempla, aut recentiorum opiniones, sufficienter ostendit Zech *cit loc.* §. *87. 88.* apud quem etiam §. *89. 90. 91.* legere poteris, quidnam de *locis exemtis*; de *consecratione Papæ & Episcoporum* tenendum sit.

q) Vid. Zech *cit loc* § *92.*

r) Nam *de divina auctoritate descendere* putat S. Cyprianus *epist. 68. ut Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio & testimonio comprobetur.* Conf. Concil. *Trident. Sess. XXIII. cap. 8. de reform.* Hæc tamen solummodo intelliguntur de ordinibus majoribus & sacris. Vid. *Pontifical. Rom: tit. de ordin:*

5) Examen, seu *scrutinium* triplex.

a) I^mum^ *uno mense* ante ordinationem a Parocho, vel alio ab Episcopo delegato faciendum, quod tamen hodie per testimonia a Professoribus, aut Directoribus Seminariorum, *utique fideliter*, exhibenda subpletur. s)

b) II^dum^ a viris peritis ab Episcopo, vel ejus Vicario generali deputatis *proximis* ante ordinationem *diebus* instituendum. t)

c)

c) III^tium *in ipso* ordinationis *actu* consvetum, cum Episcopo interroganti Archidiaconus vel adsistens minister de ordinandorum dignitate testimonium præbet. *u*)

s) Universim non eadem est hujus scrutinii in singulis Diœcesibus forma. Qualis vero ex præscripto canonum esse deberet: vid. in Concil: *Trident. Sess. XXIII. cap 5 de reform* In Diœcesi nostra absolvitur quoad eos, qui inter Clericos *seculares* adsumi cupiunt, examine, quod *concursum* vocant.

t) Diem, ac puncta examinis istius definivit Concilium *Trident. Sess. XXIII. cap. 7. de reform* cui conformes *pro suscipiendis ordinibus institutiones* edidit Vratislaviæ 1777 Joan Lindner, Presbyter ecclesiasticus. Omnes tum seculares, tum regulares huic scrutinio se se subjicere obligantur, nisi de quorum dignitate conscius est Episcopus, exceptisque illis, qui præsentantur, eliguntur, aut nominantur ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum, quatenus huic exemtioni non adversantur posteriores constitutiones. Concil. *Trident. Sess. VII. cap.* 13. *Sess. XXIV. cap. 18. de reform.* Conf. vero *Can.* 4. 5. *Dist. LXXXI.* item *Cap. 20. de elect. Can.* 55. *Dist L.*

u) Asserens: *ipsos quantum humana fragilitas nosse sinit, dignos esse ad hujus onus officii. Pontifical. Rom; tit. de ordinat: Diac. & tit. de ordinat. Presbyt.* Quod testimonium reddere potest, modo non sciat esse indignos; ita sancitum est *Cap. un. de scrut. in ord. faciend.* Pœnas ecclesiasticas contra eos, qui sine prævio examine & approbatione, aut licentia Episcopi accedunt, seu furtive ordinantur lege statutas vide *Can. fin. Dist. XXIV.* item *tot. tit. de eo, qui furtiv. ord. suscip.* Conf. etiam Benedict. XIV. *de Synod. diœcesan. lib. VIII. cap. 11.*

6) Es-

6) Effectus ordinum præcipuus *v*). eſt *Character perpetuus*; unde

a) niſi de neglectis in ordinatione *ſubſtantialibus* certitudo, vel rationabile dubium habeatur, iterari non poteſt;

b) *accidentalia* vero fors omiſſa caute ſuppleantur. *x*)

v) Varios ordinum tum minorum tum majorum effectus enumerat ex Pontificalis Romani formulis potiſſimum Fleury *Inſt Jur eccleſ, P. I, cap. 5. 6 7 8. 9.* e quibus jam memoratu digniores ſunt *generatim*, quod ordinatus 1) munia ordinum. quos recipit, exercendi jus obtineat; obligationibus iis ordinibus adnexis obſtringatur. *Speciatim* vero *tonſuræ* effectus ſunt, quod 1) Cleri quis membrum, 2) ulterioris ordinis & beneficii capax, 3) privilegiorum clericalium particeps reddatur. *Subdiaconus* præterea obligatur 1) ad permanendum in ordine clericali, 2) ad caſtitatem perpetuo ſervandam, 3) ad horas canonicas indies recitandas. Conf. Zech *cit. loc tit. IX. uſque ad XIV*. Rigger *cit. loc. P. II. §. 177 ſeq*.

x) Conf. Schenkl *cit. loc. §. 425. Schol.*

§ II.

OBLIGATIONES, HONESTAS, & COELIBATUS CLERICORUM.

I. Excelſa miniſterii ſacri dignitas Clericos, ut eximia quadam præ reliquis chriſtianis morum integritate, ac vitæ honeſtate refulgeant, impellit, ac obligat. *y*) Igitur

1) ho

1) honestate animi præcipua polleant, ac

a) *conscientiæ, affectuum*, & *intentionis* puritati
b) *virtutibusque* ad Dei gloriam, Ecclesiæ, ac propriam salutem promovendam *exercendis* studium omne adhibeant. z)

y) Recol. dicta *§. præced. I. n. I. lit. a. not y. z.)*

z) *Ut, quod sunt professione, actione magis demonstrent, quam nomine, ne sit honor sublimis, & vita deformis* S. Ambrosius *lib. de dignit. Sacerd. cap. III.* Adde Math. V. 14. item ad Tit. II. 7. & 8 quæ omnia non ad solos Episcopos pertinere ex S. Hieronymi supra *§ I. n. I. not. y)* citatis verbis eruitur.

2) Habitu corporis ita sint compositi, ut

a) *vestium* forma, colorque status clericalis gravitati ac modestiæ conveniat; *a)*
b) *arma*, nisi fors ob itinerum pericula, aut defendendam in necessitate patriam, non gerant; *b)*
c) *comam* profane non alant, sed tonsuram & coronam deferant clericalem. *c)*

a) Concil. *Trident Sess. XIV. cap, 6. de reform.* Qua occasione *vestis talaris* a seculo VI. Clericis facta sit propria: vid. apud Thomassin. *cit. loc. P. I. lib. II. cap. 46. seq.* Conf. Paul a Rigger *P III. §. n. seq.* item Fleury *cit. loc. P. I. cap. V.*

b) Arma, nec ad sui, nec aliorum, aut patriæ defensionem necessaria, gerere adeo a mansvetudine, proin & ab honestate clericorum alienum putabatur, ut olim armati clerici, qui nimirum passim sicut laici, & milites armati incedebant, ex-communi-

communicati fuerint. *Cap. 2. de vit. & honest. Cleric.*

c) De origine *tonsuræ* & *coronæ* legatur Thomassin. *cit. loc. cap.* 37. Fleury *cit. mox loco* Si Gregorio *Turonensi de glor. Martyr. lib I. cap. XXVII.* fides haberi posset, tonsuræ clericalis origo ex Apostolico instituto repetenda esset. Quidquid sit: tanti momenti tonsura clericalis & habitus a sacris canonibus præscriptus videbatur semper, ut post Clementem V. *clem.* 1. *de vit. & honest. cler.* Synodus *Trident.* sanciverit: Clericos, qui passim vestibus utuntur laicalibus, atque clericales *abjecisse*, ac *parvi pendisse* argui possunt, si in *sacris* sint constituti, post primam monitionem Episcopi pœna *suspensionis*, in casu ulterioris contumaciæ pæna *privationis officiorum* & *beneficiorum* plectendos (*Sess. XIV. cap. 6. de reform.*) *minoristas* vero, carentes ecclesiastico beneficio, *fori privilegio* ipso facto privandos esse. *Sess. XIV. cap. 6. de reform.*) *minoristas* vero, carentes ecclesiastico beneficio *fori privilegio* ipso facto privandos esse *Sess XXIII. cap. 6 de reform* Num vero etiam *privilegio Canonis* excidant? disputant auctores; negativa præplacet Riggero *P III. ſ. 16.* contra P. Engel *tit. de vit & honest n.* 7. Plura circa habitum corooris per canones præscripta vid. *Causs. XXI q. 4. per tot. cap. 2. 4. 7. 15. de vit & honest. cler. Clem. 2. eod.*

3) Actiones statui suo, vel officio præjudicio futuras fugiant; atque ideo

a) a *venatione* saltem frequente, quæ contemtum aut negligentiam sacri muneris induceret, *d*)

b) ab officiis *militaribus*, & *curialibus*, *e*)

c) ab illis, quæ mores corrumpunt, *spectaculis*, *alearum*, similibusque *ludis*; *f*)

d) a

d) a *tabernis*, ac immoderatis *conviviis*, ebrietatis utique illiciis, *g)*

e) a negotiatione, mercatura, omnique *turpis lucri* ſtudio, *h)*

f) & ab omni cum *fœminis* converſatione, quæ incontinentiæ vel ſuſpicionem ciere poſſet, ſeveris canonum legibus prohibentur. *i)*

d) Plurima Clericos indecentia venationem comitantur (Fleury *diſſ. III. in hiſt. eccles.* §. 8.) quapropter ſevere *cap. 1. & 2. de cler. venat.* Concil. *Lateran. IV. can. 15. Trident. Seſſ XXIV. cap. 12. de reform.* prohibetur. At quæ *clamoroſa?* an *quieta?* utraque certe, dum per eam animarum cura detrimentum patitur; nec enim hujus diſtinctionis rationem habuit Concilium *Aquilejenſen* an. 1596. *Tom. XV.* apud Labæum *col. 1501.* dicens: *indignum eſt, ut qui paulo ante breviarium manibus tractabant, publice accipitrem deferant; qui cum Angelis in Eccleſia gratiarum actiones & laudes Deo perſolvebant, inter canum latratus & multitudinem verſentur, & incomtis obſtrepant vocibus.* Sine diſcrimine etiam loquitur S. Hieronymus *Pſal. 90. v. 3. Piſcatores invenimus ſanctos in ſcripturis ſanctis, ſed penitus non invenimus ſanctum aliquem venatorem.*

e) *Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſecularibus* II. ad Tim. II. 4. Adde *cap. 1. 2. 3. 4. 5. 8. 9 ne cler. vel monach.* Conf. Paul. a Rigger *cit. loc.* §. 24.

f) *Cap. 15. de vit. & honeſtat:* & recte quidem: quod enim ſpectacula, ludos theatrales adtinet, *magis Clericis convenit lugere, quam ad ſcurrilitates, & turpiloquia in cachinnos ora diſſolvere.* Concil. *Pariſin. VI. can. 30.* *Luſu* vero *alearum*, quo nomine non ſolum veniunt ludi *fortunæ*, ſed etiam

etiam *mixti* generis fortunæ nimirum & artis (S. Antoninus P. II. *tit. I c. 23.*) dilapidantur prodige superflua clericorum bona pauperibus debita. Quod cum de lusu *chartarum* quoque dici possit, sequitur: crassam sane illorum esse philosophiam, qui istum nullibi clericis interdictum reperiunt. Vid. Van Espen *P. I. tit. II. cap 5.*

g) *Cap. 14. & 15. de vit. & honest. Cler. Dist. XXXIV. can. 19.*

h) Distingue vero inter mercaturam *œconomicam*, & *negotiatoriam*; illa Clerico licet, quatenus unicum est medium necessariam sustentationem sibi comparandi *l. 8. cod. Theodos. de Episc. & Cler.* hæc autem sub pœna despositionis ab ordine, & gradu clericali (*can 4. Dist. XCI.*) excommunicationis (*cap. 6. ne cler vel monach.*) & amissionis privilegii clericalis quoad bona interdicitur. Concil. *Trident. Sess. XXII. cap. 1. de reform.*

i) Concil. *Trident. Sess. XXV. cap. 14 de reform.* Conf. *cap. 1. & 9. de cohabit. cleric. & mulier.* Gratian. *Dist. LXXXI can. 25.* quo ex mente S. Augustini suadetur etiam cohabitationem cum sorore vitandam esse, *quia*, ut ait, *fæminæ, quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.*

4) Officia vero status sui sedulo exequantur, ac proin

a) celebrationi divini officii, horis canonicis rite persolvendis, sacrisque ministeriis jugiter sint intenti;

b) orationi, meditationi, ac fidelium instructioni operam navent;

c) caritatis, ac misericordiæ operibus se ferventer impendant;

d) de-

d) decorem domus Dei promoveant:
e) ac ſint laboris, ſtudiorum ſacratiorum, ac ſolitudinis amatores. *k*)

k) Concil. *Trident. Seſſ. XXII. cap.* 1. *de reform.*

II. Eccleſia inſuper latina clericos omnes in majoribus ordinibus conſtitutos ad ſummam, a Chriſto & Paulo Apoſtolo commendatam, pietate primum ac conſvetudine obſervatam caſtitatem, ſi non prius, ſeculo ſaltem IV. adſtrinxit lege coelibatus *l*) Hujus legis

1) juſtitia ex eo liquet,

a) quod nec lege *divina naturali*, nec *poſitiva*, omnes ad matrimonium contrahendum obligentur; *m*)
b) nec quisquam ad ſtatum clericalem, quem lex iſta adficit, *cogatur*, ſed *plena* maneat cunctis, qui ſe continere aut non poſſe putant, aut non volunt, ab ordinibus abſtinendi *libertas*. *n*)
c) nec *tentationes carnis* ſupervenientes quemquam ab adſumta ultro continentiæ lege ſolvere poſſint, prout nec *conjugatos*, magis certe illis ſubjectos, a *fide conjugali* in quocunque caſu ſolvunt. *o*)

l) Pro clericorum cœlibatu magna argumentorum vi contendit Franc. Ant. Zaccaria Polemiſche Hiſtorie des heiligen Cölibats ꝛc. Brevius originem, juſtitiam, utilitatem, ac extenſionem legis hujus illuſtravit Paul a Rigger *cit. loc. P. III.* §. 28. *ſeqq.* Ex quo jam quædam de-

depromimus: 1) Errant, qui cœlibatum sacris ordinibus ipso *Dei præcepto* adnexum statuunt. Vid. Natal Alexander *hist. eccles. Sec. IV. diss 19.* 2) certissimum vero est, divinum Ecclesiæ Fundatorem perfectam castitatem non modo possibilem esse docuisse, verum etiam sequacibus suis eandem consuluisse. Math. *XIX. 4. 5. 6. 11. & 12.* idem exemplo Magistri sui fecerat Paulus *I. ad Cor. VII. 1. seqq.* 3) consilio huic ad amussim paruerunt *Apostoli* & primorum seculorum *clerici*, qui teste S. Hieronymo *lib. I. adver. Jovin & epist 50 adsumti in Apostolatum relinquunt officium conjugale*; & in Clerum adscripti *vel virgines, vel post nuptias continentes fuerunt.* Consentit in hoc Boehmerus *jur. eccles protest. tit. de cler. conjug. §. V.* alias legis cœlibatus adversarius. Nec contrarium probant verba Apostoli *1. Cor. IX Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi?* ut sufficienter ostendit Rigger *cit. loc. §. 32 & Schol.* 4) viguit hæc disciplina in utraque Ecclesia tum græca tum latina non interruptim saltem *consvetudine*, quæ tamen pro diversitate temporum & locorum variabat; nempe 5) continentiam primis tribus seculis SS. ordinibus *Episcopatui* videlicet *Presbyteratui*, & *Diaconatui* adnexam fuisse testantur Origenes *homil. XXIII. in lib. Numer.* Eusebius *lib I demonstrat. evangel. cap. IX.* Cyrillus *Hierosol. catech. XII.* S. Epiphanius. *hæres: LIX.* Num vero hæc adnexio cœlibatus ex *præcepto* Apostolico? num ex sola *imitatione* exempli Apostolici & *consvetudine* facta fuerit? disputant. Vid. Natal. Alexander *in hist. eccles. seculi IV. diss. XIX prop. 2. & 3* 6) idem in Oriente obtinuit; ut ex *Can. Apost. XXV.* Concil. *Ancyr. can. 10. Neocæsareen: can. 1. Gangrens. can. 4. Chalcedon. can 14* constat, solo hoc discrimine: quod usus conjugii dissimulatus fuerit illis, qui jam mariti in Sacerdotium adsumebantur. Dissimula-

mulationis hujus caussas recenset Zech *cit. loc.* *§. 46. 47.* 7) a seculo IV exstant in Ecclesia latina scriptæ leges perpetuam continentiam Episcopis, Presbyteris, Diaconis inculcantes. Rigger *§ 35.* circa clericos autem *minores* imo & *Subdiaconos* nihil adhuc primis V. seculis firmiter constitutum deprehenditur Zech. *cit. loc.* *§ 44 45.* 8) interim dissimulatione priorum temporum apud Græcos in favorem conjugalis consvetudinis magis erumpente (Zech *§ 48.*) in Occidente Gregorius M sec. VI. Leo M. pluraque Concilia continentiam ad *Subdiaconos* etiam extendere conantur haud felici satis effectu, donec tandem seculo XI. fluctuans circa Subdiaconorum cœlibatum disciplina terminaretur. Thomassin *loc. cit. cap 65. § 3. P. I. lib. II* 9) ab illo jam tempore, præprimis a Gregorii VII. Pontificatu inconcussa stat in *Ecclesia* præprimis *latina* ad cœlibatum Subdiaconorum quoque obligatio, quam non *ex præcepto* solum Ecclesiæ, verum etiam *ex voto* descendere defendit Coninck *de Sacrament: Disput. XX n. 130* ita ut omnis jam circa cœlibatum quæstio in eo versetur: an *juste?* an *utiliter* Ecclesia clericos perpetuæ castitatis lege & voto constrinxerit? vid. Rigger *§. 29.*

m) Consonat hæc propositio cum illa, quam Carolus Sardagna *Tom. III. Theologiæ dogmat. polem: Art. IV. §. 576.* plurimis argumentis defendit: nempe *lex continentiæ nec juri divino naturali, nec positivo repugnat;* quæcumque igitur pro hac militant rationes, illi quoque demonstrandæ servient. Adde: 1) obligationem ineundi matrimonii esse præceptum *affirmativum*, tale e. g. quale id est: *cole agrum, quia agricultura ad conservandum genus humanum est necessaria:* sed præcepta affirmativa non obligant, si non adest occasio illa adimplendi, vel si ex eorum nonobservantia majus oritur bonum 2) si

omnes jure divino naturali aut positivo ad matrimonium obligarentur: quæso, quomodo excusares ab injustitia Principes, qui ob Reipublicæ bonum plurimos militum, ad eum statum etiam coactorum, nuptiis prohibent? 3) *affirmantis esse probare:* at quæcunque hucusque protulere cœlibatus adversarii argumenta, splendida sane magis, quam solida non Theologis modo, verum etiam Politicis visa sunt. Conf. cit. Sardagna *cit. loc. §. 589. seq.*

n) Libere vero in id, quod salva divina, ac humana lege fieri potest, consentientibus injuriam haud inferri, notissimum est.

o) Quid! quod tentationes ejusmodi carnis rarius experiantur Clerici vocationis suæ memores, implendisque officiis status sui, quæ præcedente n. I. 4. indicavimus, indies occupati. Conf. *I. ad Cor. VII. v. 28. 32.*

2) utilitas inde elucet.

a) quod *ministerium divinum* indivisum cordis erga Deum amorem, ac summam animi, corporisque integritatem deposcat; *p)*

b) quod *cura animarum* in quibusvis, vitæ etiam propriæ, periculis intrepida vix cum anxia uxoris proliumque cura componi queat;

c) quod Clerici conjugati *æstimatio*, ac laicorum erga ipsum in sacro tribunali, aliisque animæ negotiis *fiducia* deficiat;

d) quod *bona ecclesiastica* aut familiæ alendæ haud sufficerent, aut ad usus non sacros, non levi rei spiritualis detrimento, distraherentur; *q)*

e) quod proin *Reipublicæ* etiam, & *Principum* quam maxime interſit, ut lex iſta conſervetur, ne de congrua non clerici ſolum, ſed & uxoris liberorumque ſuſtentatione providere bonis temporalibus amplioribus debeant. *r)*

p) Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. I. ad Cor. VII. Huic D. Pauli rationi inſiſtens Eccleſia Clericorum nuptias prohibuit, ne ipſi a divinis officiis & eccleſiaſticis miniſteriis retrahantur. Expreſſit hanc Eccleſiæ mentem claris verbis Alexander III. *cap. 12. de cler. conjug. in prima compilat. Decretal* apud Ant. Auguſt. item Gratian; *Diſt XXXI can, 1. 2. 4. 5. 6. ſequ.* Quare injurii in Eccleſiam ſunt ii, qui cœlibatus præcepti rationes unice ex motivis politicis, dominationem pontificiam apprime ſtabilituris, deſumtas eſſe contendunt. Conf. Rigger *§ 30. Schol.*

q) Agnovit id optime Juſtinianus Imperator *L. 42 cod. de Epiſc. & Cler.* ſcribens: *Etenim vix fieri poteſt, ut vacans hujus quotidianæ vitæ curis, quas liberi creant parentibus maximas, omne ſtudium omnemque cogitationem circa divinam liturgiam, & res eccleſiaſticas conſumat. Nam cum quidam ſumma in Deum ſpe, & ut animæ eorum ſalvæ fiant, ad ſanctiſſimas accurrant Eccleſias, & eis omnes ſuas facultates adferant, & relinquant, ut in pauperes & egenos, & alios pios uſus conſumantur, indecens eſt Epiſcopos* (aliosve animarum curatores) *in ſuum illas auferre lucrum, aut in propriam ſobolem & cognatos impendere. Oportet enim Epiſcopum, minime impeditum affectionibus carnalium liberorum, omnium fidelium ſpiritualem eſſe Patrem. Has igitur ob cauſas*

prohibemus habentem natos, aut nepotes ordinari Episcopum.

r) Conf. lib. Salisburgi an. 1784. editus Ueber den Cölibat der Geistlichen, und die Bevölkerung in katholischen Staaten.

3) Extensio.

a) Clerici in *minoribus* constituti contracto, a quo equidem non prohibentur, matrimonio ad beneficia *inhabiles* fiunt, hactenus possessa amittunt, fructusque prius perceptos restituere tenentur; *s*)

b) qui vero jam *majori* ordine initiati sunt, si matrimonium, *invalide* licet, contrahere adtentent, *excommunicationem latæ sententiæ* incurrunt, a beneficio *suspenduntur*, ad pœnitentiam adiguntur, fiuntque *irregulares* salva tamen Episcopis dispensandi facultate. *t*)

s) *Cap.* 3. & 5. *de cler. conjug*: Conf. Rigger cit. loc. §. 39. *seq.*

t) Conf. idem de Rigger § 43. *seq.* Circa eos, qui conjugali vinculo adstricti ad statum clericalem adspirant vid. *Dist.* XXXII. *can.* 2. *Cap.* 5. 8. *de convers. conjug*: De hodierna *Græcorum* circa cœlibatum *disciplina* sequentia notasse sufficiat: permittit nimirum Ecclesia Clericis suis jam ante ordinationem ductis uxoribus utendi potestatem (*Cap* 6 *de cler conjug*) præcipit autem simul 1) ut *sacerdos* antequam Missam celebret vel per *hebdomadam* vel per *triduum* ab uxore abstineat. (Benedict. XIV *bullar. tom. I. bulla LVII.* §. *VII. n* 28) 2) *Episcopus* post consecrationem suam non utatur conjugio prius contracto; 3) nec ullus

ullus *Clericus* in *majoribus* ordinibus, qui ad ordines cœlebs pervenerat, post susceptos eosdem matrimonium ineat.

§. III.

PRIVILEGIA CLERICORUM COMMUNIA.

I. Clericis ob sublimem officii sacri ac dignitatis gradum varia tributa sunt jura, ac privilegia, quæ

a) vel *personas* ipsas,
b) vel *res* seu *bona* clericorum concernunt. *u*)

u) Cum de immunitate *reali*, & *personali* in *genere* jam in P. I. cap. II. §. IV. actum sit, hic privilegia tantum *personarum specialia* subjungenda sunt.

II. Ut ab omni contra Clericum vel Monachum violentia abstineatur, cautum est a Concilio Lateran. II. & a *Canone* ibi lato dicitur Privilegium Canonis, *v*) quo

a) ne quis actione externa *graviter* injuriante Clericum *injuste* adficiat;
b) aut ad actionem similem malo animo *concurrat*;
c) sub *pœna excommunicationis latæ sententiæ* Pontifici reservatæ prohibetur. *x*)

v) Canonem refert Gratianus *Causs. XVII. q. 4. can. 29.* occasionem, qua editus fuit, vide in epitome hist. eccles. *Period. IV. §. 18.*

x) Cum gravitas injuriae aut injustitia non in omni Clerici percussione subversetur: non omnis etiam percussor hanc pœnam incurrit; ipsi jam Canones plures exceptiones admittunt *Cap. 1. 3. 10. 24. de sent. excommunicat.* Ceterum excommunicati Clerici percussores vitandi sunt sub pœna excommunicationis *minoris*, si de facta percussione *adeo notorie constiterit*: *ut factum non possit aliqua tergiversatione celari*, *neque aliquo juris suffragio excusari*. *Cap. 29. ibid.* Conf. Schenkl *§. 438. Schol.* 1. 2.

III. Ut porro Clerici quietius vacare suis officiis queant, exemti quoque a muneribus civilibus, servitiis, ac oneribus personalibus sunt per Privilegium servitiorum *y*) quo

a) a *militia*, nisi extrema necessitas urgeat; *z*)
b) a *publicis* & *curialibus* officiis civitatis; *a*)
c) a muneribus *sordidis* & *servilibus*;
d) a *censu capitis*, seu tributo personali immunes sunt. *b*)

y) Unde vero Privilegium istud Clericis competit? Distinguenda sunt civilia servitia, quae cum Clericorum officiis lege divina iisdem injunctis consistere possunt ab iis, quae clericalibus obligationibus directe opponuntur. Exemtionem a servitiis primi generis Principum liberalitati deberi P. I. cap. II. §. III. n. III ostendimus. At si servitia alterius sint generis, jure divino Clericos ab iisdem immunes esse, res ipsa loquitur. An enim vel cogitari potest, Christum Clericis obligationes quaspiam imponentem non simul iisdem jus ad ea dedisse, sine quibus impossibilis foret harum obligationum observantia? imo ne praeceptorum suorum efficacia ab hominum arbitrio pendeat, ademisse censendus est

Princi-

Principibus potestatem Clericos ad ea servitia adigendi, quæ cum honestate vitæ clericalis, & cum officiis eorum spiritualibus stare haud queunt. Atque de hoc servitiorum genere loquutos esse Pontifices & Concilia, ad quorum sententias provocant, qui immunitatem Clericorum juris divini esse volunt (vid. *P. I. cap. II. §. III. not. y*) verosimillimum est.

z) In extrema necessitate Clericis non debere alienam esse illam fortitudinem, quæ vel bello tuetur patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, quamque plenam justitiam appellat S. Ambrosius *lib. I. offic C. 17.* ostenditur passim 1) exinde, quod dignitas clericalis ab officiis erga rempublicam non absolvat; 2) quod, dum respublica ab interitu defenditur, ob arctissimum religionis cum salute civitatis nexum (*P. I. Cap. II. §. I*) servitium Ecclesiæ præstetur; 3) quod tute supponi possit, Principes immunitatem concedentes necessitatis casum exceptum voluisse. Confirmantur hæc verbis Gregorii *lib. VII. epist. 20.* in decretal. *cap. 2. de immunit. eccles.* quæ ita sonant: *Quia vero comperimus, multos se a murorum vigiliis excusare, sit fraternitas vestra sollicita, ut nullum nec per nostrum vel Ecclesiæ nomen, aut quolibet alio modo defendi a vigiliis patiatur, sed omnes generaliter compellantur, quatenus cunctis vigilantibus melius auxiliante Domino civitasis valeat custodia procurari.* Conf. Paul a Rigger *cit. loc. P. I. §. 448. Schol*

a) Quare exemti sunt a muneribus municipalibus, tutelis, curatelis, nisi quas sponte suscipiunt. *L. 2. & 6. item 52. Cod. de Episc. & Cler.* Conf. Zech *cit. loc. §. 57.* Per *§. XXIII.* Sanctionis pragmaticæ episcopalis Nissæ 1699. 26. Octobr. ad suscipienda ejusmodi munera facultas Vicariatus necessaria clericis est.

b) *Cap. 4. de censib. in 6. Clement. 3. de censib.* item *Auth.* nulla *C. de Episc. & Cler.*

IV. Clerici quoque ære alieno gravati, cui reddendo pares non sunt, gaudent Privilegio Competentiæ, quo

a) congrua ipsis sustentatio semper relinquitur;

b) nec carcere, aut alia, quæ statum clericalem contemtui exponeret, via ad solvendum compelluntur. *c*)

c) Varios adsignant Eruditi fontes, e quibus privilegium *Competentiæ* promanat; nempe 1) paritatem Clericorum cum militibus secularibus, quibus leges ob merita in Rempublicam id indulgent. *L. 6. 18 ff. de re judic. l. 7. ff. de castr. pecul. Cod. cit. Pruss. P. I. tit. XI § 680 seq.* 2) Capitulum 3. Odoardus *de solut.* 3) æquitatem, qua *non decet eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere.* ut ait Concilium, *Trident. Sess. XXI. cap 2. de reform.* Ceterum non eadem est ubique locorum quantitas, quæ Clerico ad congruam sustentationem relinquitur; speciales hac in re Principum leges potissimum adtendendæ sunt, Conf. cod. cit. Pruss. *P. II tit. XI. §. 1147.*

V. Tandem æquissimo Principum maxime, beneficio per Privilegium fori

a) a jurisdictione judicis laici in caussis *civilibus*,

b) & *criminalibus* communiter,

c) non

c) non tamen in caussa *feudali*, eorum judice feudali agenda, eximuntur; *d*)

d) explicari vero hæc immunitas ad diversos regionum mores, & limites ab ipsa Ecclesia positos debet. *e*)

e) Privilegio vero ipsi, in favorem totius Cleri dato, renuntiari a quoquam *nec per juramentum* potest. *f*)

d) Conferantur dicta P. I. *cap. II. §. III. n. IV. not. a*) Excipi vero ab hoc privilegio 1) caussas *feudales*. 2) aliquas *criminales* in casibus expresse per canones permissis docent. *cap. 6. & 7. de for. compet. cap. 10. de judic. cap. 25. 45. de sent, excom. cap, 1. do homicid. in 6.*

e) Mores, ac leges nostræ angustos eidem satis limites ponunt. vid. cit. Cod. *P. II. tit. XI. §. 536. seqq.*

f) *Cap. 12. & 18. de for compet.* Potest vero Clericus non modo hoc, verum & aliis privilegiis exui tum ob delictum jure expressum, tum ob conditiones, quas Ecclesia requirit, non observatas. Videatur Zech cit. loc. *tit. V. §. 64. seq.*

§. IV.

SUSTENTATIO CLERICORUM, ET BENEFICIA IN GENERE.

I. Beneficium ecclesiasticum jus dicitur perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis ob officium sacrum auctoritate ecclesiastica cum eo connexum. g) Eorum origo sequens est.

a) Primis IV. ſeculis ex cummuni oblationum maſſa Clericis ab Episcopo de congrua ſuſtentatione fuit proſpectum; *h*) b) ſeculo vero V. facta proventuum eccleſiaſticorum in quatuor partes diviſione Episcopo, fabricæ, pauperibus & Clero in commune adhuc viventi ſua portio obvenit: *i*) c) ſeculo VI. Beneficia parochialia ſenſim cœpere, cum ruralibus Presbyteris fundi quidam adſignarentur, qui primum quidem poſt eorum obitum liberæ Episcoporum diſpoſitioni relicti, poſtea vero ipſis parochiarum titulis innectebantur: *k*) d) tandem deſerta vita communi, diviſisque Episcopos inter & Capitula bonis, in eccleſiis cathedralibus, collegiatis, aliisque, Beneficia hodierna exorta ſunt. *l*)

g) *Beneficium* idem olim, quod feudum ſeu munus regium denotabat; (Du Fresne *gloſſ. lat. voc.* munus regium.) Apud Francos adpellatione beneficii veniebat omne jus utendi, fruendi bonis pro officio conceſſum; (Muratorius in *antiquitat. ital. diſſ. XI, col. 554.*) in utroque igitur jure, civili & eccleſiaſtico nomen Beneficii in uſu erat. Nunc vero quatuor characteres eſſentiam Beneficii abſolvunt 1) *officium ſacrum* ſeu ſpirituale: inde vulgatum illud, *Beneficium datur propter officium. Cap. 15 de reſcript. in 6* &, ut ait Concilium *Trident. Seſſ. XXI cap.* 3. *de reform*; *Beneficia ad divinum cultum, atque eccleſiaſtica munia conſtituta ſunt*; 2) jus *percipiendi fructus*, ipſi miniſterio eccleſiaſtico, quod in beneficio principale eſt, adnexum ſeu acceſſorium; 3) *perpetuitas* quæ tam

tam diuturna ſit, ac vita Beneficiarii; 4) *auctoritas Eccleſiæ*, ſeu Episcopi ſeu Pontificis, ut ex eorum manibus & ſacra munia, & poſſeſſiones a Clericis accipi videantur. Unde jam colligitur: 1) jus percipiendi fructus laicis competens, 2 penſiones, ex reditibus eccleſiaſticis cuipiam adtributas, 3) præſtimonias, ſeu ſtipendia ex iisdem ad alendos ſtudioſos, aut militos in bello ſacro detracta, 4) canoniam ſimplicem, 5) beneficia, quæ vocant, manualia, 6) vicarias temporales, ſeu adminiſtrationes beneficii curati, 7) Commendas temporales beneficiis proprie talibus accenſeri non poſſe. Qua ratione *Præbenda* a Beneficio differat, vid. apud Rigger *P. III. §. 92. Schol.*

h) Conf. *P. I. cap. II. §. IV. n. VII. not. c*)

i) Auctores diviſionis iſtius fuere Simplicius, & Gelaſius Pontifices relati in *Cauſ. XII. quæſt. II. can. 23. ſeq.* ad eam faciendam Adminiſtratorum avaritia, cupiditate, & oblivione Pauperum permoti. Quare autem *quarta* ſoli Episcopo obveniret? hanc rationem Gelaſius *epiſt. X.* reddit: quod ſcilicet peregrinos & captivos nobiliores excipere deberet. Ceterum an quadripartita hæc diviſio *arithmetice*, an *geometrice* accipienda fuerit, non ſatis liquet. Conf. Pehem cit. loc. *P. II. §. 130 Schol.*

k) Non Presbyteris ſolum, verum etiam aliquando laicis minuscula id genus prædia ex ſingulari neceſſitate, aut ob ſingularia perſonæ alicujus merita ab Episcopis concedebantur, ea tamen lege, ut Eccleſiam ſemper bonorum iſtorum dominam agnoscerent, ad quam etiam mortuo poſſeſſore cum omnibus acceſſionibus & ſtatu meliore revertantur. Inde vero deducitur 1) res eccleſiaſticas diſpenſandi poteſtatem, facta etiam earum diviſione, manibus Episcoporum non excidiſſe;

disse; 2) quia ejusmodi prædia Presbyteris concessa non nisi gravissimis de caussis & rarissime ante eorum mortem revocabantur, non immerito asseri, primam beneficiorum proprie talium originem ad seculum VI. referendam esse. Conf. Thomassin cit. loc. *P. III. lib II, cap. 14. seq.* Symachus *P. epist. V* apud Gratianum *causs. XVI. quæst. I. can. 61.* 3) mutationes circa beneficia postea non leves evenisse, antequam eam, quam nunc habent formam, obtinuerint. Ac ita est sane: jam sub seculi IX. exordium Episcoporum auctoritas non nihil labefactari cœpit, quandoquidem ea non adtenta prædia in Clericos & Canonicos, Xenodochia, & templorum fabricam transferri cœperunt; quin Clerici, qui forte in demortuorum locum venerant, novis precibus Episcopos pro redditibus adirent, aliunde se fundatam intentionem ad percipiendos proventus intra fines suarum parochiarum provenientes habere credentes, idque inter jura titulis parochiarum adnexa referentes, quod nuper personale dicebatur. Van Espen *J. E. P. II. Sect. III. tit. 1*

l) Vid. *P. I. cap. I. §. VIII n. II. lit. c. not. s).*

II. Species beneficiorum:

a) alia sunt *qualificata*, vel *duplicia*, quæ dignitatem, officium speciale, aut curam animarum adnexam habent; sin; *simplicia; m)*

b) alia *majora*, quibus jurisdictio sacra propria, & in foro etiam externo adjuncta est; quæ illa carent, *minora; n)*

c) alia *electiva*, quæ per plurium suffragia, & Superioris confirmationem, aut *collativa*, quæ ex Prælati arbitrio conferuntur: *o)*

d) alia

d) alia *mixta* aut *patronata*, quæ Prælatus ad Patroni præſentationem, vel nominationem confert:

e) alia *ſecularia*, quibus Clerici ſeculares, vel *regularia*, quibus regulares præficiendi ſunt, *p*)

f) alia demum *compatibilia*, quæ in eadem perſona conjungi poſſunt, vel quæ nequeunt, *incompatibilia*. *q*)

m) Ad *ſimplicia* in regula referuntur *Canonicatus* eccleſiarum cathedralium, & collegiatarum, nec non *capellæ*, & *capellaniæ* perpetuæ; ad *duplicia* vero *Præpoſituræ*, *Decanatus*, *Archidiaconatus* & alia Vid. Van Espen *P. II. Sect. III. tit. I, cap. 4.* Quæ curam animarum adnexam habent, *curata*, nomine alio, compellantur.

n) Si cum Riggero *P. III. §. 104* Dignitatem a Perſonatu discernamus, illamque jurisdictionem quandam externam beneficio adhærentem dicamus: omnia ea beneficia, quæ præced. *lit. a. not. m*) ob adnexam iisdem dignitatem qualificata ſeu duplicia vocavimus, inter majora referri debebunt, ſiquidem jurisdictio non vicaria ſolum & delegata ſed *propria* fuerit: illudque unicum inter beneficia ob adhærentem iisdem dignitatem, qualificata, & majora discrimen erit, quod illa jurisdictionem *externam* ſive vicariam & delegatam, ſive propriam, iſta vero *propriam* adjunctam habeant.

o) In Germania itaque Episcopatus, Abbatiæ beneficia *electiva* ſunt. Vid. Prolegom. *cap. II. §. II. n. II lit. a*) *n. III. lit. b*)

p) Beneficium *regulare* aut ex natura ſua regimen monaſticum requirit, uti Abbatia, Prioratus; aut tale regimen ex natura ſua non exigit, ſed

tamen

tamen fundator specialiter ordinavit, id a Regulari regendum esse; aut demum ex seculari, præscriptione quæ ad minimum 40 annorum esse debet cum possessione continua & pacifica regulare evasit. Cum voluntas Fundatoris, & præscriptio res facti sint, facta vero non supponantur, sed probari debeant; sequitur, asserenti beneficia ex natura sua regimen monastiçum non exigentia esse regularia probationem incumbere, atque in dubio præsumi debere ejusmodi beneficia secularia esse.

q) *Incompatibilia* rursus dividuntur in ea, quæ *primi*, & ea, quæ *secundi generis* vocantur: *illa* sunt, quorum tanta est invicem dissensio, ut ad secundum accedere non possis, quin hoc ipso vacare primum incipiat; ejusmodi sunt duo curata, duæ dignitates, duo personatus, imo curatum etiam unum cum dignitate sive in eadem sive in diversis ecclesiis; quin duo etiam uniformia, licet sint simplicia, sub uno tecto existentia, i. e. in una ecclesia; *hæc* vero, quorum societas quidem non potest subsistere, attamen secundi pacifica consequutione priore non continuo ipso jure possessor excidit. Omnem hanc incompatibilitatem ex triplici fonte derivant 1) ex obligatione *residentiæ*; 2) ex *servitio* uno eodemque tempore præstando: 3) ex *sufficientia* sustentationis, quam vel unum beneficium præbet. Pluralitas beneficiorum, incompatibilium præprimis, gravissimis rationibus interdicitur. Vid. Rigger *cit. loc. P. III. §. 110.* item Concil. *Trident Seß. XXIV. cap. 17. de reform.* Sunt tamen, qui Pontifici Romano jus super eadem dispensandi vindicant, dummodo caussæ a S. Thoma *lib. IX. quæst VII. art. 11.* explicatæ circumstent: nempe *Necessitas vera*, non ficta; ecclesiæ *Utilitas*; & *mens fundatoris* non contraria. Conf. Concil. *Trident. cit. loc.* add. *Seß. VII cap. 2. & 4. de reform.* item Zech de jure rerum

Sect III. tit. VIII. §. 108. seqq. & cit. Cod. Pruss. *P II tit. XI. §. 115. seqq.*

III. Erectio beneficiorum fieri debet

a) *legitima* Superioris ecclesiastici, quoad cathedralia, aut his majora Pontificis, quoad reliqua, Episcopi *auctoritate*; r)
b) ex *fine* & *intentione* cultus divini, aut salutis animarum; s)
c) per *dotem sufficientem*, t)
d) in *loco* congruenti,
e) & cum eorum quorum interest, *consensu*. u)

r) Vid. *P. I. cap. I. §. I. n. V lit. b) not a)* item *cap. 9: de vit. & honest. cler.* Trident. *Sess. XXV. cap. 3 de regular.*

s) Beneficium datur, inde & erigitur propter officium. Conf *definit præced: n. I*

t) *Cap. 8. de consecr. eccles. cap. 3. de eccles. ædif.*

u) *Cap. 36 de præbend.*

IV. Provisio, seu modus, quo quis canonice ad beneficium promovetur, perficitur

1) per *designationem personæ*, quæ fieri potest

a) vel per *electionem*, seu plurium suffragia;
b) vel per *nominationem* seu sententiam unius personæ;
c) vel per *præsentationem*, qua persona designata, illi, qui beneficium confert, instituenda proponitur:

 a) *col-*

2) *collatione tituli*, seu juris beneficii;

3) *introductione* in possessionem beneficii. *v)*

v) Infra fusior horum explicatio occurret; conf. interim *cap. 17 de præb. in 6.*

V. Beneficium generatim conferatur

1) non nisi vacans, *x)* ubi

a) id, quod de *jure tantum* vacat, seu possidetur equidem, sed sine legitimo titulo, alteri, cognita tamen prioris possessoris causa, conferri potest: *y)*

b) quod de *facto tantum* vacat, seu cujus quis titulum, sed absque possessione tenet, adeo conferri alteri nequit, ut præter *nullitatem actus* id scienter acceptantem a communione Ecclesiæ pellendum, & ad idem beneficium, si deinceps etiam legitime vacaverit, sine dispensatione haud admittendum canones decreverint. *z)*

c) quod vero de *jure* simul & *facto* vacat, conferri non potest solum, sed & debet. *a)*

x) Idque ideo: ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium se crediderit successurum. *Cap. 2. de concess. præb. & eccles. non vacant.* Quapropter lege Concilii *Trident. Sess. XXIV. cap 19 de reform* abrogatæ sunt, & *nullæ* ac *irritæ* declaratæ *Expectantiæ*, seu concessiones beneficii vacaturi: excipiuntur tamen 1) *Coadjutoriæ* in ecclesiis cathedralibus, & regularibus; *P. I. cap. I. §. VII. n. III* quibus aliqui 2) addunt canonicos *domicellares*, seu in herbis, qui jam in canonicorum ordinem inducti præbendam proxime vacantem præstolantur. Sed enim

enim si verba canonum, ait Pehem *cit. loc. P. II. §. 174.* eorumque mens & ratio animo præjudiciis vacuo perpendatur, nullus superest dubio locus, quin id genus Canonicorum probari haud queat. At saltem valebunt *promissiones* beneficii vacaturi *indeterminati*? aut scriptura vel juramento firmatæ? — Equidem tolerantur illæ in *cap. 14 de concess. præbend.* Sed reprobantur jure posteriore, & prioris derogatorio, decreto nimirum Bonifacii VIII. *cap. 2 de concess. præbend. in 6* juramento etiam firmatæ, quod contra bonos mores præstitum haud est obligatorium *Cap. 58 de reg. jur. in 6.* Num Summi etiam Pontificis potestas his juribus quoad Germaniam saltem, ligetur, ex Concordatis Germaniæ definiendum est. Vid. Zech *cit. loc.* §. 124.

y) *Cap. 28. de præbend. in 6.*

z) *Cap. 1. 2. 7 de concess. præbend. & eccles. non vacant: Cap. 4. de donat.*

a) Quot modis vacantia hæc beneficii contingere possit, vid. apud Zech *cit. loc.* §. *124.* Debere id genus beneficium conferri, ratio est: quod longior ejus vacatio cultui divino, saluti animarum, ipsique fundatorum menti præjudiciosa sit.

2) Non nisi digniori *b*) qui nempe

a) illis ornatur dotibus, quas *jus commune*, sive statuta ecclesiarum *particularia* requirunt;

b) & qui consideratis omnibus Ecclesiæ *utilior* futurus creditur. *c*)

b) Indigno si beneficium conferatur, nemo negaverit, nullam esse collationem Conf. *Cap. 22. de elect. & cap. 7. 14. eod. in 6. cap. 1. de instit. in 6. cap.*

6. cap. 7. de cler. excom. Dignus igitur ſit oportet, & inter plures dignos dignior, qui beneficium obtineat: *omnia enim jura clamant, ut meliores, & ſanctiores eligantur*, ait Fagnanus ad *cap. 8. de conſuetud. n. 19.* Ceterum indulgent, jura humana validam eſſe beneficii collationem, ſiquidem neglecto meliore *dignus ſaltem* beneficium obtineat, ſecus enim omnis collatio calumnias, lites, & controverſias poſt ſe traheret, nemoque beneficium acceptare poſſet, quoniam ſe ipſum citra notam ambitionis digniorem æſtimare nequit.

c) Seu ut Concilium *Trident. Seſſ. XXIV. cap. 18 de reform.* ſapientiſſime monet: *qui ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem eccleſiam gubernandam oportunis ceteris magis idoneus judicatus eſt.* Hæc præſcripta ad Patronos eccleſiarum, qui ad beneficia præſentant, quam maxime pertinere, res ipſa loquitur. At utinam non doceret experientia, mores a ſaluberrima hac doctrina frequentiſſime diſcedere, *ipſaque beneficia hominibus, non homines beneficiis dari!*

3) Canonice, ſeu ſecundum præcepta Canonum; id eſt:

a) *gratuito*, absque ſimonia;
b) *libere*, absque coactione;
c) *abſolute*, & determinate;
d) *integre*, ſine diminutione;
e) & *definito tempore. d)*

d) De tempore, intra quod ſingulæ beneficiorum ſpecies conferri debent, ſuo loco dicetur; liberam, & abſolutam debere eſſe beneficii collationem docet *cap. 2. de his, quæ vi &c.* & *cap. 3. de elect.* in

in 6. Conf. Concordati Calixtini tenor in Prolegom. *cap. II. §. II. n. II.*

§. V.

MODI PERVENIENDI AD BENEFICIA MAJORA.

I. Modi, quibus beneficiis *majoribus*, si vacaverint, providendum eſt, a jure eccleſiaſtico probati, ſunt ſequentes: nimirum

a) Electio, ſeu vocatio perſonæ idoneæ ad prælaturam eccleſiaſticam per eos, qui jus ſuffragii habent, canonice facta, & a Superiore eccleſiaſtico regulariter confirmanda:

b) Poſtulatio, ſeu petitio a capitulo, vel alio jus nominandi habente ad Superiorem directa, ut is perſonam impedimento canonico, diſpenſari tamen ſolito, laborantem ad prælaturam eccleſiaſticam admittere velit: *e)*

c) Nominatio regia, qua Princeps perſonas prælaturis eccleſiaſticis præficiendas deſignat, ſalva tamen Eccleſiæ eas confirmandi, & ordinandi facultate:

d) Translatio, qua Prælati eccleſiaſtici ab una eccleſia ad alteram canonice transponuntur.

e) Poſtulatio ita definita *ſolennis* eſt; alia *minus ſolennis*, ſeu ſimplex dicitur, qua conſenſus Superioris, in electionem canonicam ſui ſubditi, nullo impedimento laborantis, exquiritur, quæ

proin ad regulas electionis componitur, de qua mox.

II. Circa electionem igitur hæc præcipue notanda ſunt:

1) ratio, qua electio ad capitula devenerit? *f*)

a) Compoſitis illis, quæ ob inveſtituras per baculum & annulum orta ſunt, transactione calixtina diſſidiis, clerus & populus circa electiones Episcoporum redditus ſuo juri eſt; *g*)

b) poſtea eccleſiarum cathedralium Canonici, qui alias majoris momenti negotia cum ſuis Episcopis pertractarunt, ſibi ſolis quoque jus electionis, tacentibus ceteris, vindicare cœperunt, Pontificum dein, ac Principum ſanctionibus ipſis ſtabilitum: *h*)

c) at amaris denuo tum ob *Regum interpellationes*, tum *Pontificum reſervationes* Sacerdotium inter & Imperium exortis jurgiis, jus denique iſtud per Concordata Germaniæ capitulis reſtitutum eſt. *i*)

f) De variis conſtituendorum Episcoporum ab origine Eccleſiæ usque ad initas transactiones inter Sedem Romanam & nationem præſertim Germanicam viciſſitudinibus in Prolegom. *cap. II. §. II*, actum eſt Conf. etiam hac de re Pehem *P. II*, *§ 179 ſeqq* Hic loci de illis viciſſitudinibus agendum ſupereſt, quas eligendorum Episcoporum ratio a Concordati Calixtini ætate ad noſtra usque tempora experta eſt.

g) Vid Transactio Calixtina in *concordat. nation. german. integr. tom. I. p. 34. ſeq.* Supponebat id

id Gregorius VII, pro libertate electionum constantissime pugnans, ut legitimum *lib. I. epist.* 35. hujusque principiis Transactio Calixtina superædificata fuit.

h) Jus illud seculo XIII. ad capitula transiit, populo vel ideo prærogativam transactione Calixtina sibi restitutam non reclamante, quod eandem regiis nominationibus antea adsvetus non admodum cordi habuerit. Conf. *tit. de elect. & post. prælat.* item aurea bulla Friderici II. *de libert. eccles. de an. 1213.*

i) Exceptis quibusdam casibus Pontifici reservatis; quoad reliquos vero ipsa eligendi libertate ad alia quoque collegia ecclesiastica, & regularium conventus extensa. (Vid. *Concordat tenor.* in Prolegom. *cap. II. § II n. III.*)

2) Quinam voce activa gaudeant?

a) Jure *communi ordinario* omnes & soli Capitulares *k*) qui proin & omnes vocandi sunt: *l*) *cedere* tamen juri suo, aut *legitime* impediti *Procuratorem* constituere possunt. *m*)

b) Jure *extraordinario*, privilegii Pontificis, vel ex lege *fundationis*, aut *unanimi Consensu* Capitularium, *præscriptione* &c: etiam extranei. *n*)

k) Canonici *capitulares* dicuntur, qui votum & sessionem in capitulo (*P. I. cap. I. §. VIII. n. II. not. q*) habent; ab his differunt *domicellares* voto & sessione in capitulo eousque non gaudentes, donec post aliorum capitularium obitum in eorum locum subrogentur.

 l) Cap.



l) *Cap.* 42. & 28 *de elect.* Si eorum vel unus non vocatur, de contemtu agere potest ad rescindendam electionem *Cap.* 38. 36. *de elect*

m) *Cap.* 42. §. 1. *de elect.* Procurator unus *ex Capitulo*, vel si Capitulum consenserit, *etiam extraneus*, *Clericus* tamen constituendus est, modo absens de justo impedimento jurisjurandi religione, capitulo id exigente, fidem faciat. Imo plures etiam constituere procuratores fas est, ast singulos in solidum, non quidem ut omnes suffragentur, sed ut admittatur, qui reliquos praevenerit, quique a majore parte capituli delectus fuerit, aut prior in litteris mandantis nominatus *Cap* 42. *de elect. Cap.* 46. *ibid. in* 6. Cum autem Capitularium quis alterius quoque nomine eligit, non potest ancipiti conscientia dividere suffragia in diversos, sed debet & suum, & Principalis conferre eidem personae, nisi de certa persona eligenda dederit sibi Dominus speciale mandatum. *Cap.* 46. *ibid. in* 6. Per litteras autem fas non est mittere suffragium; *cit cap.* Conf. Lakics *praelection. canon. de legit Episcopor. instituend. & destituend. ratione* § 31.

n) *Cap.* 40. *de elect. cap.* 8. *de consvetud. cap.* 3. *de caus. possess in fine cap.* 1. *de praescript. in* 6. Conf. Zech *de hierarch. eccles.* §. 211.

3) Quinam eligere nequeant?

a) *Laici* omnes; *o*)
b) innodati *Excommunicatione majori*, *suspensi* a jure Capituli, personaliter *interdicti*, aut in loco *interdicto* temerarie celebrantes; *p*)
c) nondum *Subdiaconi*, nisi contraria obstet consvetudo; *q*)

d) *ab-*

d) *absentes* sine legitima caussa, *indignum* eligentes, vel postulantes, aut formam præscriptam non servantes, — pro *una vice*; r)
e) Regulares *proprietarii* per *biennium*; s)
f) Religiosi *mendicantes*, qui ad ordinem non mendicantium transierunt in *perpetuum*. t)

o) *Cap. 51. & 56 de elect.*

p) *Cap. 16. & 39. ibid. Cap. 18. §. un. de sent. excomm. in 6.*

q) *Clement. 2. de ætat. & qualit. ord. Concil Trident. Sess XXII cap. 4. de reform.* Conf. Neller *de sac. elect. processu §. 2 n 4.*

r) *Cap 1. 2 de postulat. cap. 41. 42. de elect. cap. 42. eod. tit in 6.*

s) Concil *Trident Sess XXV. de Regular. cap. 2.*

t) *Clement. 1. de Regular.* Huc *discretione carentes, mente captos furiosos* referri sponte sua intelligitur; idem de *juris infamia* notatis passim perhibent scriptores auctoritate *capit: 87 de Reg Jur. in 6.* permoti At negat idem fieri oportere Nellerus in *dissert. de sacræ elect. processu § 2. Q. ad num. 4.* tum quod nuspiam hujusmodi aliquid in jure expressum sit, tum quod infamia ab honoribus quidem suscipiendis, non item ab iis conferendis arceat.

4) Dotes eligendorum.

a) *Fidei morumque* integritas;
b) *ætatis* maturitas;
c) *scientia* litterarum;
d) ordo *Subdiaconatus* ab illis, qui ad Ecclesiam cathedralem adsumuntur, jam ante *sex*

menses susceptus; reliqui vero ita sint comparati, ut intra annum sacerdotio initiari queant;

e) *professio religiosa* in eo ordine facta, in quo quis ad Prælaturam regularem promovendus est. *u)*

u) Cap. 7. de elect. Concil. Trident. Sess. XXII. cap. 2. & Sess. XXIV. cap. 12 de reform.

5) Quinam voce passiva destituantur?

a) *Irregulares* omnes; *v)*

b) *simoniaci*, pecunia etiam ipsis nescientibus, modo non in fraudem aut odium, ab aliis oblata; *x)*

c) plura beneficia *incompatibilia* sine dispensatione retinentes; *y)*

d) Regulares *proprietarii*; *z)*

e) *excommunicati* excommunicatione etiam *minore*, *suspensi* ab officio vel beneficio, personaliter *interdicti*, vel interdictum *locale*, aut *personale* violantes; *a)*

f) in electionem sui, *per abusum secularis potestatis* factam, aut alias, *antequam* eligerentur, *consentientes*; *b)*

g) *indigni*, vel *minus digni*; *c)*

h) *indignum* scienter eligentes *per triennium*, *d)*

v) Conf. *huj cap. §. 1. num. II. seq.*

x) Cap. 59. de elect. cap. 27. & 33. de simon Excipitur quoque casus, ubi sciens offerri pretium *constanter & expresse* contradixit.

y) Conf *praeced. §. IV. n. II. not. q)*

z) Concil.

z) Concil *Trident Seſſ. XXV. cap. 2. de Regular.*

a) *Cap. 7. & ult. de cler. excomm. cap. 8. de conſvet.*

b) *Cap. 20 de elect. cap. 26. de jur. patron. cap. 46. de elect.*

c) Conf. *præced. §. IV n. V. 2. not. b)* quæ enim ibidem de indignis beneficiatis dicta ſunt, de electis quoque indignis valent. Nimirum 1) *irrita* eſt *electio indigni* ſive indignitas ex defectu, delicto aut cenſura (excepta minore excommunicatione, ubi electio expreſſe *irritanda* dicitur *cap. fin. de Cler. excomm.*) oriatur, pro *foro utroque*, & ipſo jure, etſi electio ſolum prohibeatur, nec verbis expreſſis irritetur: lex etenim prohibens in regula ſimul eſt irritans vid. præcognit. *cap. I. §. V n. I. 3 not. r)* 2) Inter dignos *digniorem* quidem adſumi jubent Canones uti Concil. *Trident. Seſſ. XXIV. cap. 1. de reform.* at non eo effectu, ne valeat digni electio, ſed ut eligentium oneretur conſcientia de digniore quantum fieri poteſt, eligendo. 3) Indignis accenſendus non eſt *extraneus* ſi *utilior* Eccleſiæ futurus videatur. *Cap. 1. de elect.* Ceteris tamen paribus eligendus potius aliquis eſt ex gremio Eccleſiæ. *Can. 12 13. 16 Diſt. LXI. can. 19. Diſt. LXII. cap. 41. de elect.*

d) Plura hac de re vid. apud Zech cit. loc. *§. 212. ſeq.*

6) Adjuncta electionis.

a) *Præparatio* electionis fit terminum electionis capitulari conſenſu definiendo, eumdem Superioribus, ac illis, qui præſidii, vel Commiſſarios mittendi jure pollent, intimando, e) & omnes, qui jus eligendi ha-

habent, per litteras ad absentes singulos missas, *f*) & edictali citatione valvis Ecclesiæ adfixa invitando.

b) *Tempus* electionis ad Ecclesiam cathedralem, vel regularem *trimestre*, ad alias inferiores *semestre* a die notæ vacationis determinatum est. *g*)

c) *Locus* decens sit, & regulariter intra vacantis Ecclesiæ ambitum, plerumque in *conclavi capitulari* constituitur, ubi celebrata prius Missa de Spiritu sancto, & electoribus S. Synaxi refectis, cetera in canonibus præscripta exacte observanda sunt. *h*)

e) Vi Codicis cit. Pruss. *P. II. tit. XI §. 982.* competit Principi jus electionem per *Commissarios* dirigendi; eidem igitur etiam terminus electionis intimandus est.

f) Eodem Cod. *cit. loc. §. 966.* dicitur, sufficere ad citationem, dum litteræ, quibus absentes invitantur, ad consvetum eorum domicilium, aut curiam missæ sunt. Sed enim particularia locorum statuta hac in re adtendenda sunt.

g) Ratio est: ne pro defectu Pastoris gregem dominicum lupus rapax invadat; aut in facultatibus suis Ecclesia viduata grave dispendium patiatur. Quodsi intra tempus istud (justo impedimento cessante) electio celebrata non fuerit, privantur electores ea vice eligendi potestate. *Cap. 41. de elect.* Conf. Cod. cit. *loc. cit. §. 979.*

h) *Cap. 14. 28. 30. de elect.* De ceteris sive remotius, sive proxime ante electionem observandis legatur Lakics *cit. loc. §. 38.* item Zech *cit. loc. §. 215. seqq.*

7) For-

7) Forma electionis *triplex:* nempe

a) Scrutinii, cum præsentibus omnibus electoribus tres scrutatores de collegio adsumti vota singulorum sive *viva voce*, sive *scripto* danda colligunt, votisque numeratis *in communi* publicant, tot esse suffragia, quot electores, & facta collatione ille, in quem *absolute major* pars, quæ hodie & *sanior* reputatur, consenserit, capitulo primum, mox & aliis ex loco publico ceu legitime electus denunciatur. *i*)

b) Compromissi, quando unanimi eorum, qui jus eligendi habent, consensu uni pluribusve eligendi potestas vel *absolute* vel *limitate* seu sub certis conditionibus relinquitur, qui *compromissarii* vocantur; tunc per horum vota *absolute majora* definitur electio, & ab uno, communi compromissariorum nomine promulgatur. *k*)

c) Inspirationis vel *vere talis*, si Deus ipse signo manifesto eligendum designaret, vel *præsumto*, cum electores, nullo tractatu prævie habito, in eandem personam uno ore consentiant. *l*)

i) Hæc eligendi ratio usitatissima est; utque præscripto modo omnia paragantur, exposcit 1) ut eligantur *Scrutatores* electione nullis solennitatibus adstricta, ac proinde etiam publica; 2) ut isti suffragia sive viva voce data, sive in chartam conjecta *secrete*, *singillatim*, *diligenter* colligant, *Cap. 42. de elect. Secrete* a Scrutatoribus vota exquirenda sunt, ne palam fiat, quem quisque suffragio suo honorarit. *Diligenter*, ne nimirum

nimirum quispiam ex electoribus aut suam schedalam in urnam demittere negligat, aut in eandem plures schedulas demittat. *Singillatim*, ut vota viva voce edita scripto excipi possint, ne in oblivionem abeant. Ceterum usitatius est, ut *scripto* vota dentur, ac electiones quidem Regularium, Abbatum, Generalium, & Abbatissarum per vota secreta fieri Synodus *Trident.* conceptis verbis præcipit, aliterque facta electiones *irritas* esse statuit. *Seff. XXV. cap. 6. de regular.* 3) ut ipsi scrutatores a se ipsis mutuo excipiant suffragia, & quidem si per schedulas vota eduntur, nihil interest primo an postremo loco suffragia sua in urnam demittant. Contra est, si viva voce id fiat, ut ne enim in eorum sit potestate, votis suis vim electionis elevare, primus ante omnia a reliquis scrutatoribus vota excipit, hique rursus a primo; 4) ut vota examinent, num nimirum sint *certa* & *categorica*; quodsi enim *alternativa*, aut *conditionata*, aut *incerta* fuerint, pro non adjectis habenda sunt, iique, qui eo modo elegerint, pro ea vice jure eligendi priventur. *cap. 2. de lect. in 6.* 5) ut suffragia numerent, utrum nempe eorum numerus electorum numero congruat. Nam alioquin comburendæ sunt schedulæ, atque aliud scrutinium instituendum. Cod. cit. Pruss *cit. loc.* *§. 985.* 6) ut scrutinium publicent, seu personas exprimant, quæ suffragia meruerint, minime autem quot, qualesve personæ huic, illive faverint. Publicatio eam habet vim, ut mutandæ voluntatis potestas electoribus adempta censeatur. *cap. 58. de elect.* 7) ut vota inter se conferant eo ex fine, ut adpareat, in quem omnes, vel major, vel sanior pars capituli consenserit. *cap. 42. de elect.* Est vero *collatio*, votorum si jus spectes, *triplex:* numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum. 8) ut denum illum, in quem major pars consenserit,

ceu

seu legitime electum pronuntient. Volunt quidem canones, ut legitima habeatur electio, & *saniorem partem* consensisse. *cap* 57. *de elect.* At cum, quæ fuerit sanior, difficulter judicari possit, in usu partis duntaxat majoris haberi solet ratio. Sunt autem vota vel *absolute majora*, cum scilicet habita ratione totius capituli major eligentium numerus consentit: aut *respective* quæ, ut verbis utar *cap.* 48. & 50. *licet majorem partem faciunt partium comparatione minorum, non tamen ad majorem partem capituli pervenerunt.* Ad legitimam electionem *absolute major* pars votorum requiritur, exceptis casibus quibusdam extraordinariis, de quibus vid. *cap.* 40 53. *de elect. cap.* 22. *eod. tit.* Conf. Schenkl. §. 476. *Schol.*

k) Quando per scrutinium, repetitum etiam, absoluta votorum majoritas obtineri haud potest, adhiberi plerumque *Compromissum* solet, circa quod præscribunt canones 1) omnes nemine dissentiente in hunc eligendi modum consentire oportere. *Cap.* 29. *de reg. jur. in* 6. 2) nihil referre, in unum aut plures consentiant. *Cap.* 8. & 40. *de elect.* dein 3) ejusdem sint collegii, an extranei compromissarii modo sint *ex numero Clericorum. Cap.* 8. *de elect.*, qui 4) leges compromissi exacte observent, siqui lem electionem velint subsistere. *Cap.* 32. 52. *de elect. cap.* 29. *eod. in* 6. modo nihil contineant in fraudem formæ a canonibus præscriptæ. *Cap.* 23. *eod. in* 6. 5) Si plures sint compromissarii, nec limitata eorum potestas, possunt isti aliquem ex se ipsis eligere, & ab aliis electus potest suo suffragio electionem complere. *Cap.* 33. *de elect.* 6) Sæpissime tamen adhibetur scrutinium *mixtum* compromisso, ut compromissarii teneantur secreto exquirere vota omnium, & eum eligere, in quem major & sanior pars capituli consenserit. *Cap.* 23. 29. *de elect. in* 6. Quo in casu ea, quæ in scrutinio servanda sunt, etiam in compromisso adhibenda

erunt

erunt. 7) Quodsi indignum eligant compromissarii jus eligendi ad compromittentes revertitur. *Cap. 37. eod in 6.* 8) Exspirat compromissum instar mandati vel *per revocationem*, re adhuc integra, id est, cum compromissarii ad ipsum electionis actum nondum processerunt, factam, *cap 30 de elect* vel per *lapsum temporis* a capitulo aut a jure præscripti. *Cap 41 eod*: vel per *electionem peractam*, etsi effectum non sortiatur. *Cap. 37 de elect in 6.* vel demum *morte unius* ex compromissariis, eo quod non in singulos, sed in omnes compromitti soleat. 9) Electio per compromissum facta promulganda est ab uno communi compromissariorum nomine. *Cap. 21. de elect in 6.* Conf. cit. Cod. Pruss *cit. loc. §. 992. seqq.* Ceterum quoniam duplex hæc forma in ecclesiis *viduatis* observanda præcipitur (*cap. 42 de elect.*) communi interpretum doctrina invaluit, ut solennitates hactenus recensitæ ad eorum Prælatorum duntaxat electiones pertinere censeantur, qui ob vinculum quasi conjugale cum Ecclesia spiritualiter contractum (*cap. 4 de translat. Episc. cap. 21 de elect.*) sponsi Ecclesiæ dicuntur, quorumve morte Ecclesiæ remanent viduatæ, & sine pastore. Quare observanda est hæc forma in electionibus 1) Episcoporum: 2) Abbatum; & Prælatorum regularium, qui Monasteria obtinent in titulum perpetuum: 3) Prælatorum præcipuorum Ecclesiarum collegiatarum, qui in spiritualibus generali præditi sunt jurisdictione in iisdem Ecclesiis; non autem 4) in electionibus superiorum regularium etiam generalium, qui perpetui non sunt, servata tamen forma a Concilio *Tridentino* præscripta *Sess. XXV. cap. 6 de regular* neque 5) in aliis dignitatibus, personatibus, & canonicatibus Ecclesiarum. Conf. Fagnanus ad *cap. 42. de elect. n 5. seq.* Singularia quoque non nulla in electionibus *Abbatissarum* & *Summi Pontificis* sancita sunt *cap. 43. de elect. in 6.* Concilii

Tri-

Tridentini Seſſ. XXV. cap. 7. de regular. Clement. 2. §. ceterum *de elect.* item *cap. 6. de elect.* Conf. Pehem cit loc. *P. II.* §. 201. *ſeq.*

l) *Inſpirationis* divinæ exempla quædam antiquitas habuit: qualia ſunt Fabian apud Euſebium *hiſt. eccles. lib. VI. cap. 29.* Alexandri apud eund. *lib. cit. cap. 11.* Martini apud Severum Sulpitium *in vita Martini cap 7.* De *quaſi inſpiratione* monet Espenius *P. II. tit. XXI cap. 4.* non facile eſſe admittendam, & probandam, ne ſub prætextu ejusmodi divini impulſus regulæ electionum ab Eccleſia præſcriptæ negligantur, & tumultuariis, & præcipitatis electionibus via aperiatur. Adde, quod notat Neller *diſſert. de S. elect. proceſſu* §. 5. inſpirationem non eſſe proprie electionis formam, ſed duntaxat, ut ex capituli 42. *de elect.* verbis eruitur, exceptionem, quæ electores ab obſervandis duabus præmiſſis formis abſolvit; exceptionibus vero, ne legis auctoritas vileſcat, non facile dandum eſſe locum.

8) Effectus electionis.

a) Electione peracta mentem mutare electores nequeunt, ſed electo abſenti intra *octiduum* ab eo tempore, quo commode fieri poteſt, computandum electio *ſignificanda*, & ab eo *intra menſem* acceptanda eſt; *m)*

b) qui proin per conſenſum jus quidem *ad rem*, non tamen *in re* nanciscitur; *n)*

c) in Germania tamen illi, qui in *concordia electi*, a Pontifice vero adeo remoto confirmandi ſunt, tum in *ſpiritualibus*, tum etiam, excepta rerum alienatione, in *temporalibus* adminiſtrationem mox conſequuntur. *o)*

m) *Cap. 6. & 16. de elect. in 6.* Si electus intra mensem consensum suum aut non negat, aut non præstat, amittit jus ex electione sibi quæsitum, nisi conditio personæ amplius spatium requirat. *cap. 6 cit.* Tenetur vero electus negare consensum, si impedimento licet occulto irretitum se noscat. *cap. 20. de elect.* Ast ad præstandum adsensum cogi non potest, etsi nullius vitii sibi conscius sit. *Nov. 2. in append. cod. Theod.* Simplicius P. *epist. ad Joan. Ravenat.*

n) *Cap. 44. de elect.*

o) *Cap. eod. ibid.* §. Ceterum. Sed conf. Cod. cit. Pruss. *cit. loc.* §. 1010.

9) Confirmatio electionis, *p*)

a) intra *Trimestre*, a dato electi consensu *q*) a Superiore immediato, *r*) in Germania, quoad Episcopatus, & Abbatias consistoriales, a Pontifice peti, *s*) & facta caussæ cognitione, eaque legitima inventa, ab eodem concedi debet; *t*)

b) per eandem *jus in re*, seu jurisdictio ipsa, exceptis, quæ sunt ordinis episcopalis, & consecrationem requirunt, obtinetur; *u*)

c) nectitur *vinculum* spirituale inter Ecclesiam & Prælatum; *v*)

d) et per clausulam: *Supplentes* &c. ea, quæ fors contra legem humanam in electionem irrepserunt, vitia sanantur.

p) *Confirmatio* decretum superioris est, quo electionem canonicam esse, prævia electionis cognitione & probatione declarat.

q) *Cap. 6. de elect. in 6.* Cod. cit. *loc. cit.* § *1002.* Conf. vero ejusdem Cod. § *1009 ibid.*

r) Eſt enim confirmatio actus juriſdictionis; igitur ad immediatum Superiorem ſpectat

s) P. I. Prolegom. *cap. II.* § *II. n. III. lit. b)* Solus Archiepiſcopus *Salisburgenſis* in Germania gaudet jure confirmandi quatuor Epiſcopos ſuos ſuffraganeos *Seccovienſem, Gurcenſem, Lavantinum,* & *Chiemenſem.* Vid. Zallwein *tom. IV. Q. IV. cap. I.* §. *8.*

t) *Cap. 3. de elect.* Antequam vero Romæ confirmatio tribuatur, *duplex* hodie *proceſſus* inſtituitur, alter *informativus* in partibus, alter *definitivus* in curia: formam utriusque exhibet Lakics loc. cit. § *103 ſeq.* Ad utrumque recte peragendum requiritur 1) ut ab Electo æque, ac a Capitulo exhibeantur cuncta ad inſtruendam juſtæ & canonicæ electionis probationem neceſſaria. *Cap. 44. de elect:* 2) ut Electus ad ſedem apoſtolicam iter intra menſem a die præſtiti conſenſus arripere, aut impeditus procuratorem rite inſtructum mittere non moretur. *Cap. cit. 44.* §. Ceterum: & *cap. 16 de elect. in 6.* niſi hæc obligatio Epiſcopis & Prælatis ſit remiſſa. Conf. Schenkl cit. loc. § *481. Schol.* ubi, quæ circa petendam confirmationem in Germania uſitata magis ſunt, recenſet.

u) Sunt tamen aliqua ad jurisdictionem potius, quam ad ordinem epiſcopalem pertinentia, quorum jus confirmatione ipſa ante conſecrationem non adquiritur: nempe 1) cognitio cauſæ feudalis tum primo ad Epiſcopum pertinere dicitur, *ex quo fuerit conſecratus Cap. 7 de for. compet.* hujus diſpoſitionis probabilem rationem adſignat Berrardus loc. cit. *tom. I. pag. 150.* 2) confirmati, ſed nondum conſecrati non poſſunt clericum ab ordine deponere: delegare degradationem, aut clericum in manus curiæ ſecularis tradere. Vid. Lakics *loc. cit.* §. *108.*

v) *Cap. 4. de translat. Episcop.*

III. Circa postulationem adtendenda sunt

1) impedimenta dispensari solita, quibus ligatus quis non quidem *eligi*, *postulari* tamen *potest*, ac *debet*; quæ sunt:

a) defectus *natalium*; x)
b) *ordinis*; y)
c) *ætatis*; dummodo ad Ecclesiam cathedralem postulandus non sit minor XXVII. annis; z)
d) *professionis religiosæ*; a)
e) *libertatis*, dum quis jam spirituali conjugii vinculo certæ Ecclesiæ adstrictus est. b)

x) *Cap. 20. de elect.*

y) Ut si e. g: ad prælaturam quamcunque laicus petatur, vel in minoribus ordinibus constitutus ad Ecclesiam cathedralem. *Can. 10. Dist. LXI. cap. 22. de elect.*

z) Si minor annis XXVII. postulatus quocunque modo suæ postulationis admissionem apud Sedem apostolicam promoverit, neque eligi deinceps, neque postulari potest, donec annum ætatis XXXV. attigerit.

a) Hoc impedimento ligatur Novitius, vel alius nunquam professus *Cap 27 de elect. cap. 18. ibid. in 6.*

b) Uti sunt Archiepiscopi, & Episcopi non modo consecrati, sed etiam confirmati tantum. *Cap. ult. de postulat.* Præter hæc impedimenta dantur alia, in quibus non potest, aut non solet dispensari, quibusque laborantes prohibentur postula-

ri,

ri. Tales ſunt 1) omnino illiterati. *Cap.* 22. *de elect.* 2) Simoniaci. *Cap.* 12. *in fin. ibid.* 3) Falſarii. *Cap.* 7. *de crim fals* 4) Alii criminoſi, moribusque infames. *Cap. ult. de temp. ordin. cap.* 87. *de reg. jur. in* 6. 5) Bigami, & ex damnato coitu progeniti *Cap.* 10. *de renunt.* 6) Corpore vitiati. *Cap* 21. *de elect.* & 6 *de corp. vitiat.* 7) Minores annis XXVII. ad Eccleſias cathedrales. Vid. *not. praeced.* z) 8) Religioſi ex ordine mendicantium ad Eccleſias cathedralibus inferiores, (*Extrav. un. de poſtulat. inter comm.*) qui poſtulationem de ſe non jure factam ſollicitantes inhabiles fiunt, idque in perpetuum ad aliam quamcunque extra ordinem gerendam adminiſtrationem, Vid. Neller in *collect. method. SS. Canonum, de poſtulat. praelat.* §. 2. *ad lit. b. cris.* 2.

2) Forma poſtulationis, & numerus votorum neceſſarius.

a) *Cautius*, ſi non neceſſario, forma *compromiſſi* vel *ſcrutinii* adhibetur; *c)*

b) tumque in regula, ſicut in electione, vota *abſolute* majora ſufficiunt;

c) ſi vero poſtulatio cum electione *concurrat*, poſtulatio veroſimilius non praevalebit, niſi *duae tertiae* totius capituli poſtulato faveant, nec vincet electus, niſi *ultra unam tertiam* totius itidem capituli ſibi habeat ſuffragantem. *d)*

c) Qualiscunque autem teneatur forma, non tamen licet his vel ſimilibus uti formulis: *eligo & poſtulo: poſtulo eligendum: eligo poſtulandum* &c. utpote incertis, & inter ſe pugnantibus. *Cap. un. de poſtulat. in* 6. In dubio tamen, utrum quis eligendus vel poſtulandus ſit, valet haec formula: *eligo & poſtulo, prout melius de jure valere poteſt,*

test, quo casu, qui sic postulabitur, dum consensus ejus exquiretur declarabit, utram viam præoptet, electionis an postulationis? Quodsi vero certum sit, aliquem esse postulandum, non debet sub pœna nullitatis adhiberi verbum *elige* nec vicissim. *Cap* 4. *& ult. de postulat.*

d) *Cap.* 40. *de elect.* quod eo minus jam dubio caret, ex quo Innocentius XI anno 1688. die 20. Sept confirmavit electionem Clementis Bavariæ Ducis in Archiepiscopum *Coloniensem* electi *novem suffragiis* ex 24 Capitularibus contra postulationem Fürstenbergii *tredecim* suffragiis factam. Conf. etiam Joan. Christ. Koch diss. *de votis duplo majoribus*; item Cod. cit. Pruss. *cit loc.* §. 988 *& seq.* Ceterum rarior est hodie, sicut postulatio, ita ejusdem cum electione collisio, cum plures sibi prius de *Brevi eligibilitatis* prospiciant, quo defectus ille, qui electioni obstaret, jam remissus censetur.

3) Admissio postulationis

a) a postulantibus petenda, *e*) & ab illius, qui jus confirmandi habet gratia pendet, *f*) sed, siquidem eam evidens ecclesiæ utilitas suadeat, denegari licite non potest; *g*)
b) quodsi tamen e. g. ob *indignitatem personæ*, aut aliam postulantium culpam denegetur, jus provisionis tamen ad capitulares *innocentes*, etsi *unicus* is foret, regreditur. *h*)

e) Prius vero præsentanda est postulatio rite peracta postulato & ab hoc consensus conditionatus præstandus.

f) Cum igitur jus confirmandi Episcopos Pontifici Romano competat (vid. *n. præced. II.* 9. *lit. a. not. s*) atque in Germania ad Abbatias quoque con-

consistoriales extendatur (*ibidem*) sequitur, apud Pontificem Romanum interponendam esse Episcoporum aliorumque Prælatorum immediatorum, in Germania inprimis postulationem, quæsito, ac obtento prius in provinciis nostris ex lege cit. Cod. *cit. loc.* §. *1009.* Principis territorialis consensu; ceterorum vero Prælatorum mediatorum apud Episcopum aut Archiepiscopum veluti immediatum horum Superiorem; quo tamen casu, si Postulandus impedimento laboret Pontifici reservato, res ipsa loquitur, adeundum tum esse simul Pontificem, ut impedimenti veniam faciat. In litteris autem postulationis, ad quemcunque Superiorem dirigantur, exprimendi sunt omnes, quibus postulatus laborat, canonici defectus, utpote quorum facienda est relaxatio. Si postulantes scienter hoc facere omittant, præterquam quod postulatio viribus careat, ipsi quoque pro ea vice eligendi, & postulandi jure excidunt. *Cap. 20. de elect cap. 1. & 2 de fil. presb. in 6.*

g) Violare enim officia sua nemini licet. At quisque Ecclesiæ Superior ad promovendam communem Ecclesiæ utilitatem ex officio obligatur; ergo & ad postulationem admittendam, quam evidens Ecclesiæ utilitas svadet. Quodsi igitur subordinatus Superior hoc in casu postulationem repelleret, possunt postulantes, non autem postulatus, ad Superiorem, cui ille subordinatur, provocare, ut admissionem postulationis impetret. Aliud dicendum est, ubi de evidente utilitate ex admissa postulatione promanatura haud constat; posse tunc Papam, etsi personæ merita adessent, salvis etiam Germaniæ Concordatis postulationem rejicere, patet vel ex eo, quod dispensationes, quibus in admissione postulationis semper locus est, rarissime tantum, ac non nisi ex caussa majoris utilitatis concedendæ sint. Ubi Germaniæ Concordata contrarium asserere viden-



videntur, de confirmatione electionis, in qua nulla dispensatio intercedit, intelligenda sunt. Conf. Barthel *dissert. III. de concord. cap. 3.* & Thesaur. J. E. *tom. II. prg.* 765.

h) *Cap. 23. de elect.* idem valet, ubi *dignæ ceteroquin* personæ postulationem in casu not. præced. expresso Pontifex rejicit. Ratio est: ne relinquatur occasio Superioribus jura eligentium, aut postulantium ambiendi, atque provisiones beneficiorum quocunque sub prætextu arbitrio suo denuo subjiciendi.

4) Effectus postulationis:

a) *ante admissionem* postulatus jus nullum omnino consequitur; *i*)

b) *admissæ* vero vis eadem est, ac electionis confirmatæ. *k*)

i) Ut enim jus quodpiam adquiratur, acceptatio accedat, necesse est. Ast ea, quam postulatus præstitit, a conditione admissionis ex gratia Superioris sequuturæ suspenditur; ergo, antequam hæc sequatur, nulla fere est; nullum igitur etiam effectum producit. Vid. *not. præced. e*) Inde vero provenit, quod 1) postulatus negotiis Ecclesiæ, ad quam postulatus est, nullo modo sese ingerere audeat; 2) quod postulantes revocare postulationem, licet jam oblatam postulato, sine injustitia, non tamen decenter possint. En unum inter cetera postulationis ab electione discrimen! Conf. *n. præced II.* 8

k) Admissa enim postulatione declarat Superior, nihil jam obesse, quominus postulatus ad beneficium promoveatur: atqui idem per electionis confirmationem fit, ut ex *n. præced. II. 9. not. p*) colligitur; quidquid ergo ibid *lit. b. c. d.* de confirmationis effectibus dictum est, valet etiam

de

de postulatione jam admissa. At quid 1) de *postulatione* a Superiore *rejecta*? — Si ideo rejicitur, quia postulatus tali impedimento laborat, in quo vel *non solet*, vel *non potest dispensari*, & postulatio suffragiis facta sit *unanimibus*, locus est juri devolutionis: *Cap. 1. de postulat. cap. 2. ibid. cap. 7. de elect.* & indignum postulantes triennii suspensionem a beneficiis incurrunt; *Extrav. un. de postulat prælat. inter comm* Aliter se rem habere, dum aut dignus, aut indignus quidem sed non omnium votis postulatus rejicitur, *præced. n 3 not. h*) diximus. Nimirum redit priore in casu jus eligendi vel postulandi ad postulantes; in posteriore vero ad innocentes solum, reliquis præterea per triennium a beneficiis suis suspensis. Quid 2) de postulatione simplici? Ad regulas electionis istam componi *præced. n I. not. e)* indicavimus. Adde ratione hac 1) Cardinales non Episcopos, *Cap. 3. de postulat* 2) Clericos beneficiatos alienæ diœceseos *Can. 37. causs. VII Q. I.* 3) Religiosos ad alienas Abbatias. *cap. 27. de elect. in 6.* postulari, exceptis religiosis mendicantium, quos non posse postulari ad Ecclesias cathedralibus inferiores, aut monasteria extra suos ordines *præced. not. b)* dictum est.

IV. Nominatio regia *l*)

a) naturam electionis & postulationis sequitur, eosdemque producit effectus; *m*)

b) unde & *confirmationem* vel *admissionem* a Pontifice Principes petunt, *n*)

c) ac conditiones in Concordatis vel Indultis præscriptas observare debent.

l) *Nominatio*, vi cujus Reges ac Principes christiani in suis regnis, & provinciis Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Prælatos designant, præsentant

tant, & constituunt, usitata erat sub Regibus in Gallia, Belgio, nunc adhuc in Hispania, Lusitania, Hungaria, & Bohemia, alibique jure Patronatus Regii, & consvetudinis. In *Silesia* ita cum electione conjungitur, ut *tres* semper ad Abbatiam vacantem eligi debeant, e quibus postea Rex *unum* nominat a Superiore confirmandum.

m) Unde 1) qui nec eligi, nec postulari possunt, iidem etiam non debent nominari. 2) qui electionis sunt capaces, simpliciter; qui de jure sunt postulandi, cum postulatione nominari debent

n) Conf. Van Espen *P. I. tit. XIV. cap. III.*

V. Translatio *o*)

a) non nisi exigente utilitate gravi, aut necessitate *p*) & per legitimum Superiorem *q*) qualis nunc circa Episcopatus Romanus Pontifex est, cui *caussæ majores* reservantur, facienda, *r*)

b) tollit vinculum, & jus omne in amissam, & jam *vacantem* ecclesiam, salvis tamen reditibus officio jam præstito respondentibus. *s*)

o) *Translatio* in sensu *latiori* est Prælati cujuscunque; in *strictiori* vero Episcopi ab una ad aliam Ecclesiam legitima auctoritate facta adsumtio. Posteriorem distingunt aliqui a *translocatione* ita, ut illam *volenti* & in melius, hanc autem *invito* & plerumque in deterius contingere velint. Distinctionis hujus minimum esse usum vel inde apparet, quod an quis Episcopus transferri invitus queat, plures disputent, Conf. Thomassin. *P. II. lib. II. cap. 64. n. 9.* Pehem *P. II. §. 232.* Quidquid sit horum: translatio, quæ *tria* involvit 1) *renuntiationem* Prælaturæ seu dignita-

dignitatis ecclesiasticæ; 2) *provisionem* de alia dignitate; 3) *admissionem* tum renunciationis, tum novæ provisionis, severis satis legibus in antiqua Ecclesia *vetita* fuit. Nec abs re quidem: cura enim animarum continuum laborem exposcit, atque tempore opus habet ad conciliandam fiduciam, sine qua pastorale munus cum fructu obiri nullo modo potest; huic prout etiam officio noscendi oves suas frequentiores translationes, quantum noceant, res ipsa loquitur. Accedit translationum licentia avaritiæ & ambitioni portas aperiri. Hoc malum cum jam in Ecclesia invaluisset seculo IV. Concilium *Nicænum I. Can. 15.* omnes translationes *irritas* declaravit, & *Sardicense can 1.* pœnas gravissimas adjecit, (Vid. *Causs VII. Q. I. can. 19. seq*) confirmante hosce canones frequentissime universa Ecclesia. *Cap. II de elect.* Ubicunque igitur obtinet, pro *exceptione* a lege habenda est.

p) *Can. 34. 42. 44. Causs. VII Q. I.* Ratio est: quod exceptiones a lege non nisi hac ex caussa ceu suprema omnis S imperii, & legum ecclesiasticarum norma & mensura locum habere possint.

q) Olim translationes Episcoporum auctoritate Synodorum provincialium fiebant, sæpe tamen Patriarcharum, aut Papæ consensus requirebatur. Conf. *P. I. cap. I. §. I. n V. not. a)*

r) Labentibus nimirum seculis tum per consvetudinem, tum ob Conciliorum provincialium infrequentiam, & languidiorem auctoritatem omnes Episcoporum translationes ceu *caussæ majores* Pontifici reservatæ sunt, & ad eundem hodie privative spectant, P. I. loc cit item Thomassin. loc cit *cap. 61. n 12 seq.* Rigger *P. II. §. 381. seq.* salva tamen Episcoporum auctoritate quoad translationes Prælatorum non exemtorum, & clericorum inferiorum. Qui *propria aucto-*

auctoritate ab una Ecclesia migrant in aliam, hodie privantur utraque (Leo M. in *epist.* ad Anastasium *Thessal. cap. 8. Cap. 3. de transl.*) secus ac olim, ubi nunc mitior, nunc severior pœna imminebat: Vid Concil. *Nicæn. I. can. 15. Sardicen. can. 1.*

s) *Cap final de postulat. Causs. X. Q. II. can. 2. Causs. XII. Q. I. can 33. & ult.* Conf. Covaruvias *lib. I. var. resolut. cap. 15. n 12.* Vacantis Ecclesiæ provisio Sedi apostolicæ reservatur. *Extrav* Ad regimen: *inter comm: præbend. Concordat. Nation. germ:* §. *II.* Exinde vero deducunt non pauci, ad translationes rite peragendas *consensum eorum, quorum interest*; Regum, qui jus nominandi habent; illorum ad quos provisio alias pertinet, accedere oportere. Van Espen *P. I. tit. XV. cap. IV.* § *21*, Conf. Rigger *cit. loc.* §. *383*.

Quæri solet: a quonam tempore ecclesia per translationem vacare incipiat? Congregatio Card. *super negotiis Episcoporum* declaravit an. 1624. 12. Decembr. vacare ecclesiam, a qua quis volens transfertur, ab eo tempore, quo Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem litterarum apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ — & habita hujus absolutionis notitia teneri eum abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in capitulum tanquam sede vacante.

VI. Provisionem, nisi translatione fiat, sequitur Consecratio, *t*) quæ

a) intra *tres menses* ab obtenta confirmatione,

u) die dominica, aut Apostolo sacra, in propria, aut ejusdem provinciæ ecclesia,

v) ab

v) ab Episcopo *consecratore*, & duobus aliis, saltem Abbatibus usu pontificalium præditis, *adsistentibus* celebranda est; *x*)

b) per eam character ordinis Episcopalis, & jurisdictio propria confertur, & conjugium spirituale, prius *ratum*, consummatur; vacantibus de cetero, quæ ab Episcopo prius possessa erant, beneficiis. *y*)

t) Seu impositio manuum super caput electi Episcopi sub certis verbis inunctione chrismatis aliisque cerimoniis tempore, loco, ac ritu per canones determinato a legitimo consecratore Episcopo tanquam ministro facta. Ordinationis hujus hodiernos ritus describit Pontificale Rom. *tit. de consecrat. Episc.*; ejusdem variam disciplinam eleganter exponit Lakics *l. c.* §. *122. 125*.

u) Olim intra totidem ab electione menses suscipi debebat. Qui eandem hodie ultra idem a confirmatione spatium differunt, restitutione fructuum puniendi, aut etiam, si contumacia per totidem porro menses perduret, jure suo privandi declarantur. Concil. *Trident. Sess. XXIII. cap. 2. de reform*

v) Idem Concil. *Trident. eod. loc.*

x) *Can. 4. & 5. Dist. LXIV.* Conf. Lakics *loc. cit.* §. *110. — 121.*

y) *Cap. 4. de translat. cap. 7. de elect.* Abbatibus consecrationis loco *Benedictio* tribuitur, quæ licet ad similitudinem consecrationis instituta sit, ab ea tamen quam maxime differt, nec absolute necessaria est, sed ad majorem tantum solemnitatem pertinere videtur. Suscipere eam secundum opinionem communem tenentur infra annum a die eorum electionis computandum, ab Episcopis, in quorum diœcesibus

mona-

monasteria existunt, quamvis ex privilegio & delegatione Papæ ab Abbate, vel simplici presbytero fieri queat. Vid. Benedictus XIII. *constit. de an. 1725* Ejus effectus sunt 1) gradus proximus post Episcopos: 2) facultas gestandi baculum pastoralem, mitram &c. 3) conferendi regularibus suis subditis ordines minores: 4) ordinis episcopalis quædam participatio quoad usum quorundam pontificalium (*P. I cap. I. §. 10 n. IV.*) quibus etiam uti & defungi possunt, si eos Episcopus tertio humiliter requisitus benedicere renuerit. *Cap. 1. de supplenda negligent. Prælat:*

§. VI.

MODI PERVENIENDI AD BENEFICIA MINORA. z)

I. Beneficiis *minoribus* providetur primo & regulariter per Collationem *liberam*, a) quæ jure independenti exercetur, et

a) primis decem seculis penes Episcopos illæsa permansit, b)

b) postea vero *jure extraordinario Privilegii, Consvetudinis, Transactionis &c.* ad alios quoque pervenit. c)

a) *Collatio*, proprie dicta, est adsignatio; seu concessio vacantis beneficii ab eo facta, qui potestatem habet. Alia est *libera*, alia *necessaria*; hæc adstricta est ad alterius nominationem, vel præsentationem, atque *institutio* quoque *necessaria* vocatur; prior non item. Differt collatio ab electione & præsentatione præter alia in eo, quod illa ante captam possessionem jam jus in re conferat,

ferat, cum ex iſtis jus tantum ad rem naſcatur.

b) Conf. P. I. cap. I. §. V. n. IV. lit. e. not. c) item Thomassinus P. II. lib. I. cap. 33. ſeq. Van Espen P. II. Sect. I. tit. IX cap. 2: & Sect III. tit. IV. cap. 1. Quibus in locis hanc Episcoporum in conferendis beneficiis auctoritatem plurimis argumentis ſolide demonſtratam invenies.

c) Ac 1) quidem arrogarunt ſibi jus collationis beneficiorum Canonici cathedrales. Qua occaſione? vid. apud Rigger P. III. §. 116. ſeq. 2) Pontifices Romani, qui a ſeculo XII variis titulis jus iſtud pœne omne ad ſe pertrahere conati ſunt, quos tamen in Germaniæ beneficiis ultra terminos in Concordatis poſitos, nihil moliri poſſe, notum eſt. Conf. Prolegom. cap. II. §. II. n. 4. item n. III. ibid. Imo 3) ipſis laicis aliquando non denegatam beneficiorum collationem, quantum temporalia reſpicit, adſtruunt Van Espen loc. cit. tit. VIII. cap. IX. & Thomassinus P. II. lib. I cap. 55. Conf. Rigger cit. loc P. III. §. 122. Sed enim cuicunque jus iſtud præter Episcopum competat, illud tenendum ſemper eſt 1) quod, qui Episcopi collationem reſtringere prætendit, titulum probare debeat, alias in dubio pro Episcopo eſt judicandum; 2) quod pro inſtitutione authorizabili ad Episcopum neceſſario recurrendam ſit, quotiescunque ad alium jurisdictione quaſi-episcopali non præditum collatio pertinet,

II. Collationi *neceſſariæ* innectitur *Jus Patronatus*, ſeu facultas, præter varias prærogativas, nominandi, ſive præſentandi clericum ad beneficium vacans, d)

a) Si

a) Si *nomen* ſpectemus, fruſtra quoddam in antiqua Eccleſia quærimus veſtigium; *e*)
b) at si *res ipſa* adtendatur, jam ſeculo V. Episcopis eccleſias alibi ædificantibus, poſtea ſeculo VII. in Concilio *Toletano IV & IX.* etiam aliis facultas data eſt, clericos fundatis, vel exſtructis a ſe eccleſiis præficiendos deſignandi, eos Episcopo loci offerendi, imo & alimenta, ſi forte fundatores ad egeſtatem redigerentur, ex hisce beneficiis percipiendi. *f*)

d) Variantes hujus juris definitiones vid apud Bœhmerum *tit de patron* §. 4 Si vero datam mox definitionem pro legitima habeas, nulla negotio, quis *Patronus* dici debeat, inferes. Jure noſtro regio illi nomen hoc tribuitur, cui immediata in Eccleſiam inſpectio, atque cura circa conſervationem, & defenſionem ejusdem incumbit. Vid, *cit cod. cit. loc. Sect. VIII* §. 568.

e) Reperitur quidem nomen iſtud in juribus romanis, ſed non in eo ſenſu, quo ad materiam noſtram pertinet: ibi enim partim illum denotat, qui ſervum ſuum manumiſit, prout etiam ſumitur *can* 61. *Cauſſ. XII. quæſt. II*; partim, uti in *l.* 14. §. 1. *D de judic.* pro cauſſarum advocato accipitur. Ad idem, quod hodie per patronum, & jus patronatus intelligitur, deſignandum veteres fundatoris & fundationis nomina adhibebant. Nec contrarium probat mentio patroni in *cap.* 1. & 2. *h. tit.*; quia enim in collectione prima & in integris canonibus, qui exſtant in Concilio *Cabilonens II* ſub Carolo M. & *Triburenſi* ſub Arnulpho deſideratur, ut obſervat Rigger *cit. loc. P. III* § 683. a Raymundo in loc. cit. vocabulum patroni adjectum fuiſſe dicendum eſt.

f) Te-

f) Testantur id innumera pene documenta: ac 1) quidem certum est ex *Can. 6. Causs. X. quæst. I.* item *cap. 24. de jur. patron.* jam primis seculis ecclesiarum fundatoribus jura quædam honorifica ex *gratitudine* concessa fuisse Sic nomina & elogia fundatorum templis inscribi, ipsasque ecclesias eorum nominibus insigniri voluerunt sancti Patres; 2) quod *jus præsentandi* adtinet, deprehenduntur ejus vestigia in Concil. *Arausicano* I. an. 441. *can. 10.* apud Harduin: *tom. I. col. 1785.* ubi Episcopo in aliena diœcesi ecclesiam ædificanti conceditur, *ut quos desiderat clericos in re sua videre, teneatur Episcopus ordinare, aut si ordinati jam sint, adquiescere*; quod dein in Concilio *Arelatensi* II. de an 451 *can. 39* apud Harduin: *tom. II col. 776.* confirmatum, atque *solum ædificatori Episcopo* reservatum est: 3) extensum esse jus istud seculo VII. in Concilio *Toletan.* IV. an. 633. *Toletano* IX. an. 655. imo, si velis, jam seculo VI. in Concilio *Aurelian.* IV. an. 524. etiam ad alios fundatores inprimis oratoriorum extra parochias, ac ipsarum quoque parochialium ecclesiarum, colligitur ex ipsis horum Conciliorum canonibus: nempe *Aurelian. can. 6.* — *Toletan: IV. can 32.* apud Gratian: *can. 60. Causs. XVI. quæst. I* *Toletan. IX. can 1.* apud eund. *can. 31. Causs. XVI quæst. VII. can. 30. ibid:* 4) At hæc concilia Toletana maxime ad *Hispaniam* pertinent. Seculo VIII. idem jus in *Germania* notum fuisse docet constitutio S. Bonifacii Archiepiscopi *Moguntini*, qua vetat *presbyteros sine consensu Episcopi beneficiis præponere.* E quibus testimoniis sane eruitur, *rem ipsam*, quamvis juris patronatus nomen ignotum fuerit, ab antiquissima ætate extitisse Conf. *definit. præced. n. II. & not. d)* Ceterum persvasum est Eruditis *nomen* quoque *Patronorum* paulo post, seculo nempe IX. invaluisse, &, obliterata sensim fun-

appellatione, in constantem legem abiisse. Insignis locus est apud Hincmarum seculi hujus scriptorem *in cap. Synod. Rhemens.* an. 874. in ejus *oper. tom. I. pag.* 737. Cum vero nomen istud eo potissimum tempore in usum venerit, quo Patroni amplissimam sibi in Ecclesias potestatem, & quasi proprietatem vindicarunt, concludunt non pauci: fundatores ecclesiarum exinde patronos appellatos fuisse, quod ecclesiarum veluti domini fuerint, ea fere ratione, qua Dominus feudi patronus olim dictus fuit. Quidquid sit, id certe negari non potest: patronos, de quibus hic agitur, ab *advocatis* illis *secundariis*, de quibus *P. I. cap. II. §. IV. n. VIII.* dictum est, semper distinctos fuisse.

a) Dividitur *g*)

a) in *ecclesiasticum*, quod competit ecclesiæ, communitati ecclesiasticæ, vel clerico ratione beneficii, officii, aut dignitatis ecclesiæ; in *laicum*, si ex alio titulo debeatur; *h*) & in *mixtum*, si ecclesiastico simul & laico, vel partim ratione beneficii, partim titulo patrimonii competat: *i*)

b) in *reale*, quod intuitu rerum & bonorum competit, & ad omnes eorum possessores transit; *k*) & in *personale*, quod personæ citra omnem ad bona respectum proprium est: *l*) hoc vero

c) in *hæreditarium*, quod ad hæredes quoque transit, qui dein in *stirpes* non in *capita* succedunt; & in *familiare* vel *gentilitium*, quod illis tantum, qui de eadem familia aut gente descedunnt, obtingit: *m*)

d) in

d) in *plenum*, quod omnia Patronatus jura complectitur; & *minus plenum*, cui aliquod ex juribus deest, v. g. si alii jus *nominandi*, alii vero jus *præsentandi* competat. *n*)

g) Multis seculis unius duntaxat generis jus patronatus fuisse, neque differentiam ullam inter ecclesiasticum & laicale in antiquis canonibus, & Justiniani novellis occurrere adserit Pehem cit. loc. *P II § 246.*

h) Non obstat, quod *clericus* eo per accidens e. g. qua hæres bonorum patrimonialium gaudeat. In dubio censeri volunt potius esse laicum, quam ecclesiasticum; id quod tamen ratione non contemnenda inficiatur Berrardus loc. cit. *tom. II. pag.* 57 *seq.* An vero jus patronatus Academiæ competens laicale sit, an ecclesiasticum? non conveniunt Quoad prærogativas juri patronatus laico competentes, laicum censendum esse, defendit Van Espen loc. cit. *cap. II. §.* 29 30.

i) Ex natura juris patronatus *mixti* profluit, duos ejusdem beneficii patronos esse posse, alterum ecclesiasticum, alterum laicum, qui simul jus illud exerceant Et hoc casu propter communionem non privilegiatus gaudet jure privilegiati, & ex utroque prævalet qualitas magis favens, ne ex communione jus alterius lædatur. *Cap. un. de jur. patron. in 6.* idque obtinet, etsi praesentationis jus tanquam praecipuus juris patronatus effectus alternis vicibus, seu per turnum exerceatur, modo utriusque patroni nomine praesentatio fiat. Quod secus se habet, si singulus turnarius in suo turno seorsim, nulla compatroni facta mentione praesentet; tunc enim jus patronatus in turno patroni laici mere laicale, in ecclesiastici mere ecclesiasticum habendum erit. Vid. Van Espen loc. cit. §. 20. *seq.*

k) Istud distribuunt in *regium*, *feudale*, & *privatum*; illius mentionem facit Concil. *Trident. Sess. XXV. de reform. cap.* 9. feudale & privatum describit Schenkl §. 506.

l) In dubio jus patronatus reale potius, quam personale censendum est. Vid. cit. Cod. Pruss. *cit. loc.* §. 579; rationem adsignat Rigger cit. loc. §. 694

m) Addunt complures tale, ex quo quis facultate præsentandi, & ceteris patronatus prærogativis gaudet, quod *activum* vocant; aut unde solum jus cuidam familiæ quæsitum est, ut ex ea quis designari debeat ad beneficium vacans, quod *passivum* dicunt. Conf. Berrardus loc. cit. *tom. II. pag* 89. *& seq.*

n) Pertschius in *elem. jur. can. lib. II. tit. XXVI.* §. 875. *plenum* vocat, quod in jure præsentandi, *minus plenum*, quod in solo consensu, & voto quodam negativo consistit.

3) Adquiritur *o*)

a) *fundatione* seu concessione fundi *majoris pretii*;

b) *exstructione* ecclesiæ propriis sumtibus;

c) *dotatione* ex bonis propriis cum consensu Ordinarii facta; *p*)

d) *præscriptione immemoriali*, vel *possessione* per 50 annos quiete continuata intuitu *laici*. *q*)

o) Jus patronatus consideratur vel primo *quatenus adquirendum*; vel secundo, *quatenus jam adquisitum, in alios transferendum.* Modi id adquirendi sunt 1) *ordinarii*, quo fundatio, exstructio, dotatio; — 2) *extraordinarii*, quo præscriptio ac ut plures volunt, privilegium refertur. Vid. Rigger *P. III.* §. 698.

p) Se-

p) Solam *fundationem* ad jus patronatus adquirendum non sufficere, sed hæc tria simul, aut saltem fundationem cum exstructione vel dotatione requiri, docent plerique: tum quod, qui fundum duntaxat dono dat, magis *benefactor* quam patronus dicendus sit: tum quod glossa ad *can. 6. Dist. I. de consecrat*: expresse dicat: *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.* Sed enim distinguendum puto cum Pehemio cit. loc. § 253. an *beneficium* fundetur, an *ecclesia*? Si prius: certum videtur, eum, qui bona donavit, ex quibus beneficium ecclesiastica auctoritate erigeretur, jus patronatus adquirere, & si plures pro parte contulerint, omnes in solidum ad jus patronatus admitti. Si posterius: denuo videndum est: an unus jus patronatus adquirere velit exclusis aliis? an alios ejus participes in solidum admittere? Si illud: fundatio, exstructio & dotatio simul requiritur; si vero hoc: uno quoque ex enumeratis titulis id in solidum adquiri, canones innuunt. Vid. *cap. 25. de jur. patron.* Concil. *Trident Seß. XXV. cap. 9 de reform Seß XXIV. cap. 12 de reform.* Quare qui solus hæc omnia præstat, patronatum solus adquirit; si vero tres concurrant, quorum singuli ad singula conferant, omnes in solidum patroni dicentur, quasi isti unius vice fungantur. Franc. de Roye in *prolegom. ad tit. de jur. patron. cap 13.* Excipitur casus, quo ecclesia ab aliquo fundata & exstructa, non etiam dotata est, eaque ex intervallo aliunde, uti ex oblationibus fidelium, dotem adquisivit; tum jus patronatus ex integro adquiri fundatori & exstructori æquius est *Arg. cap. 25. de jur. patron.* Econtra si patronus de dotanda ecclesia jam ædificata interpellatus eam dotare recuset, dum tamen necessitas aut evidens ecclesiæ utilitas dotem, aut certe majus ejusdem augmentum exposcit, eaque haberi nequeant, nisi ea offerenti

jus patronatus annuatur; non adparet, cur jus patronatus huic dotanti addici non posset, saltem ut cum fundatore & exstructore concurrat. Van Espen loc. cit cap. III. Berrardus loc. cit. tom. II. pag 95. & seq Idem dicendum est de eo, qui ecclesiam suis impensis reparari curat, aut rerum inopem de novo dotat; dummodo 1) ecclesia ita diruta fuerit, ut nova consecratione indigeat: 2) prior ejus fundator & exstructor illam reparare dotareve aut nolit, aut non possit. Boekn ad *tit de jur patron. n. 9.* Cod. cit. Pruss. *cit loc. §. 570 571.*

Sed quærunt 1) num jus patronatus fundationi, exstructioni, & dotationi, *ipso jure* insit? an vero expressis verbis in ipsa fundatione, constructione vel dotatione excipi, aut reservari debeat? Illud affirmat Paul a Rigger cit. loc, *§. 698.* modo Episcopi dioecesani consensu ecclesia ædificata fuerit, & cathedralis, vel collegiata non sit; secus enim reservatio expressa necessaria est. Ad aliam vero jus nostrum regium sententiam accedere videtur cit. cod. *citi loc. §. 573.* quo jus patronanus non nisi concessione Imperantis civilis accedente adquiri posse statuitur. 2) An *laici* adquirendi modo *ordinario* juris patronatus capaces existant? an vero, quod habent, ex *privilegio* duntaxat Pontificis habeant? Jure Decretalium jus patronatus res spiritualis, vel spirituali adnexa censetur (*cap. 16. de jur. patron.*) quare incapaces per se ejusdem laici declarantur. (*cap. 2. de jud.*) hoc tamen non obstante ex *privilegio* Pontificis omnes & solos fideles, non solum personas ecclesiasticas sed etiam laicas, mares & fæminas ejusdem capaces esse redditos expressi canones agnoscunt. *Can 26. 27. 29. 30. Causs. XVI. quæst. VII. cap. fin. de concess. præb. cap 7. de jur. patron.* Sed enim non desunt Eruditi, quibus jus patronatus ex natura sua mere temporale videtur Conf. Rigger *cit. loc.*

§. 695) hi igitur, si consequenter argumentari velint, non inveniunt, cur laicos ab eo per se adquirendo arceant; quare fatentur etiam, non Protestantes modo & Reformatos, qui in Germania ex instrumento pacis osnabr. *Art. V. §. 31.* jus hoc æque, ac Catholici exercere possunt, verum etiam alios a sacris nostris alienos illud habere posse. At an simul exercere? id negat. cit. Cod. Pruss. *cit. loc. §. 582. seq.* Vid. vero Wiestner *de jur. patron. n. 44.*

q) De modis *extraordinariis* adquirendi jus patronatus, ac 1) quidem de *præscriptione* sequentia notanda sunt: præscriptio æque inter modos *adquirendi*, ac adquisitum jam jus patronatus *transferendi* numeratur; titulo enim hoc non modo in ecclesiam aut beneficium adhuc liberum jus patronatus obtineri, verum etiam ab ecclesia in aliam, vel ab hac in laicum, vel demum ab anteriori patrono laico in laicum transferri potest. Conf. Cod. cit. Pruss. *cit. loc. §. 574 seq.* Quantitatem temporis ad præscribendum necessariam, aliaque ad probandam præscriptionem requisita determinavit Concilium *Trident. Sess. XXV. cap. 9. de reform.* Cum vero lites circa jus patronatus apud nos, vi *cæsarei Rescripti de an. 1673. 9. Decemb.* (ut habet Joan. de Friedenberg *cit. loc. lib. I. cap. X. §. 37.*) & cit. Cod. *cit. loc. §. 577.* a Consistoriis episcopalibus ad ordinarium judicem laicum remitti debeant, huicque ad eas decidendas per §. 575. & 576. singulares *P. I. tit. IX. §. 629. seq. cit. Cod.* datæ sint leges; sequitur, Concilii *Trident.* determinationes venerandam equidem nobis, at non unicam finiendarum ejusmodi controversiarum normam esse; 2) de *privilegio:* posse Pontificem alicui, qui neque fundavit, neque exstruxit, neque dotavit ecclesiam jus patronatus *vi potestatis de camera*, uti loquuntur, concedere, Decretalistæ adserunt. Sed negant id alii, quod adsertio talis

firmo haud satis nitatur fundamento. Vid. Rigger *cit. loc* §. 703 Quidquid sit: jus nostrum provinciale tituli hujus non meminit, at vero meminit alterius, hactenus in jure communi ecclesiastico, si vocem spectes ignoti, nempe *demandationis:* qua societas ecclesiastica nulli adhuc patrono subordinata jus patronatus cuipiam defert. Cod. cit. §. 572. *cit loc.* quæ tamen, ni fallor, a donatione, de qua paulo infra inter modos transferendi juris patronatus agetur, haud differt.

4) Transfertur

a) *successione* testamentaria vel legitima; *r)*
b) *donatione*, quæ ecclesiæ libere fieri, laico autem extraneo non nisi cum consensu Episcopi potest; *s)*
c) *permutatione* pro re *spirituali*, pro re enim *temporali*, transferri *directe* nequit, nisi tanquam res *cohærens* cum castro, prædio &c. modo intuitu patronatus pretium non augeatur: idem de *venditione* tenendum; *t)*
d) *infeudatione*, *locatione*, *conductione* ceu accessorium rei principalis; *u)*
e) *præscriptione*, ubi quadragenaria requiritur, si ab ecclesia in alium transferatur, a *laico* vero, ut in alium transeat, ordinaria sufficit. *v)*

r) Et quidem 1) ad hæredes quoscunque in *solidum*, etiamsi hæreditas inæqualiter dividatur, quia jus patronatus est indivisibile; inde vero est, quod omnes patronatus effectus singulis competant hæredibus præter præsentationem, ad quam omnes concurrere debent, aut per turnum, aut eum præsentando, quem major pars nominaverit,

rit, aut plures ad vacantem ecclesiam designando ea lege, ut unus ex iis per Episcopum eligatur, & admittatur: 2) in *stirpes*, non in *capita*: *plures* igitur *ab uno ex patronis ecclesiæ relicti hæredes vocem duntaxat unius habent in præsentatione. Clement.* 2. *de jur. patron.*

At disputant DD. num jus patronatus in *fideicommissarium* transeat? In decidenda hac quæstione præcipue habenda est præ oculis distinctio inter jus patronatus *reale* & *personale* (*præced. n.* 2. *lit. b.*) Istud possessorem rei sequitur (*ibid.*) hoc, si *hæreditarium* sit, fideicommissario itidem ratione satis solida vindicat Boeckn *h. t n.* 34. De successione in patronatum *gentilitium* (*ibid lit c.*) pluribus agit Berrardus loc. cit. *tom. II. pag* 106 *seq.*

s) Quoad *donationem* ecclesiæ monasterio, aut alteri loco religioso factam distinguunt: utrum donatum sit *jus patronatus*, an vero *ecclesia patronata*? Priori in casu donationem sine Episcopi consensu subsistere, idemque valere, dum patronus compatrono suo sive laico sive clerico jus istud donet, ex *cap* 7. 8. 14. *de jur patron. cap. un. ibid. in* 6. certum est; at in posteriori necessario Episcopi consensum requiri, & absque illo donationem nullam atque irritam esse, ex *cap.* 5. 11. 17. *h. tit.* desumitur. Idem de donatione juris patronatus in favorem laici non compatroni facta dicendum est. Num vero Episcopus ad consensum præstandum cogi poterit? Adfirmant auctoritate *cap.* 7. *de patron:* Ast contrarium placet Berrardo. loc. cit. *tom II. pag.* 109.

t) *Cap.* 5 *de rer. permut. cap.* 16. *de jur. patr.* Quid vero, si contra legem jus patronatus separatim pro temporali pretio permutaretur vel venderetur? Hunc in casum *excommunicationis* & *interdicti* pœnam statuit Concilium *Trident. Sess. XXV.*

cap. 9. de reform. Add: ad hanc materiam Van Espen *loc. cit. cap. IV.*

u) Particularia hic quam maxime provinciarum jura adtendenda sunt. Quoad Silesiam videatur cit. Cod. *P. II. tit. XI. §. 600 — 604.*

v) Recol. *praeced. not. g)*

5) Amittitur

a) *ob delictum*, si *haeresin* non toleratam Patronus sectetur, x) si clericos ecclesiae *occiderit*, aut *mutilaverit*, si proventus *usurparit*, aut jus ipsum modis *illegitimis* in alios *transtulerit.* y)

b) *sine delicto*, *ecclesia* penitus *collapsa*, *dote consumta*, illo, cui adnexum est, *bono deperdito*, vel *deficiente familia*, si sit *familiare*; vel si ecclesia patronata cum consensu patroni, absque juris reservatione, in *collegialem* vel *conventualem* fuerit *mutata.* z)

x) Jure nostro provinciali cit. Cod. *§. 582. seq. cit. loc.* ejusmodi patronis non ipsum jus patronatus, sed *exercitium* solum ejus negatur, ita ut hoc, quamdiu bonum, cui jus patronatus adhaeret, possident, alteri cuipiam deferre possint, onera vero ipsi e proventibus boni portare debeant.

y) *Cap. 12. de poen. Trident. Sess. XXII. cap. ult. de reform.* item *Sess. XXV cap. 9. de reform.* Conf. Wiestner *h. tit. art. X.* item cit. Cod. *cit. loc. §. 613 seq.*

z) *Cap. un. h. tit. in 6.* Barbosa *J. E. lib. III. cap. 12.* Berrardus loc. cit. *tom. II. pag. 128. seq.*

6) Jura

6) Jura patronatus honorifica & utilia sunt a)

a) jus *Processionis*, vi cujus saltem Principibus patronis ad ecclesiam venientibus obviam itur: b)

b) — *loci honoratioris* in ecclesia: c)

c) — *sepulturæ* & *luctus* ecclesiastici: d)

d) — *precum publicarum*, quæ pro Patronis quandoque institui solent: e)

e) — *alimeuta* ex proventibus illius ecclesiæ, si, unde vivat, aliunde patronus non habeat, *percipiendi*. f)

a) Antiqua patronorum jura vid. *præced. n. 1. not. f)*

b) Jam Pontificem Gelasium juris hujus meminisse loco apud Gratianum *can. 26. 27. Causs. XVI. quæst. VII* item *cap. 25. de jur. patron.* plures credunt. Illud certum est, ex interpretatione verborum Galasii (an recte? dubitant alii) jus istud dimanasse. Duobus autem modis patrono honos hic defertur: primo itur ei, *si tatalis ac tantus sit*, processionaliter obviam; dein ceditur ipsi honoratior in ipsa processione locus.

c) Conf. Cod. cit. *loc. cit. §. 588.*

d) Ibidem §. 590 *594.*

e) Ibidem *§. 589.*

f) *Can 30. Causs. XVI. quæst. VII. cap. 23. de jur. patron.* Idem ex jure regio in Silesia obtinet sub clausulis cit. Cod. *§. 596. 597.* expressis. Conf. Rigger cit. loc. *§. 713.* Schol.

7) Jus

7) Jus ipſum præſentandi.

a) Vacante beneficio, & inſtituto, ubi moribus receptus eſt, *concurſu*, *g)* Patronus *idoneum*, et, si cura animarum conjuncta ſit, *digniorem* quoque præſentat: *h)*

b) *ſeipſum* quidem præſentare Patronus nequit, *i)* *filii* tamen præſentandi copia datur: *k)*

c) Si plures ſint *Compatroni*, jus iſtud vel per vota *majora*, vel *alternatim*, vel in patronatu reali ſuffragia *pro rata* partium, quas in re tenent, ferendo exercent: *l)*

d) inter Patronum vero *eccleſiaſticum*, & *laicum* hoc intereſt *diſcriminis*, quod laicus intra *quatuor*, eccleſiaſticus intra *ſex menſes* præſentare debeat, *m)* & quod ſpeciali juris favore *laicus variare*, aut *plures* ſucceſſive *præſentare*, electione dein dignioris penes *inſtituentem* relicta, poſſit, imo etsi minus idoneum præſentarit, jure tamen alium præſentandi haud privetur, *n)* quod ſecus eſt in Patrono *eccleſiaſtico*. *o)*

g) Concilium *Trident Seſſ XXIV. cap. 18. de reform.* abunde inſinuavit, ſe ſe velle ut eccleſiæ *parochiales*, aliaque beneficia, quibus *cura animarum* eſt adnexa, conferri non poſſint, niſi inſtituto inter plures vel nominatim, vel ſaltem per edictum publicum evocandos *concurſu*; ubi poſt examen coram tribus ſaltem ab Episcopo conſtitutis examinatoribus, præſente vel ipſo Episcopo, ſive eo impedito, ejus Vicario Generali peractum, conferenda ſunt illis, qui magis idonei reperti fuerint, ſive de libera Episcopi collatione agatur, ſive ad alteriùs inſtitutionem pertinente. Lectu

dignis

dignissimum est hac super re integrum *Tridentini* decretum. Videantur quoque constitutiones Pii V. *in conferendis* de an. 1566, & Benedicti XIV. de an 1742. 14ta Decembr. Verum saluberrima hæc Concilii *Tridentini* constitutio plurimas jam exceptiones patitur. Videantur apud Rigger *P. III. §. 126.* Plures earum improbat Van Espen *P. II. Sect. III. tit. V.*

h) Secus si factum fuerit, salva manet Episcopo auctoritas præsentatum *rejiciendi Causs. XVI: Q. VII. can. 38.* Concil. *Teident Sess. XXIV. cap. 18.* de reform. Inde vero est, quod omnes præsentationes ad Episcopum tanquam *Ordinarium* loci immediate dirigi; præsentati vero cum iisdem se vel Episcopo vel Vicario Generali *personaliter* sistere debeant. *Sanctio pragmat. episcop. de an. 1699. 26. Oct. Nissæ §. I. Ut omnes* *Schema* præsentationis exhibet de Friedenberg cit. loc. *§. XXXVII. pag. 213. 214.*

i) *Cap 26. de jur. patron. ad Hebr. cap. V. a. 4.* Huc quoque valet gravissimum S. Thomæ *2. 2. q. 100. art. 5. ad 3.* de clericorum ad beneficia præsertim curata cursitationibus, & sollicitudinibus dictum: *Si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumtione redditur indignus.*

k) Imo *patronus a compatrono* nominari non prohibetur.

l) Recol. *præced. n. 4. not. r.*) conf. *cap. 3. de jur. patron. Clement. 2. eodem:* item Schenkl. *cit. loc. §. 511.*

m) Unde vero discrimen istud? Diversæ lectioni canonis 17. Concilii *Lateranensis* sub Alexandro III. adscribitur a Riggero *cit. loc: §. 716. seq.* qui *lite* etiam *pendente* tempus illud currere, eo-

que

que finito *fas esse Episcopo appellatione remota in eadem ecclesia personam idoneam instituere, ita quod repraesentetur ab eo, qui jus evicerit patronatus*, hac inprimis ex caussa asserit: *quod propter discordias laicorum non debeat ecclesiis praejudicium generari* cit. loc. *§. 718* Excipitur casus, quo inter ipsum Episcopum & patronum controversia esset Jure nostro provinciali sex mensium spatium tum *clericis* tum *laicis* patronis ad praesentandum conceditur. cit. Cod. *cit loc §. 393.* quo elapso, *nisi prolongatio ejusdem petita sit*, provisio ad Episcopum devolvitur. *ibid. §. 398.*

n) Quae tamen praesentatio dignioris, si semestre a jure ad praesentandum concessum jam effluxerit, ultra *sex hebdomades* porro differri non debet. *ibid. §. 399*

o) Innocent. III. *lib. III. Regest. epist 226.* Fagnanus *ad cap 4. h tit.* Consentit jus nostrum provinciale cit. Cod. *§. 392. ibid.*

8) Patroni obligationes.

a) Ecclesiam, cujus Patronus est, ejusque jura *defendere* tenetur, quin tamen ex in *jurisdictionem* sive in beneficium, sive in possessorem consequatur: *p)*

b) ad *reparationem* quoque ecclesiae saltem *pro rata* fructuum, quos inde percipit, concurrere debet. *q)*

p) *Can. 31. 32 18. 25. Causs. XVI. quaest. VII cap 23. 24. de jur patron cap 12. de poen: Tridentinum Sess. XXIV. cap. 3 Sess XXV. cap 4. de reform.* Conf. cit. Cod *cit. loc. tit. XI. §. 650. seq.*

q) Cod. cit *§. 584 & §. 720.* Fusius hac de re egit Concilium *Trident. Sess. XXI. cap. 7. de reform.*

III. Prae-

III. Præſentationem legitime factam, qua quis jus *ad rem* obtinet, neceſſario ſequitur collatio Tituli, ſeu juris *in re*, quæ institutio dicitur. *r)*

1) Dividitur

a) in *verbalem*, quæ verbis conceſſionem beneficii exprimentibus abſolvitur;

b) *auctoriſabilem*, qua cura ſimul animarum *ordinaria* pro certa plebe tribuitur; *s)*

c) in *realem*, quam & *inveſtituram*, *inſtallationem* &c. vocant, quæ actuali introductione in ipſum beneficium, variis modis peragi ſolita, perficitur; *t)*

r) *Inſtitutio* hæcce alter eſt ad beneficia minora perveniendi modus. Vid. *præced. n. I. not z)*

s) *Authoriſabilem* inſtitutionem alii *approbationem* ad animarum curam dicunt.

t) De *origine inveſtituræ* legatur Rigger *P. III. §.* 163 ſeq.

2) Jus inſtituendi competit,

a) si de inſtitutione *verbali* ſermo ſit *proprie Episcopo*, *u)* ſede vacante *capitulo*, *v)* ex privilegio vero, vel conſvetudine etiam *inferioribus*. *x)*

b) ſi de *auctoriſabili* quæras, *ſoli Episcopo privative*, utpote animarum ſummo per Diœceſin paſtori, adeo, ut nec Abbatibus intuitu *non regularium*, niſi jurisdictionem *quaſiepiscopalem* in ipſos habeant, conveniat: *y)*

c) *realem*

c) *realem* vero institutionem *Episcopus*, aut ejus *delegatus* peragit, z) nec repugnat, quo minus quis etiam a *Laico quoad temporalia* in possessionem beneficii immittatur. a)

u) Per decretum Concilii *Trident. Sess. XIV. cap* 12. *de reform.* Conf. *P. I. cap. I § V. n. IV tit. e. not. c*) Consonat *cap.* 3. *de instit cap* 4. *de offic. archid.* An vero etiam *Vicario Generali* competat? Respondent: quemadmodum in aliis, ita & hac in re ejus potestatem ex concessione Episcopi dimetiendam esse (Vid. *P. I. cap. I §. VII. n. IV* 3.) quæ si non sit restricta sine mandato speciali eidem competit. *Cap* 3. *de instit.* Conf. *Sanctio pragmat; episcop Nissæ an.* 1699. *§. I. præsentationes. §. IV. ad parochias.*

v) *Cap.* 1. *de instit: in* 6. Conf. Zech *de hierarch. eccless: tit. XXIX. §* 350.

x) Conf. *Trident. Sess. XIV. cap.* 13. & *Sess. XXV. cap.* 9 *Cap.* 6 *de instit.* Conf. P. Wiestner *h. tit. n* 9. *seq.* Quid vero ad quæstiones 1) an *præsentatus* ad beneficium, qui alias jure instituendi gaudet *se ipsum instituere* queat? 2) an examen prævium requiratur? 3) intra quod tempus institutio hæc fieri debeat? respondendum sit: vid. apud Rigger *cit. loc. §.* 154 ⸗ 157.

y) Concil. *Trident. Sess VII. cap.* 13. *Sess. XXIII cap.* 15. *de reform. cap.* 4 *de offic. archid.* Ratio est: quia Episcopus positus, est a Spiritu S. regere ecclesiam Dei, & gregi dominico sibi commisso adtendere; quapropter illius cura principalis et incumbit, & nemo alius, sine ejus nutu, & auctoritate in partem sollicitudinis & ministerii sacri venire potest. Inde vero jam patet, quid de sententiis sequentibus tenendum sit: 1) Distinguen-

guendum esse hac in re inter *consuetudines* Concilium *Tridentinum antecedentes* & *consequentes*; illas per Patres concilii abrogatas quidem esse, non istas; 2) via *præscriptionis* obtineri posse facultatem institutionem *auctorisabilem* impertiendi; 3) *fundatorem* beneficii curati adprobationem ad curam animarum, seu *institutionem auctorisabilem* Prælato cuidam inferiori *reservare* posse. Vid. Wiestner *tit de instit. n. 34. 36.* Conf. Rigger *cit. loc. § 160 161.*

z) Olim *missio* in possessionem beneficii per *Archidiaconos* nomine Episcopi peragebatur *Cap. 7. de off. archid.* Hodie per Episcopum aut in persona, aut scripto, aut per delegatos, quos Episcopus nominaverit, absolvitur, quibus, si Episcopus scripto investiverit, nonnisi jus introducendi investitum relinquitur; quod in Diœcesi nostra in more est. Forma introductionis habetur in *Rituali diœcesano*.

a) Conf. *præced. n. I. not c*)

IV. Tertius ab uno beneficio minori ad aliud canonicus transeundi modus permutatio beneficiorum est, *b*) quæ ut *legitima* sit, requiritur

a) prævia caussæ *cognitio*: *c*)

b) *consensus* eorum, qui jus habent vel conferendi, vel eligendi, vel præsentandi ad beneficia: *d*)

c) *auctoritas Episcopi*, vel jurisdictione quasi episcopali gaudentis, cujus in loco sita sunt beneficia. *e*)

b) Seu mutua beneficiorum dimissio, sive resignatio, ut alter alterius dimittentis beneficium confe-

quatur. *Translationi*, si effectum spectes, vicina est; quapropter plura, quae *§. praeced. V. n. V.* de illa dicta sunt, ad hanc quoque adcommodari possunt.

c) Sicut enim translatio, ita quoque permutatio sine *necessitate*, aut *utilitate* fieri non debet; hanc ergo adesse, antequam permutatio fiat, cognoscendum, ac definiendum prius est.

d) Ne de contemtu juris sui litem movere audeant.

e) *Cap. 7. de rer. permut.* Conf *n. praeced. III. n. 2, lit. a) b) c)* Hanc Episcopi auctoritatem adeo necessariam esse docent citati tituli *de rer. permut.* Interpretes, ut si beneficia *diversarum* sint *Dioecesium*, *utriusque* Episcopi consensus exigi debeat, sique hoc neglecto privata auctoritate aliqui permutent, beneficia praevia sententia amittant.

Quaestionem: an, si alius resignare nolit, postquam alter permutationis caussa jam resignavit, posterior beneficio suo excidat? negative resolvit Innocentius III. *cap. 8. de rer. permut.* statuens: posse eum ad resignatum beneficium redire; *beneficia* enim permutationis caussa *resignata debent, & possunt solum permutantibus conferri, ipsaque jura deceptis, non decipientibus obvenire.* Adcuratius de permutatione beneficiorum agit Zech *Sect. III. de jur. rer. tit. IX. §. 129. seq.*

V. Addunt non nulli beneficia minora adquirendi modis praescriptionem, vi cujus

a) aliquis, qui *bona fide*, & *titulo colorato* absque simoniae, similive vitio beneficium per *triennium* quiete possidet, a nemine inde turbari potest: *f)*

b) imo

b) imo, qui etiam nullo, ne quidem colorato titulo pacifice per *annum continuum* a tempore impetrationis inchoatum beneficium possidet, insignem, non tamen eundem favorem percipit. g)

f) Desumunt id ex Regula Cancellariæ XXXVI. ex quodam Concilii *Basileensis* decreto, in Germania sub Alberto II. acceptato hausta. Conf. Van Espen *P. II Sect. III tit. IX. cap. IV.*

g) Lata est nimirum alia Cancellariæ Regula XXXV. ab Eugenio IV ad imitationem feudorum contra involatores alienorum beneficiorum, litiumque artifices, quos *devolutarios* vocant. Vi hujus non prodest impetratio beneficii per annum continuum quiete ab altero possessi a Sede apostolica obtenta impetranti, nisi in impetratione expresserit nomen gradum, nobilitatemque possessoris, & possessionis tempus & caussam, quare possessori nullum jus in beneficio competat; item nisi possessorem ipsum intra sex menses in judicium vocet, caussamque ex tunc infra annum usque ad definitivam sententiam prosequatur. Conf. Van Espen *cit loc. cap. III.*

Quod adtinet 1) *Optionem*, cujus nomine jus venit quibusdam capitulis competens, vi cujus seniores per gradum præbendam aliam vacantem, priore dimissa, eligere possunt: 2) *Turnum*, quo ordo significatur a capitulo statutus, secundum quem Capitulares ad beneficia vacantia nominant, quique, si secundum senium procedat, *stabilis*; si vero cuique certum anni tempus adsignatum sit, intra quod vacanti beneficio ille, cui tempus hoc adtributum est, providere queat, *errans* dicitur: 3) *Nominationem utilem*, vi cujus Capitulares unus ex alio, vel successive, vel simul & semel candidatos nominant, quibus suo tempore de canonicatu, vel præbenda va-

cante ſit providendum, notamus paucis: 1) ex jure communi modos hosce adquirendi beneficia haud promanare; 2) variam eſſe variis in eccleſiis hac in re diſciplinam, quia a particularibus plerumque ſtatutis dependet; conſuli nihilominus non inutiliter poterunt, qui ex profeſſo de iis ſcripſere, uti Joan. Petrus Moneta *tract. de optione canonica.* Conf. interim Zech *cit. loc. §. 128.*

§. VII.

JURA PONTIFICIS CIRCA BENEFICIA VI CONCORDATORUM GERMANIÆ.

I. Ex Concordatis Germaniæ, quorum tenorem, valorem, ac interpretationem jam in Prolegom: cap. II. §. II. determinavimus, varia Romano Pontifici circa beneficia jura competunt, deductione paulo ampliore digna, quorum primum eſt Jus Epiſcopos & Abbates conſiſtoriales confirmandi,

a) cum poteſtate electiones in Germania *liberas* prævie *dijudicandi* intime connexum,

b) a *Tridentino Seſſ. XXIV. cap. 1. de reform:* de novo ſtabilitum,

c) et conſtanter hucusque a Pontificibus exercitum. *h)*

h) Quæ jure communi circa confirmationem electionis præſcribuntur, *præced. §. V. n. II. g.* indicavimus; recolantur hæc: ut quæ in *Germania* ſingulariter obtinent, facilius intelligantur. Iſta vero ad ſequentia reducuntur: 1) intra tempus jure communi præſcriptum (*vid. ibid. lit. a*) Epiſ.

Episcopi & Abbates *immediati* confirmationem a Pontifice petant. A. C. Episcopi & Prælati immediati, siquidem electio eorum concorditer facta sit, ea non indigent; sin vero: a Cæsare eam expetant. Rigger *P. II. §. 323.* 2) Ad iter Romam suscipiendum haud obligati (vid: *§. præced. V cit. n. not. t.*) publicum instrumentum de actu electionis a Notario apostolico confectum, aut a Capitularibus vel Scrutatoribus subscriptum ad Sedem apostolicam transmittant per Legatum Papæ, aut Nuntium ejus provinciæ; qui etiam per se vel vicinum aliquem Episcopum examen instituit de electi natalibus, ætate, doctrina, moribus, fideique professionem ab eodem exigit ad normam constitutionis Gregorii XIV. de an. 1592. *Onus Apostolicæ.* 3) Tum electio Romæ examinatur modo per Concilium *Trident. Sess XXIV. cap. 1. de reform.* præscripto. 4) Hac legitima inventa *Papa eam confirmet, nisi ex rationabili & evidenti caussa, & de fratrum consilio de digniori, & utiliori persona duxerit providendum.* Concord. Germ: §. III. Peragitur autem Confirmatio in Consistorio vel tota simul in uno vel in duobus, ut in primo fiat duntaxat *præconizatio*, in altero *confirmatio*. Post hæc Bulla aut *Breve confirmatorium* editur. Plura hac de re vid. apud Dürr *dissert. de judice controv. in causs. elect. Episc. Germ. Tom. II. Thesaur. J. E. n. 8.*

II. Jus alterum quoque Concordata sub certis limitationibus Pontifici stipulantur, nimirum jus de obtento beneficio partem fructuum primi anni, aut certam de illis pecuniæ summam seu Annatas exigendi. *i*) Harum sunt

i) IV. genera: scilicet

a) *Annatæ simplices*, seu dimidia pars unius anni redituum, soli Papæ ex beneficiis *minoribus* & *regularibus* ultra viginti quatuor aureos taxatis obveniens: *k*)

b) *Servitia communia*, quæ proprie Germanis *annatarum* nomine veniunt, & ab Ecclesiis cathedralibus, & Abbatiis consistorialibus solvuntur, quorum pars dimidia Pontifici cedit, pars altera Cardinalibus Romæ præsentibus distribuitur:

c) *Servitia minuta* seu taxæ minores, minoribus Papæ officialibus solvendæ:

d) *Quindennia*, sive summa pecuniæ singulis quindecim annis Cameræ Apostolicæ ex beneficiis *perpetuo unitis* vel a *reservatione* specialiter *exemtis* pendendæ. *l*)

i) Circa *originem* Annatarum non eadem est omnibus opinio: aliqui enim ad hos, alii ad alios usus vel abusus natales earum referunt. Aequius sentiunt, qui eas ab *indulto* illo repetunt, quo Romani Pontifices Episcopis nonnunquam vel omnes fructus, vel fructus primi anni ex Beneficiis ad collationem horum Episcoporum pertinentibus, quæ intra certum tempus e. g. intra biennium, vel quinquennium vacassent, pro expungendis Ecclesiæ suæ debitis concesserunt. Plura ejusmodi indultorum exempla recenset Thomassinus *P. III. lib. II. cap.* 58 *n* 2. *seq.* Ex libris Decretalium notiora sunt Honorii III. *cap* 32. *de verb. signif.* Bonifacii VIII. *cap.* 10. *de rescript. in* 6 item *cap.* 26. *de præbend. in* 6. Nempe idem sibi quoque licere censebant Pontifices, quando Ecclesia Romana necessitatibus urgebatur, quod pari in casu aliis Episco-

pis

pis concesserant. Ex dictis vero liquet, hæc beneficiorum emolumenta longe prius penes Episcopos varios fuisse, antequam ad Romanos Pontifices pervenerint, ingratum proin adsumere laborem eos, quicunque Episcoporum in Concilio *Constantiensi* & *Basileensi* contra Pontificias Annatas querelas ab omnis invidiæ nota purgare conantur.

k) Annatæ *Bonifacianæ* nomine hocce genus hodie compellatur, quia forma ejus hodierna a Bonifacio IX. ortum duxit.

l) Juxta Constitutionem Pauli II. *Decet Romanum*. quam illustrat Cardinalis Petra *Commentar. in Apostolic. constit. tom. V.*

2) Titulus Annatarum

a) hodie *perpetuus m)* ac justus est, cum pro ferendis a Pontifice pro bono Ecclesiæ, & Ministrorum suorum sustentatione sumtibus tribuantur; *n)*

b) nec *Simoniæ* incusari illarum exactio poterit ex eo, quod Bullæ confirmatoriæ plerumque ad earum usque solutionem retineantur, cum non tam Pontificum cupiditas, quam Episcoporum eas hinc inde, obtentis semel Bullis, solvere recusantium tergiversatio hunc morem induxerit. *o)*

m) Olim titulus petendi Annatas erant *necessitates* Ecclesiæ; (Vid. *not. præced. i)* hæ vero *transeuntes* erant: titulus ergo Annatarum *perpetuus* dici haut potuit. At nunc jam Pontifici stabili lege & absolute vi Concordatorum Germaniæ debentur; cum igitur Concordata hæc naturam veri, publici, ac perpetui pacti habeant, sequitur

Annatarum titulum perpetuum esse. Conf. Barthel *dissert. gen. de concordat. cap. 3. Sect. II. §. 12. pag. 385.*

n) Qui rationem hanc ad probandam Annatarum *justitiam* insufficientem dicunt, viderint ne sibimet ipsis non constent, quotiescunque eandem ad removendam ab aliis Episcoporum aut Parochorum emolumentis simoniæ suspicionem adhibent. Sed enim supersunt argumenta alia, quæ justum esse Annatarum titulum ostendunt. 1) Non Prælatus, sed ecclesia ipsa antequam ei aliquis præficitur, ad solutionem Annatarum de mediis fructibus ex ipso vacationis die Cameræ apostolicæ obligatur: propterea qui ecclesiæ præficitur, medios solvit fructus, sicut alia debita ad utilitatem ecclesiæ contracta. Ita ratiocinatur Thomas Campegius *tract. de annat. institut. n. 11.* 2) Juste, atque absque simoniæ vitio pensio beneficiis imponi potest; cur non & annatarum onus? 3) *Basileense* Concilium, cujus auctoritate damnari annatas putant, simoniacum non censuit, Romano Pontifici promittere, pro oneribus, quæ eum pro regimine universalis Ecclesiæ subire oportet, proque sustentatione S. R. E. Cardinalium & aliorum necessariorum Officialium debite omnino & congruenter providere se velle (*Sess. XII in fine.*) ergo eo ipso Annatarum titulum a simoniæ culpa absolvit. 4) Idem Concilium electo suo Pseudo-papæ Felici V. eas indulsit *Sess. XLII* 5) Quid? quod e Protestantibus plures de nimio in Pontifices favore minime suspecti ingenue fateantur, inania esse quæ ex vitio simoniæ annatis adspergunturi? (Vid. Boehmerus *Jur. eccles. Protestant. lib. I. tit. XI. §. 46.*) ac unanimiter Annatas, quas Pontifici solvi ægre ferunt, Principibus suis ex pluribus beneficiis reservent? Idem *cit. loc. §. 32.* item Stryckius *Dissert. vol. VII. disp. 4. de jur. papali Principum evangel.*

gel. cap. 4. §. 7. seq. Plura legi possunt apud Petrum de Marca *de concord. Sacerdot. & Imper. lib. VI cap. 12.*

o) Ut ex responso Cardinalis *Senensis* Æneæ Sylvii ad litteras Cancellarii *Moguntini* Martini Mayr colligitur quibus hic acerbe conquestus est, quod Annatæ absque ulla dilatione temporis exigantur. Vid. Zech *de jur. ver. Sect. III. tit XII. §. 173.*

3) Annatas solvendi modus.

a) De ecclesiis *cathedralibus* omnibus, & monasteriis *virorum*, *immediate* Pontifici subjectis certa pro fructibus *primi* anni pecuniæ summa solvitur, in libris *Cameræ apostolicæ*, taxata, quæ *servitiorum communium* nomine venit;

b) neque prius pendenda hæc summa est, nisi habita *pacifica possessione* totius, aut majoris fructuum partis, ita ut secundum Concordata pars dimidia infra annum, pars altera infra annum sequentem solvatur, quod tamen hodie non obtinet. *p)*

c) si vero infra annum *bis* vel *pluries* vacaverit Prælatura, *semel* tantum solvitur, nec debitum hujusmodi in successorem transit;

d) de beneficiis demum, quæ summam *viginti quatuor aureorum de Camera* non excedunt, nihil exigitur; prout in Germania, ubi beneficia minora quæcunque a Pontifice collata ultra hanc summam taxata haud sunt, de his *annatæ nullæ*, sed *servitia* tantum *minuta* præstantur. *q)*

p) Ut prius *præced. n. 2. lit. b.* animadvertimus. Ex eo vero, quod Annatas non nisi habita pacifica possessione fructuum solvendas esse. Concordata statuunt, ob rationis paritatem infertur: eas, seu pecunias jam solutas, si quis possessionem non obtineat, esse restituendas. Sic Romæ judicatum an. 1667. & 1677. item an. 1712. prout refert Card. Petra in *Comment ad Constit. apostol. tom. V. ad constit. I* Nicolai V. *Sect. un n. 67.* occasione Coadjutoris *Olomucensis* ante Coadjutum defuncti.

q) Conf. Concordatorum ipsorum tenor.

III. Jus tertium Pontifici in Concordatis firmatum, at secundum illorum verba explicandum, versatur circa beneficiorum reservationes; r) ubi

1) illæ primo occurrunt, quæ in *jure scripto*, cui eo tempore *Extravagantes* nondum adjunctæ fuerant s) continentur, a Clemente IV. invectæ. Istæ

a) se ad sola beneficia *per obitum apud Romanam Curiam* vacantia extendunt, t)

b) & de se *perpetuæ* sunt, ita, ut beneficia, vacante Sede Romana, nisi sint *curata*, quæ moram non patiuntur, futuro Pontifici usque ad elapsum integrum a die vacationis mensem reserventur. u)

r) An reservationes beneficiorum antiquitus in usu fuerint? Negat Franc. Florens ad *lib. III. Decretal. tit. V. tom. 2. fol. 307.* ea ex caussa; quod in collectionibus SS. Canonum de ejusmodi reservationum mandatis nihil ante tempora Alexandri III. reperiatur; hicque Pontifex tales

les formulas adhibuerit, e quibus firma animi ejus persvasio de jure beneficia ad Ordinariorum collationem pertinentia sibi reservandi haud eruitur. Nempe in epistola 43. epistolis Petri *Cellensis* adjecta commendat Pontifex Alexander Abbati & Capitulo S. Remigii quemdam Clericum his verbis: *Caritati Vestræ preces affectuosas porrigimus* &c *Ibid. epist.* 7. *Commendamus rogantes & rogando mandantes &c.* Postea morosis Collatoribus dabantur *Monitoriæ*, dein *Præceptoriæ*, demum essentiali Primatui jure supplendi negligentiam Prælatorum *Exequutoriæ. Cap.* 30. 37. 39. *de rescript.* varia scribendi forma adhibita. Vid Zech *cit. loc. tit. X. §.* 137. Ut jus istud frequentius exerceretur, illa inprimis ætate, qua vitiis immersi Episcopi & Principes prodiga manu in indignos beneficia dispergebant, postulavit Ecclesiæ salus. Huic igitur provisuri Pontifices Romani Episcoporum potestatem in conferendis beneficiis, quo minus ea abuti possent, restringere, sibique beneficiorum plurium collationes reservare cæperunt. Erant autem ab initio reservationes istæ speciales; sensim a temporibus Clementis III. ad totum aliquod beneficiorum genus extensæ, increscebant numero suo adeo, ut tempore magni schismatis ad finem seculi XIV. & initium XV., cum singuli, qui se pro Pontifice gerebant, fautores suos gratiis vellent cumulare, paucissima superfuerint beneficia, quæ a Pontificum Romanorum collatione non dependissent. Inde graves illæ, at irritæ in Concilio *Constantiensi* contra reservationes quærelæ! in *Basileensi* felicius repetitæ, tandem per Concordata *Germaniæ* ita compositæ, ut non supersit caussa, cur plures reservationes abolitas doleant Pontifices; aut aliquas iisdem relictas invideant Episcopi. Jam quæ hæ sint? videndum est.

s) No-

s) Nomine *juris scripti* hic non nisi *decretum* Gratiani, *Decretalium libri V, sextus*, & *Clementinæ* intelliguntur. Conf. Schenkl *cit. loc. §. 531.*

t) Per *Curiam Romanam* non solum locus, in quo caussæ a Pontifice audiri, & litteræ Apostolicæ expediri solent, verum etiam vicina loca designantur, quæ ultra *duas diætas legales* a loco, ubi moratur Curia, non sunt remotæ. Per *diætam* vero *legalem* intelligitur iter unius diei, quo ordinarie *viginti milliaria italica* percurruntur. Beneficia per *obitum apud Curiam Romanam vacantia* sunt, (ut exponit Bonifacius VIII. *in cap. 34. de præb. in 6.*) quæ habent illi, qui negotiorum caussa ad Curiam Romanam venientes, vel etiam ab ipsa recedentes in locis Curiæ vicinis moriuntur. His præmissis sequitur hunc esse propositionis sensum: Vi Concordatorum illa primo beneficia Romano Pontifici reservantur, quæ vacant a morte eorum, qui negotiorum caussa ad Curiam Romanam venientes, vel ab ipsa recedentes obeunt in loco quopiam ultra 40 milliaria a Curiæ ipsius loco non distante. *Cap. 34. de præbend. in 6.*

u) Elapso mense a die, quo dignitates seu beneficia ipsa vacaverint, possunt ea conferre illi, ad quos alias eorundem beneficiorum & dignitatum collatio spectat. *Cap. 3. de præbend. in 6.*

2) Receptæ dein sunt & illæ, quæ in Extravagante; *Ad Regimen* exprimuntur, proin etiam

a) beneficiorum *vacantium* per *depositionem*, *privationem*, *translationem*, judiciali Pontificis sententia factas: *v)*

b) va-

b) vacantium per *cassatam electionem*, *repulsam* a Papa *postulationem*, vel *admissam renuntiationem*: *x*)

c) vacantium per *obitum Cardinalium* aliorumque Curiæ Romanæ *Officialium*, qui in Concordatis recensentur: y)

d) vacantium per *promotionem*, seu illorum, quæ promoti a Pontifice *tempore promotionis* possidebant. z)

v) Unde non reservantur Pontifici vacantia 1) per *exauctorationem* a Canone, vel Ordinario decretam; 2) per *resignationem* in manus Ordinarii aut absolute, aut permutationis gratia factam; aut 3) factam ab eo, qui post resignationem diebus *viginti superstes* non est, ubi per obitum censetur vacare. Adde, indultum de eligendo in locum exauctorati Capitulo negari vix posse a Pontifice, siquidem exauctorationis caussa Capitulo imputari nequeat: cum innocens privari jure suo non debeat.

x) Eiam hic innocenti Capitulo jus salvum manebit.

y) Videlicet *Vice-cancellarii*, *Camerarii* verosimiliter tum solum, si in Curia supremum diem obeant; *Legatorum* vero, vel *Nuntiorum* seu *Rectorum* aut *Thesaurariorum* ubicunque decedentium. Discriminis hujus caussam adfert Maur. Schenkl § *533 Schol.* Quare quotiescunque *Episcopum*. Germaniæ *Cardinalem* creari, aut ad officium Curiæ Romanæ evehi contigerit, Capitula sibi per *Indultum* consulunt.

z) *Exceptiones* ab hac regula recenset Schenkl *cit. loc.* § *535 Schol.*

3) Accedunt porro Reservationes in Extravagante: *Execrabilis* indicatæ, vi cujus ex sensu,

ſenſu Concordatorum a Pontifice conferenda ſunt

a) beneficia quævis vacantia per *aſſecutionem* alterius beneficii *incompatibilis*,

b) ita tamen, ut *unum* tantum, & ſecundum mentem Concordatorum *primum*, non utrumque reſervatum ſit,

c) modo ſecundum *immediate* a Pontifice ſit collatum,

d) ac impetrans in hujus ſecundi *pacifica* & *frugifera* poſſeſſione exiſtat.

4) Denique Pontifici per Concordata conceſſum eſt jus conferendi beneficia in menſibus imparibus *Januario*, *Martio* &c. qui ideo *Papales* audiunt, vacantia: excipiuntur tamen

a) beneficia juris Patronatus *laici*, vel *mixti*: *a*)

b) *dubia*, an in menſe Papali, an alio vacaverint: *b*)

c) *dignitates* præſertim *electivæ*, & *majores* poſt pontificalem in eccleſiis cathedralibus, ac *principales* in collegiatis; cum inſtrumento potius Concordatorum, ſat clare hoc innuenti, quam quibusdam Bullæ confirmatoriæ exemplaribus ſtandum ſit. *c*)

a) Ne laici a favoribus eccleſiæ præſtandis abſterreantur.

b) In dubio enim favendum eſt potius Ordinariis.

c) Præterea

c) Præterea enim quod Concordata utriusque partis consensu facta sint, ipsa vero Bulla confirmatoria a solo Pontifice procedat, proin in collisione cum Concordatis, posterioribus major sit auctoritas; accedit: exemplaria Bullæ, ætati Concordatorum propinqua magis, favere Concordatis. Conf. Schenkl. §. 536. Ceterum non eadem est quoad beneficia, quæ in mensibus papalibus Pontificis collationi remanent, ubique in Germania disciplina. Jus istud mensium papalium sæpe per alios ex privilegio, aut aliis ex titulis exercetur; sic tribus Electoribus ecclesiasticis vi *quinquennalis privilegii* concedi solet, qui & in congressu *Emsano* illud perpetuum esse voluerunt.

5) Circa adjuncta hujus provisionis Pontificiæ notanda sunt

a) *tempus:* beneficia enim *in Curia* vacantia *unius*, quæ vero in mensibus *papalibus* vacant, *trium mensium* intervallo conferenda, & provisio in loco beneficii notificanda est; *d)*

b) *subjectum* provisionis: quod illis, quas leges & statuta particularia exigunt, dotibus ornatum sit: at

b) *Sede* Romana *vacante* jus mensium *exspirat*, & collatio potiori jure Ordinario vel Capitulis, quam Cardinalibus aut Archiepiscopis vindicatur. *e)*

d) Secus pertinet collatio ad Ordinarios.

e) Quod *formam collationis* Pontificiæ adtinet: rescripta provisionis alia in forma *commissoria* seu *dignum*, alia in forma *gratiosa* dantur; per illa datur quidem jus quoddam ad beneficium: de

eo tamen non fit provifio Romæ, fed facienda, aut faltem per tituli collationem perficienda remittitur ad Ordinarium, cum mandato, ut præmiffo examine idoneus inventus in beneficio inftituatur; per hæc vero Papa jam Romæ confert beneficium ceu ei, quem idoneum cognofcit, quique proin neceffario erit inftituendus in beneficio.

§. VIII.

PROVISIO BENEFICIORUM PER PRIMAS PRECES.

I. Jus Imperatori faltem competens, durante regimine fuo, femel aliquem idoneum ad unum beneficium in quibusdam Germaniæ ecclefiis vacans, vel vacaturum nominandi Jus primarum precum vocatur. *f)* Hujus origo

a) *quoad tempus* incerta quidem, at ex *confuetudine* paullatim manaffe, & ultra feculum XII. non differenda videtur, cum Rudolphus I. jus iftud jam ex *antiqua, & adprobata confuetudine* deducat; *g)*

b) *quoad fundamentum* varia a variis adfignatur; *h)* id tamen veritati confonum magis, jus iftud ex variis *Advocatiæ*, *Privilegiorum* &c titulis a Cæfaribus cæptum, *confuetudine* firmatum, ac *Indulto* Pontificis, ut facilior executio, aut promtior obedientia redderetur, roboratum fuiffe. *i)*

f) Dici-

f) Dicitur 1) jus *precum primarum*, utpote quæ una vice tantum ad quamvis ecclesiam adhibentur; & *primariarum*, ut quæ necessitatem imponant, & reliquis omnibus præferri debeant; 2) differt a jure *Patronatus*, quod istud ad beneficium quotiescunque vacans, illud semel tantum & etiam ad vacaturum exerceri queat; 3) distinguitur a *litteris panis*, quæ non ad beneficium ecclesiasticum, sed ad alimenta laicorum pertinent.

g) Nimirum anno 1273. Ante hunc igitur annum longe prius in usu erat, quod hanc veluti gratiam haberent Ecclesiæ Imperatoribus, quorum beneficiis & protectione fruerentur Mascow *Princip. Jur. publ. germ. lib. V. cap. I. §. 28.*

h) Celebriores de juris hujus origine variorum opiniones recenset, & examinat Schenkl §. 542. 543. negans; illud 1) ex *jure majestatico* Principum, & jure *in sacra*, ut volunt Protestantes; 2) ex *dotatione*, & *fundatione* ecclesiæ, aut *privilegiorum* Cæsareorum concessione; 3) ex *dignitate* Imperatoris *canonicali*; 4) ex *coronatione* ejusdem; 5) ex *advocatia* ecclesiarum suprema; 6) aut ex *solo indulto* Pontificis, vel ex *consvetudine sola*, derivari posse.

i) *Indulti* Pontificis meminere Fridericus III. & plerique ejus successores in suis precum formulis; at a tempore Josephi I. nulla amplius, si Carolum VII excipias, illius in litteris Cæsareis occurrit mentio; disputatum enim est acriter ab ea ætate; an necesse sit, ad ejus exercitium concessionem petere a Pontifice? Pro negativa prodiere: an. 1712. *Vindiciæ primariarum precum*, Cæsareæ Majestati suo uno, & proprio jure vi, ac virtute electionis per Imperium Romanum competentium; Romanæ Curiæ caussam egit Conrad. Oligenius, seu Petrus

Marcellinus Corradinus, tum Subdatarius, postea Cardinalis. Illi respondit Dn. Gribnerus in dissert: *de precibus primariis Imperialibus, sine Pontificis indultu validis.* Solenniores factæ sunt lites hæ sub Francisco I. jus istud absque ulla alia concessione sibi proprium adserente: tum enim adnisus est ipse Benedictus XIV. auctoritatem Pontificiam, ceu juris hujus fontem plurimis argumentis extollere. Conf. Schenkl. *cit. loc. §.*

II. Competit autem jus primarum precum

a) sine controversia Imperatori; *k*)

b) Imperatrici a multis denegatur; ab aliis velut ab Imperatore *cessum*, & ejus nomine exercendum; ab aliis iterum, adductis Eleonoræ, Blancæ Mariæ, & Annæ Augustarum diplomatis, vel in *omnibus*, vel saltem in ecclesiis *sexui fœmineo* destinatis ceu *proprium* tribuitur: *l*)

c) Regi Romanorum exempla Maximiliani I. & Josephi II. favent; is tamen factus postea Imperator illas repetere nequit:

d) Vicariis S. R. I. quidam hoc jus ex Bullæ aureæ tenore vindicant, in qua ipsis potestas ad *beneficia præsentandi* adjudicatur, verum hanc ad ea solum beneficia, in quibus Imperator *jus Patronatus* habet, alii restrictam volunt:

e) tandem *Dominis territorialibus* Protestantium plures id juris concedunt, imo & ad uxores eorum extendunt, sed alii cum Catholicis

tholicis unam maxime circa hoc *obſervantiam* adtendendam cenſent. *m*)

k) Cui de novo in Pace W. firmatum eſt. Vid. *Inſtr. P. O art. V. §. 18.*

l) Vid. Deinlinus *de Jure primariarum precum Imperatricis Auguſtæ* Conf. Mascow cit. loc. *lib. III cap. VI §. 5.*

m) Conf. Schenkl. *§. 545. Schol.*

III Jus hoc Cæſareum extenditur

a) ad eccleſias *cathedrales* & *collegiatas catholicas* omnes, niſi privilegium, aut conſvetudinem contrariam probare poſſint: *n*)

b) ad *Proteſtantium* eccleſias *immediatas*, in quibus Imperator ante P. W. hoc jus exercuit;

c) & illas *mediatas*, in quibus *prima Januarii* anni *normalis* jus hoc ab eodem *exercitum*, ſeu, ut prudentiores explicant, in quibus *facultas* hujus exercitii cum facto quodam, ſeu precibus ante hac datis, conjuncta nulla adhuc eo die contradictione eliſa fuit; *o*)

d) in eccleſiis tamen *Proteſtantium* non niſi A. C. addictus, in *mixtis* vero ejusdem tantum religionis conſors cum eo, cujus beneficium vacaverit, primaria prece gaudebit. *p*)

n) Vi cujus vere plures eccleſias, n. ſeq. exemtas videbimus.

o) *Instr. P. Osn. art. V. §. 18. 26.* Conf. diss. J. A. Brand *de jur. Cæs. primarum precum. cap. III. §. 14. seq.* exstat in Thesaur. J. E. *Tom. V. n. 4.*

p) P. W. cit. loc.

IV. Etsi vero juxta formulas precum recentiores jus Cæsareum se exporrigere ad *omnia beneficia* videatur, tamen tum consvetudine, tum aliis titulis excipiuntur

a) dignitates *episcopales*, aut *majores* post episcopalem in cathedralibus, & *principales* in collegiatis: *q*)
b) beneficia *curata*, nisi præbendis canonicalibus unita sint: *r*)
c) *regularia*: *s*)
d) *perpetua unita*; *t*)
e) beneficia *Patronatus laici*, & *mixti*; *u*)
f) *monocularia* seu quorum collator *unum* duntaxat, vel *non* saltem *quatuor* conferre potest: *v*)
g) *dignitates*, *personatus*, si canonicatui non perpetuo adnectantur: *x*)
h) beneficia *liti* cum eorum possessoribus defunctis jam motæ, nec adhuc finitæ *implicita*: *y*)
i) vacantia *permutationis* caussa, aut etiam, juxta quorundam opinionem, per *resignationem* sive *simplicem*, sive *in favorem*, coram Pontifice factam.

q) Quia uni electioni ex Concordatis & praxi obnoxia sunt. Vid. *§. præced. V.*

r) Ut animarum saluti alio modo melius prospiciatur.

s) Ea saltem, quæ ex *natura sua talia* sunt.

t) Seu *incorporata* ecclesiis, quæ proin ob perennitatem ecclesiarum nunquam reapse vacant.

u) Ob singularem horum favorem.

v) Ne Collator omni occasione exercendi jus suum privetur.

x) Urget tamen sæpe Aula cæsarea *precistarum* etiam ad hæc beneficia admissionem.

y) Ne via facti litem dirimere Imperator videatur in præjudicium alterius litigantis.

V. Preces primæ dirigendæ sunt

a) non nisi pro personis *dotibus illis*, quas leges tum *communes*, tum *particulares* ecclesiarum requirunt, *instructis*; z)

b) a quibus dein *ordinario* collatori *insinuandæ* sunt, & intra *unum mensem* a notæ vacationis die *acceptandæ*, nisi, diplomate precum fors indefinito, aliud vacaturum fors exspectare malint; *a*)

c) ne tamen ordinarii collatores reluctentur, *exequutores* in ecclesiastica dignitate constituti a Cæsare nominari solent, qui *monitis*, ac si necesse sit, etiam *censuris* id urgeant, vel *ipsi* demum precistæ beneficium conferant;

d) quodsi fors *lites* circa precistæ admissionem oriantur, pro dubii varietate jam Cæsar,

sar, jam judex ecclesiasticus rem dijudicabit.

z) Seu non nisi pro dignioribus, aut saltem dignis, &, ubi statuta exigunt, generis nobilitate claris.

a) Hanc precum *insinuationem collationem* Ordinarii praecedere debere, secus beneficii, quod ante insinuationem collatum est alteri, acceptandi, aut etiam petendi nullum amplius precistae, eodem licet currente mense, jus fore adserit Cl. Endres differt. *de insinuationis prim. precum Caesar.: necessitate.* Thesaur. J. E. *Tom. VII. n. 9.*

VI. Effectus primarum precum

a) tantus est, ut precista omnibus reliquis, qui spem quocunque alio titulo ad beneficium habent, *anteponatur*,

b) ac si *intra mensem* petat, statim ei cum *praebenda locus* in *choro* & *capitulo* adsignari debeat, in quo tamen Capitulorum praxis necdum certa est, eoquod haec ex aequitate quaedam onera v. g. *annorum carentiae* a tali prius sustinenda esse praetendant. *b)*

b) Conf. supr cit. Brand loc. cit. *cap. V. §. 10.*

VII. Exspirant denique

a) *revocatione*, non tamen sine gravi caussa facienda:

b) *morte precistae:*

c) *renunciatione* facta cum consensu Caesaris, ac sine *simoniae* reatu: *c)*

d) *matrimonio*, aliove *impedimento perpetuo* subsequente:

e) ob-

e) obtento alio *beneficio incompatibili:* f) ita tamen, ut, si preces ejusmodi pro uno effectum ob has causas sortitæ non sint, repeti pro alio in eadem ecclesia possint. *d*)

c) *Renunciatio* vel *absoluta* est, vel fit *in favorem* alterius; ad posteriorem solum legitime faciendam Cæsaris venia requiritur.

d) Modis ergo quibus beneficiis provideri potest recensitis monendum adhuc, jus provisionis, si illud vel *ultra tempus* præscriptum *differendo* vel *indignum* designando, cum *culpa* quadam *non canonice* exerceatur, *regulariter* ad Superiorem, ordine hierarchico per gradus servato, & quoad Episcopatus & Prælaturas regulares immediatas in Germania pro illa vice ad Pontificem *devolvi*; aut siquidem provisio de jure ad Episcopum seu Prælatum & Capitulum simul pertineat, negligente eam Episcopo Capitulum ex *jure adcrescendi* providere poterit. De reliquo beneficia ex *jure devolutionis* haud aliis conferri posse, quam qui ad ea *provisione ordinaria* pervenire potuissent, monito vix eget, cum illud in hujus locum succedat. Plura de *jure devolutionis* vid. apud Schenkl cit. loc. *§. 551. seq.*

§. IX.

OBLIGATIONES ET JURA CUM OBTENTO BENEFICIO CONNEXA. *e*)

I. Ante cetera obstringuntur beneficiati jure *humano* ad fidem catholicam *publice* profitendam. *f*) Nimirum

 a) Papa

a) *Papa* ante electionis suæ publicationem; g)

b) *promoti* ad Episcopatum; *h*)

c) *Prælati* ordinum *regularium* etiam *militarium*;

d) *provisi* de *Canonicatu*, vel dignitate *cathedrali*; *i*)

e) *provisi* de beneficio *curato*; *k*)

f) aliique *plures*. *l*)

e) *Obligationes* Beneficiatorum aliæ jure *humano* introductæ sunt, aliæ vero ex natura beneficii, aut *divina* positiva *lege* profluunt. Posteriores sequente numero dabimus.

f) Magnopere enim ad salutem Ecclesiæ interest, eam de suorum beneficiatorum fide speciatim certam esse; id autem humano modo alia fieri ratione nequit, quam publica & solenni fidei professione. Cum vero jam aliunde lege nimirum Christi fidem veram animo colere & opere testari illi inprimis obligentur, qui ceteris fidelibus præsunt, sequitur: eousque solummodo hancce de fide catholica publice profitenda obligationem *juris humani* dici posse, quatenus ad *formam* professionis Ecclesiæ auctoritate determinatam respicitur.

g) Concil. *Constantiense Sess. XXXIX* add. *libr. diurn. rom. Pontif cap. II. tit IX.* ex edit. Joan. Garnerii.

h) *Can.* 2 *Dist. XXIII. can.* 4 *Dist. C.* Professionem hanc ex decreto Concilii *Trident. Sess. XXIV. cap.* 12 *de reform.* Episcopi in prima ab electione Synodo provinciali emittere deberent. At cum Synodi provinciales celebrari hodie non soleant, Episcopi officium suum implere censentur professionem edendo in manibus Nuntii apostolici, vel

vel cujusdam Episcopi: ea autem hac ratione emissa scripto exarata Romam mittitur, inserta instrumento de facta inquisitione super qualitatibus electi.

i) Concil *Trident. Sess. XXIV. cap.* 12. *de refarm.* Ne autem saluberrimum istud Concilii *Tridentini* decretum facile infringatur, cautem est porro, ut provisi de dignitate vel canonicatu in ecclesiis cathedralibus aut de beneficio curato, neglecta *per duos menses* a die adeptæ possessionis hac professione *fructus deinceps non faciant suos, nec illis possessio triennalis secundum regulam Cancellariæ XXXVI suffragetur.* Conf. *§. præced. VI. n. V. lit a)* Ex qua dispositione consequitur 1) ut provisi de beneficio *curato* vel *canonicatu* cathedrali *ultro* teneantur se offerre ad faciendam fidei professionem, utpote ab ipsa lege interpellati. 2) Ut intra *bimestre* præfixum *dolo* vel *culpa* omittentes professionem ad fructuum *postea* perceptorum restitutionem teneantur ante omnem judicis sententiam: cum clausula *fructus non facere suos* manifestam inducat inhabilitatem ad fructus porro percipiendos; 3) ut tamen non priventur *distributionibus quotidianis*, nisi forte omnes beneficii fructus in distributionibus consisterent; tum enim, ut sanctio Consilii effectum sortiatur, fructuum appellatione *duas* saltem *tertias* distributionum istarum improprie talium comprehendi, recte adfirmant. Vid. Barbosa *J. E. lib I. cap XXI. § 74* Ceterum hæc sanctio non extendenda est ad provisos de canonicatu, & dignitate in Ecclesiis *collegiatis*, nisi aliud consvetudo introduxerit.

k) Concilium *Trident. Sess. XXIV. cap.* 12. *de reform.* Conf *not. præced i)*

l) Nempe 1) *baptizandi*, si *adulti* sint, *can.* 58 & 59 *Dist. IV. de consecrat.* 2) *hæretici* Ecclesiæ catholicæ

catholicæ dogmata amplexuri. *Cap. 9. de hæret.* 3) *sacris ordinibus* initiandi, *can 6. Dist. XXIII.* 4) *Doctores & Magistri publici* cujuscumque disciplinæ. *Trident. Sess. XXV cap. 2. de reform.* 5) *promovendi* in Academiis ad gradus litterarios, vel ad *licentiam* docendi. Pius IV. *const.* Sacrosancta.

II. Ex *natura* beneficii obligantur Beneficiati ad *officium sacrum*, *m*) quod

a) pro varia beneficii ratione *varium*, *n*)

b) atque adeo religiose implendum est, ut qui illi per *seipsum*, nisi legitime impeditus sit, obeundo negligenter deesset, *fructus haut faceret suos*, sed pro rata omissionis ad restitutionem jure *naturali* hypothetico teneretur. *o*)

m) Ex def. beneficii *præced. §. IV. n. I.*

n) Recolantur, quæ *P. I. Cap. I.* de variis *Episcoporum*, *Canonicorum*, *Parochorum*, *Regularium* officiis fusius dicta sunt. Inde enim intelligitur officium illud sacrum vel in *cura* animarum, aut *regimine* ecclesiastico, vel in verbi divini *prædicatione*, vel in offerendis certo numero Missæ *sacrificiis*, vel in persolvendis in choro *horis canonicis*, aut saltem illis privatim recitandis consistere. Conf. Schenkl *cit. loc §. 560.*

o) Conc. *Trid. Sess. XXIII. cap. 1. & Sess. XXIV. cap. 12. de refor.* Nec abs re quidem: nam jure *naturali* tenetur quisque præstare id, ad quod pacto expresso vel tacito se obligavit; idque eo magis, siquidem sub conditione illud præstandi commoda percipit non modica. Porro quis nescit fundatores, quorum mentem ecclesia mutare nec voluit, nec nisi ex caussis certissimis, & gravissimis potuit, reditus

reditus beneficiorum non nisi sub conditione explendi officii, & hoc reapse peragentibus adsignasse? ipsam que rationem sufficientem percipiendorum fructuum in religiosa officii observantia esse repositam? quia igitur cessante ratione sufficiente rationatum cessat; & conditione pacti non impleta ex parte alterius, alter ad promissum præstandum non obligatur; patet: fructu beneficii non nisi implentibus officium suum obvenire, quique secus percepti fuerint, restituendos esse. Hisce principiis conforme est 1) decretum *congregat. Concil.* 4 Jun 1689 & 17. Nov. 1695 ut beneficiatus vel Capellanus, cui incumbit onus missas quotidie celebrandi per se ipsum, & si ex diuturna infirmitate excedente quindecim dies impediatur per alium satisfaciat; 2) Concilii *Trident. Sess. XXIV. cap. 12 de reform.* præceptum, ut ad chorum obligati per *seipsos* psallant, non per *Vicarios*, qui impeditis quidem, at non negligentibus dati sunt.

III. Adstricti demum sunt Beneficiati ad *residentiam*, *p)* quæ

a) quamvis ipsa *naturæ lege* omnibus beneficiatis sine discrimine præcepta: *q)*
b) a Christo ejusque Apostolis tum verbis tum exemplis *animarum* inprimis *curatoribus* impensissime commendata: *r)*
c) Conciliorum etiam, ac Pontificum, imo & Imperatorum legibus frequentissime inculcata sit; *s)*
d) nihilominus labentibus seculis multiplici ex caussa adeo relaxata fuit, *t)* ut Concilium *Tridentinum* antiquorum Canonum auctoritatem resuscitare, *u)* residendi obligationem adcuratissime explicare, *v)* ac pœnis

pœnis etiam in non residentes constitutis x) observantiam ejus urgere quam maxime necessarium judicaverit. y)

p) *Residentia* est assidua commoratio in loco beneficii officii ecclesiastici personaliter præstandi caussa. Dividi solet 1) in *veram* & *fictam*. Illa præter personalem in loco præsentiam id etiam involvit, ut pro beneficii natura beneficiatus ipse sacras functiones obeat: hæ personalem quidem præsentiam non requirit, juris tamen quadam interpretatione, & fictione facit, ut revera absens ex justa caussa eum in finem præsens esse fingatur, ut fructus beneficii tuta conscientia percipere queat. *Cap. 14. 15. de cler. non resid. & cap. un. ibid. in 6.* 2) in *veram* & *propriam* nimirum adeo exequendam ut pœna non residenti clerico immineat *privationis tituli* juxta canonum sanctiones: & in *caussativam* seu *impropriam*, quam qui non servet, aut nullos fructus percipiat, aut fructuum diminutionem patiatur, quin privari beneficio possit. Conf. Cardinal de Luca *de benef. disc. 57. & seq.* item in *adnotat. ad Concil. Trident. disc. 4.*

q) Juris *naturalis* præceptum, ut quiscunque beneficiatus *vere* resideat, difficulter quispiam negaverit. Est enim vera præsentia necessaria ad satisfaciendum officiis beneficio adnexis: at officia ista implere naturæ lege beneficiati obligantur (*n. præced. II. not. o*) quid ni igitur etiam ad media? Inde vero nullo negotio colligitur 1) *dispensationem* proprie talem in obligatione residendi haud dari; sed quidquid vulgo nomine dispensationis hac in re venit, *declarationem* duntaxat esse, quod ea adsint adjuncta, in quibus naturale jus ad residendum non obligat: 2) *canones* residentiam præcipientes, si qui ab Ecclesiæ Rectoribus dati sunt, quod postea probabitur, legem naturalem solum *declarare*, & inculcare;

care; 3) *consuetudine* contraria, qualem e. g. quoad beneficia prorsus *simplicia* excusant multi; quæ vero non placet Berrardo loc. cit. *tom. II. pag. 208. & seq.* utpote genuino legis sensui adversa, obligationem hanc, quantum naturalis est enervari non posse.

r) Notissima sunt Christi Domini verba, quibus ad *cognoscendas oves* animarum Pastores hortatur; at quomodo, quæso, absens a grege pastor easdem cognoscet? Magistri præceptum repetit Paulus II. Timoth. IV. 5: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple*: et Act. XX. 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo* Nullam hic Apostolus *Vicariorum* mentionem injicit: sed ubique *personalem* sicut officii pastoralis impletionem, ita *præsentiam* prædicat. At *consilium* residendi, non *præceptum* a Christo datum fuisse dicunt; idque ideo quod in exordio Ecclesiæ residentia ab Apostolis servata non sit. Sed enim potuitne tum servari, quamdiu videlicet messis erat multa, operarii autem pauci? Imo postulavit majus Ecclesiæ bonum, ut fundaretur per orbem Ecclesia prius, postea vero a Fundatoribus suis stabiliter residentibus gubernaretur. Quare fatemur equidem ab exordio Ecclesiæ Apostolos non resedisse; quia nec ad impossibilem casum, nec ad illum, ubi non residendo magis promovetur Ecclesiæ bonum, præceptum istud pertinet; illuc tamen adduci haut poterimus, ut verbis Christi, ac Apostoli consilium residendi solummodo exprimi concedamus. Quid? quod & ipsa Apostolorum ætate speciem quamdam residentiæ servatam fuisse certum sit, alio aliam *sibi orbis partem deligente Apostolo: eo in Europa, in Asia isto, illo alibi in vinea Domini laborante? aut discipulos sibi seligente, quos vel ecclesiis recens ex-

exstructis Episcopos præficeret; vel in remotissimas, quo ipse venire non poterat, terras pari cum potestate ablegaret, plerumque arctioribus terminis circumscribendo sedes quas deserere nefas erat? Conf. Act. apost. item Paul. ad Tit. ac Timoth. Quod vero ad primos post mortem Apostolorum Episcopos adtinet: notissimum est illud S. Cypriani *lib. VI. epist. 6. Syngulis Pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque, & gubernet.*

s) Testantur id abunde jam *primorum quinque seculorum* annales ecclesiastici. Ne alia commemorem, Synodus *Sardicensis* jam *can. VII.* decrevit, *ne Episcopi ad comitatum accedant, nisi forte hi, qui religiosi Imperatoris litteris vel invitati vel evocati fuerint;* & *can XIV.* tempus etiam absentiæ præscribit, quod nisi *necessitas sit inexorabilis, trium hebdomadum* curriculo absolvatur, Concilio *Carthaginensi* V. quod verius VI. sub Aurelio dixeris totius Africæ plenario id *can. V* placuit, ut *nemini Episcoporum facultas sit relicta principali cathedra ad aliquam ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre, vel in re propria diutius, quam oportet, curam, vel frequentationem propriæ cathedræ negligere.* Vid. Harduin in *collect Concil tom. I col. 643. 647. 987.* Eadem decreta ad inferiores etiam pastores, quos *curatos* vocamus porrigi, docet Synodus *Nicæna I. can XVI.* aperte statuens: *quoscunque Presbyteros, vel Diaconos, qui ab Ecclesia sua discedunt, nequaquam ad aliam ecclesiam recipiendos, eosque si non revertuntur communione privandos esse.* Apud Harduin *ibid col. 330* Nec alia fuit *seculis proxime succedentibus, sexto* videlicet *septimo* & *octavo* Ecclesiæ disciplina, ut adcuratissime probat Thomassinus *de vet. & nov. eccles discipl, P. II. lib III. cap. 30 seq.* Qua quidem periodo & Imperatores ipsi conciliorum & Pontificum decreta legibus suis firmare conati sunt.

sunt. Sic Justinianus Imp. *Nov. VI. cap.* 2. sanxit, *ut ne Episcopi diutius, quam anno uno ab ecclesiis suis abessent, neque id etiam nisi electabilis cogat necessitas.* Verum cum indulgentius hoc factum esset, Conciliis & Pontificibus superioris ævi rigorem reducere necessarium visum est. Quare Patres Trullani, quod in Concilio *Sardicensi* olim constitutum erat, *continuos tres dominicos dies* concedebant, quibus si absuerint ab ecclesiis suis Episcopi, & Clerici, seu alii beneficiati exauctorentur. Synod. *Trullan.* seu *Quini-sext. can* 80.

t) Caussæ hæ duplicis erant generis: aliæ ab Ecclesia *adprobatæ*, quæ Episcopos aliosque beneficiatos curæ animarum addictos a residentia excusabant, eosque, si revera subessent, in conscientia tutos reddebant; aliæ vero, quæ citra Ecclesiæ sanctionem accesserunt, *toleratæ* quidem sunt, at plurimorum abusuum fons erant. De illis vid. Thomassin. *cit. loc. P. II. lib. III. cap.* 36. *seq.* t. *II* de his vero Fleury *Inst. J. E. P. II. cap.* 28. §. 3

u) Jam ante Concilium *Trident.* summis studiis incubuere Concilia alia generalia, & particularia, ipsique Pontifices, in id, ut huic corruptelæ mederentur, quod abunde testantur canones, & decreta Pontificum huic titulo in *Decretalibus*, & in *sexto* inserta; vid. *cap.* 15. *de rescript. in* 6. Verum cum parum conatus hi proficerent, resumta est in Concilio *Trident.* tota hæc caussa. Primo quidem agitata est summis animorum motibus quæstio: *an residentia jure divino præcipiatur?* Ajebant Galli, & Hispani, negabant Germani & Itali, quam historiam spartim exposuit Pallavicinus in *hist. Concil. Trident, lib. XVIII. cap.* 15. & *lib. XXI. cap.* 13 Prævaluit tandem adfirmans sententia; & doctrina de residendi obligatione animarum Pastos

tribu-

ribus *divinitus* imposita, *virtualiter*, ut ajunt cum Fagnano ad *cap. 8 de cler non resid n* 1. 20. *seq.*, hocce tenore verborum fuit definita: *Cum* præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, *oves suas agnoscere pro his sacrificium offerre, verbi divini prædicatione, sacramemtorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munera pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque adsistunt sed mercenariorum more deserunt, sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur ut divinorum præceptorum memores factique forma gregis in judicio & veritate pascant, & regant.* Sess. *XXIII cap* 1. *de reform.* Add *Sess VI. cap.* 1 *de reform.*

v) Ut jam penitius, quæ ab hoc Concilio de residendi obligatione statuta sunt, intelligamus, dicendum videtur 1) de *Episcoporum*; 2) *parochorum* aliorumque *curatorum* etiam religiosorum; 3) illorum, qui habent simplex beneficium, & *Canonicorum* residentia.

Quoad *Episcopos* declarat Synodus 1) nemini quacunque dignitate conspicuo integrum esse ab Ecclesia discedere: sed *omnes patriarchalibus, metropolitanis ac cathedralibus Ecclesiis quibuscunque quocunque nomine & titulo præfectos, etiamsi S. R. E. Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diæcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur.* Ex cujus decreti postremis verbis intelligimus: non qualemcunque residentiam sufficere, ut legi satisfiat, sed *laboriosam* requiri juxta præceptum Apostoli (*præced. not r*) & Ecclesiæ, quæ ordinando dicit: *vade, & prædica populo tibi commisso.* 2) Quoniam

niam fieri poteſt, ut vel ratio legis, vel officiorum colliſio exceptionem a reſidentiæ neceſſitate poſtulent, addidit Synodus, poſtquam omnes ad reſidentiam obſtrictos dixit, ſequentem limitationem: *niſi ex cauſſis, & modis infra ſcriptis*, *id eſt*, *cum* 1) christiana charitas, 2) urgens necesſitas, 3) debita obedientia, 4) ac evidens Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitas, *aliquos non nunquam abeſſe poſtulant*, *& exigunt*. En ſolos juſtos nonreſidentiæ caſus! ſolas legitimas abſentiæ cauſſas, quas tamen a Superiore immediato Epiſcopi in ſcriptis probandas eſſe Synodus decrevit, cit *Seſſ XXIII cap. 1. de reform* 3) Extra hos caſus *minutas* ſolummodo quasdam *abſentias* Epiſcopis indulſit, relinquendo ſcilicet eorum conſcientiæ, quam *religioſam & timoratam fore ſperat*, ut ſingulis annis per *duos* aut ad ſummum *tres menſes* a ſua abeſſe poſſint Eccleſia, ita tamen: ut ne abſentia in *feſtos dies* Eccleſiæ ſolenniores incidat, aut cum periculo gregis conjungatur *cit Seſſ cit loc*. At tum abſentes cogitent, *ut ſi corpore adeſſe nequeant*, *adfectu tamen*, *& cura*, *quantum fieri poteſt*, *ſemper adſint*; S. Auguſt. epiſt. 122.

Arctius adhuc *Parochos*, ceterosque animarum cura gravatos, proin ob identitatem rationis & *Superiores Regularium* adſtrinxit Synodus ſtatuens 1) ut, *quandocunque eos cauſſa prius per Epiſcopum cognita & probata, abeſſe contigerit. Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario adprobandum cum debita mercedis adſignatione relinquant*; 2) *discedendi autem licentiam in ſcriptis, gratisque concedendam ultra bimeſtre tempus niſi ex gravi cauſſa non obtineant*. *Seſſ. cit*. At ſunt non nulli, qui non obſtantibus claris ſatis Concilii verbis dubitant: an ſicut trimeſtri Epiſcopus ita Curatus *bimeſtri* tempore ſine facultate abeſſe nequeat. *Dubium ſane odioſum*; ait

Rigger P. III §. 73. *Schol. dubium periculis non paucis, & disciplinæ laxitati obnoxium:* apud nos dudum §. 24 & *quandoquidem.* Sanct: prag. Niss. 26. Oct. 1699. *quod nullus sine expressa Vicarii Generalis facultate, aut si necessitas aliter postulaverit, Commissarii, vel Archipresbyteri sui præscitu ultra triduum a grege sibi contredito abire audeat,* item recentioris Cod: Pruss. P. II. tit. XI. §. 413. & seq. verbis abunde resolutum. Juvat ea hic adponere: §. 414. Wenn sie (die Pfarrer) zu verreisen genöthigt sind, so kann es nur mit Vorwissen und Erlaubniß des Erzpriesters geschehen. §. 415. Dieser muß die Genehmigung der geistlichen Obern einholen, wenn die Zeit der Abwesenheit mehr, als einen Sonntag unter sich begreift. Quærunt alii, an beneficiatus *curatus* tempore *pestis* ad evitandum periculum abesse possit? His respondet Gregorius II. P. *epist.* 2. ad Bonifacium Episc. his verbis: *quod valde fatuum videtur, non enim valet quisquam effugere manus Dei,* apud Harduin. *tom. III col. 1860.* Nota est porro similitudo a milite stationem suam deserere non audente desumta.

Hæc de residentia Curatorum. Supersunt ii, qui sine animarum cura beneficiis potiuntur. Synodus Tridentina residentiam *Canonicorum* ita determinavit, ut 1) illis quolibet anno per *tres menses* continuos vel interpolatos nullo etiam substituto Vicario, sine periculo incurrendi pœnam quamdam humanam absque licentia abesse liceat, nisi *consvetudo*, vel *mens fundatorum* longius residentiæ tempus, quam novem mensium exigat; 2) quæcunque statuta, aut consvetudines longius absentiæ tempus concedentes sublatæ censentur. *Sess. XXIV. cap. 12. de reform.* Ceterum non irritavit Synodus caussas, ex quibus remissa residendi obligatione absentes Canonici *fictione juris* quasi præsentes habiti

habiti fructus præbendæ, non vero *distributiones* lucrantur Harum caussarum præcipuæ sunt 1) corporis *infirmitas*; *cap. 15. de cler. non resid.* 2) frequentatio *studiorum* in scholis publicis cum licentia Superioris; *cap. 12. ibid* 3) *negotia Episcopi* proprii, & Ecclesiæ, cui quis inservit *cap. 7. 13. 14 ibid* Attamen jus commune ita disposuit ut *duo tantum* & simplices quidem Canonici Episcopi officiis simul occupentur. *Cap. 15 ibid.*

x) Pœnæ autem a *Tridentino* statutæ sunt ita, ut *Episcopi* quidem diutius, ac tribus mensibus extra casus ab Ecclesia probatos (*vid præced not. v*) absentes pro *rata* temporis absentiæ *fructus suos* facere nequeant, sed eos Ecclesiæ aut pauperibus adplicare teneantur, & si moniti non emendent, Pontifici denuntientur *Sess XXIII. cap 1. de reform*: *Parochi*, & Curati iisdem pœnis subjaceant, & non emandati censuris: subtractione fructum, etiam usque ad privationem ad residendum compellantur. *Trident cit Sess. cap 1.* Conf. *cap. 2. 8. 10. & fin de cler. non resid*; Hæc quidem de *Regularibus* ob votum paupertati non valent. Eos tamen illegitime absentes nec a reatu peccati, multo minus a pœnis a constitutionibus ordinis religiosi dictatis immunes esse, omnes facile admittunt. *Canonici* denique primo anno dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ suos fecerant: iterato autem negligentes omnibus fructibus, quos eo anno lucrati sunt, priventur. *Tridentin: Sess. XXIV. cap. 12 de reform*: Conf. *cap. 4. 8 sequ & ult de cler. non resid.* item *cap. un de cler non resid. in 6.*

y) Cupiens nimirum medelam ferre malis ex negligentia residentiæ profluentibus quæ hisce verbis amare deplorat Fleury: *populus sine doctrina clerus sine disciplina, vitia impunita, cultus publicis*

neglectus, Ecclesia sine ornamentis, ædificia sine reparationibus, pauperes denique destituti satis proclamarunt, quantum interesset, clericos non residere. Inst. J. E. *P. II cap. XXIII §. 3.*

IV. Officio clericali, & Residentiæ fructus, ac bona respondent, quæ dividuntur

1) in genere:

a) in *patrimonialia*, quæ clericus titulo *profano* hæreditatis &c. possidet:

b) in *beneficialia*, quæ intuitu *Ecclesiæ*, & *sacri ministerii* percipit: z)

c) in *superflua*, quæ, spectato loco ac dignitate officii, *congruæ* sustentationis quantitatem, prudenti judicio æstimandam, *excedunt*; a)

d) in *parsimonialia*, quæ non ob ipsius in congruam datæ portionis excessum, sed ob vitam *parcius* a Clerico institutam ex bonis beneficialibus supersunt.

z) Paullo *alia* bonorum, quæ Clericis competunt, *divisio* præplacet Riggero *P. III. §. 369. seq.* aliisque. Nimirum spectant hi Clericum aut ut Ecclesiæ ministrum, aut ut Reipublicæ membrum. Bona, quæ Clericus titulis quibuscunque, ceteris Reipublicæ civibus communibus, adquirit, *patrimonialia*; quæ vero eidem ut Ecclesiæ ministro intuitu ipsius Ecclesiæ obveniunt, *clericalia* vocant. Priora, prout nempe illa vel *hæreditate* a parentibus, aut consanguineis, vel *donatione, labore, industria* adquirit, in *vere*, — & *quasi-patrimonialia*; posteriora vero, prout illa vel titulo *beneficii* ecclesiastici, vel ratione *functio-*

functionum clericalium etiam sine beneficio percipit, in *beneficialia*, & *clericalia in specie* dividunt. Ab his distincta sunt *bona Ecclesiæ*, quæ ad ipsius patrimonium spectant, & ad certos in ecclesia usus destinata sunt.

a) His opponuntur *necessaria*, quæ nimirum ad congruam clerici sustentationem requiruntur. Etiam istorum quantitas ex diversis loci, personæ adjunctis æstimanda est. Rarius vero recte æstimatur: *nescit* enim frequenter *cupiditas, ubi finitur necessitas* S. August. *lib. IV.* contra Julian: *cap. 14. §. 70.*

2) quoad Canonicos in specie:

a) in *fructus grossos, annuos, præbendæ:*
b) in *distributiones quotidianas*, ob præsentiam in divinis officiis dari solitas: *b*)
c) in fructus *anni deserviti*, qui ob præstita servitia etiam defuncto ad animæ salutem, aut decedentis mentem pie impendendi conceduntur: *c*)
d) in fructus *anni gratiæ*, seu qui post obitum anno proximo hæredibus defuncti, aut massæ ab eo relictæ cedunt. *d*)

b) De istis notetur 1) absque simoniæ, aut saltem mercenarii affectus labe eas pro frequentandi divini officii primario motivo haberi non posse; ad acuendam solummodo in frequentandis divinis officiis Canonicorum industriam inventæ sunt, idcirco etiam *Tridentinum Sess. XXII. cap. 3. de reform.* eas probavit, & augeri voluit; 2) solum vere præsentibus obveniant, nisi fors absentem justæ caussæ excusent, de quibus vid. *Tridentinum Sess. XXIV. cap. 8. de reform. Sess. XXII. cap. 3. de reform.* 3) portiones absentium



cedant præsentibus, si generatim omnibus præsentibus portio inter eos dividenda sit adsignata; nec absentibus remitti, aut condonari queunt; *Trident. ibid & Sess. XXIV cap 12 de ref. form.* 4) si vero cuilibet præsenti definita sit adscripta portio, absentium portiones fabricæ ecclesiæ, alterive loco pio arbitrio Ordinarii adplicentur, aut si hæ ex massa communi pro distributionibus destinata desumuntur, in hac massa remaneant.

c) Pro rata itaque temporis, & præstiti officii dandi sunt, & si decedens integram anni residentiam implevit, omnes & integri.

d) *Anni gratiæ*, sicut & anni *deservitii*, modus ad statuta particularia, queis & originem debet, ceu normam exigendus est.

V. Quod jam Clericornm in hæc bona dominium adtinet, ac usum, cui illa impendere possunt, aut tenentur, varium secundum ipsas bonorum species discrimen adverti debet. Enimvero

a) bona *patrimonialia*, ceteraque, quæ nulla ratione ex clericatu proveniunt, ad Clericos, *qua cives*, pertinent, unde & plenum ipsis in hæc *dominium* competere nulli facile dubio est obnoxium: *e)*

b) in *beneficialia*, & *clericalia in specie*, si illa *præcise* portio in *congruam* data, *nec superabundans*, spectetur, cum clericis ex justitia debeantur, (P. I. cap. II. §. IV. n. VI.) *dominium* quoque ad instar Levitarum veteris legis sibi vendicant; *f)*

c) quod

c) quod consequenter & de *parsimonialibus* adseverandum erit, quæ utique Clericus non *Ecclesiæ*, sed *sibi* subtracta reponit: g)
d) at de *superfluis* vexatissima est quæstio. Quamvis enim *jure naturæ hypothetico* ad pias caussas expendenda esse, omnes facile admittant, *h*) de jure tamen, quo Clericis competunt, diversissimas sententias defendunt. *i*)

e) Clericus enim naturam civis non exuit, proin nec jura reliquorum civium amittit. Vid. *P. I. cap. II.* Nec conditio Clericorum naturam bonorum *patrimonialium* immutat. Ipsa demum Ecclesia liberæ Clericorum dispositioni hæc bona permittit. *C 19 Causs XII. quæst I. cap. 1. 9. de testam.* Quodsi tamen omnibus, etiam laicis dixerit S. Augustin. *enarrat. in Psalm 147. tom. IV. col. 1659 Quare, quantum tibi dederit Deus, & ex eo tolle, quod sufficit. Cetera quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria; superflua divitum, necessaria sunt pauperum.* Quanto magis id Clericis dictum censeatur, *qui alimenta habentes, & quibus tegantur, contenti esse* monentur ab Apostolo *I. ad Timoth. VI 8.*

f) Adde: portionem hanc e *bonis clericalibus* ad vitæ sustentationem Clerico *necessariam* haud ab illa differre, quæ ex ecclesiasticis reditibus pauperibus tribuitur; at in istam pauperes adquirunt dominium, ergo & Clerici in illam. Conf. Zech *de jure rerum Sect. III. tit. VII. §. 89.* Quare poterit Clericus hæc bona honeste vivendo consumere; quæ temperantius vivendo pauca superfuerint, eventuris fors necessitatibus levandis adservare, quin id agendo metuere eum oporteat, a se quidpiam Ecclesiæ fundatorumque menti adversum committi.

g) Hæc tamen ita intelligas velim: ut Clericus ea ad *usus pios* impendat. Certum enim est, quod ex natura sua ad hosce usus destinata sint. Certum est pariter, quod ad illos impensa non fuerint. Qua ergo ratione fieri posse credam, ut mirabili prorsus metamorphosi profanentur propterea tantum, quod piis usibus non fuerint adhibita, a quibus ministrorum etiam sustentatio non eximitur: Conf. Zech *cit. loc.* § 98. Hac clausula adjecta adseratur, per me licet, Clericis in *parsimonialia* dominium! *Plenum* tamen illud, ac perfectum haud esse, res ipsa loquitur.

h) Nec abs re quidem. Admittendum enim id svadet 1) officii clericalis ex ipsa Christi institutione ratio 2) tum fundatorum mens, & 3) Ecclesiæ constans sententia. Juvat singula paullo adcuratius evolvere. 1) Officium clericale ex natura sua, & Christi institutione mercenarium & lucratorium haud est, sed ad solam congruam sustentatione ministro jus præbet Math. *X* 8. Luc. *X*. 7. *I.* Cor *IX* 11. *I.* Tim. *V.* 17. Quo titulo igitur Clerici bona superflua ad usus plerumque sibi placitos expendendi jus sibi absque injustitia tribuent? 2) Fundatorum & quorumcunque fidelium bona sua Deo in Ecclesiæ ministrorumque usum conferentium mens alia non erat, quam opus pium, Deo gratum, & merito plenum facere. Hanc eorum mentem tum res ipsa, tum quotquot ad nos pervenere fundationum, & donationum formulæ contestantur. Vid. Behlen *diss de causs. secularizat: illegit.* § 12. *seq.* Quis igitur putet, reditus ex his bonis superfluos ad profanos usus, ad cumulandos divitiis hæredes a Clericis impendi posse? Imo ad conditionem hanc, & mentem fundatorum implendam ex pacto saltem tacito, & justitia Cleri-

eos

cos obligari, nemo ambigit. 3) Nec enim Ecclesia hanc fundatorum intentionem immutavit. Quando enim? ubi? quibus ex caussis? quæ certissimæ ac gravissimæ simul debuissent adesse. Mutatam quidem novimus administrationis bonorum formam: naturam vero eorundem immutatam non novimus. Quem igitur in scopum Ecclesia hæc bona acceptavit, in eundem illa ab Episcopis primum, dein ab aliis Clericis administrari voluit. At quisquæso scopus ille? Audi S. Urbanum P. in *lectionibus Breviarii* 25 *Maji* statuentem: *Ipsæ res fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios usus, quam Ecclesiasticos, & christianorum fratrum vel indigentium converti; quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum ac patrimonia pauperum.* Adde partes totius, quod divisum est, naturam servare. At ante divisionem bona acclesiastica omnia per Episcopum in usus pios impendi debebant; ergo & divisione facta idem dicendum est. Nec enim facta divisione Canones, & S. Patres de hisce bonis alio modo quam ante loquuntur. Conf. Ruprecht *Not. in J. C. lib III. tit 25 n. 6 7.* item Rigger *P. III § 380.* Etiam facta divisione bona Clericorum omnia præter patrimonialia Ecclesiæ relinqui jubentur; (Vid. *cap. 1 & fin. de pec. cler.*) ac in caussas profanas impensa pauperibus & ecclesiæ *per furtum subrepta* dicuntur. *Trident Sess XXV cap. 1. de reform.* Conf. Thomassin *P. III. lib. II. cap. 38. seq.*

Errant igitur, qui beneficiatos ad bona superflua in usus pios eroganda non ex *justitia*, sed solum ex *charitate*, ac *pietate* obligari docent.

i) Nempe quidam jure *dominii*, alii jure *administrationis* seu *procurationis* Clericis hæc bona competere adfirmant. Utrinque argumentis sat va-

lidis pugnatur. Præcipua illorum, quibus prior sententia præplacet, congessit Zech *cit. loc.* § 91 eorum vero, qui Clericis non nisi *procurationem* rerum ecclesiasticarum relictam volunt, Rigger *cit. loc.* §. 376. Sed enim cui bono disputatio, a qua prudenter Concilium *Tridentinum Sess. XXV. cap 1. de reform:* abstinendum esse exemplo suo docuit, dum, teste Palavicin: *hist. trident Concil. lib. IV. cap. III. n. 4* sanctionis suæ rationem: *quia proventuum ecclesiasticorum dispensatores sunt*, ideo delevit, ne scholasticis litibus ansam daret. Si tamen dicendum est, quod sentio, dicam: exactam mihi non videri esse iis notionem dominii, qui hoc Clericis in *superflua clericalia bona* adstruunt. Judicio Wolffii *Inst. J. N & G. P. II. §. 195. dominium jus proprium est de re pro arbitrio suo disponendi*; ut *plenum* sit, *tria* involvat necesse est, jus nimirum *proprietatis*, jus *utendi*, & *fruendi*. ibid. §. 198. Quod jam horum Clerico in superflua bona competit, quæ aliunde in pios usus ex justitia eroganda esse ultro fatentur? Vid. Zech *cit. loc.* § 92. Rectius philosophantur, qui dominii quidpiam Clericis in *necessaria*, aut si vis, etiam *parsimonialia* tribuunt: quoad *superflua* vero ingenue cum S: Bernardo ad Fulcon. episc. *epist.* 2 fatentur: *Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est; sacrilegium est.*

VI. Facile ex his, quæ de testamentis Clericorum statuenda sunt, deducuntur; nempe

a) de *patrimonialibus*, aliisque omnibus titulo *profano* adquisitis testari posse Clericos extra controversiam est; *k*)

b) de

b) de bonis vero *ecclesiasticis* ad caussas *pias* testandi facultas, etsi primitus denegata, *l*) hodie tamen rationabili consvetudine firmata est; *m*)

c) sed ex iisdem ecclesiasticis bonis ad caussas *mere profanas*, v. g. consanguineorum, neutiquam indigentium divitias augendas &c. testamenta condere in foro *interno* non solum illicitum, sed & invalidum reputari debet; *n*)

d) quamvis in foro *externo* testamenta Clericorum fere quæcunque hodie tolerentur. *o*)

k) Conf. *præced n. V. not. e*)

l) Prohibitionem eam testandi per secula priora, usque ad XII. saltem, continua serie illibatam fuisse, luculentis ex testimoniis constat, quæ Thomassinus *P. III. lib. II cap. 39 & seq.* retulit. Ipse Gratianus adhuc *Quæstionem V. Causs XII.* ita inscribit: *testamenta vero non licet eis conficere, nisi de rebus propriis*, quæ sententia in *Decretalibus* retenta est, ut ex Can. Concilii *Lateran. III. cap. 7. de testament.* relato constat

m) Ansam relaxandæ huic disciplinæ dederunt, teste Thomassino *loc. cit. cap. 39.* primo variæ Pontificum concessiones, e. g. Alexandri III: ut Clerici viventes & sui compotes moderate valeant ex bonis ipsis non *ratione testamenti*, sed *eleemosynæ* intuitu erogare in ægritudine constituti. *Cap. 8. de testam.* Innocentii III, ut quædam de *mobilibus* per actum ultimæ voluntatis servitoribus, & pauperibus relinquere valeant. *Cap. 12 de testam.* Mox enim majorem sibi hac in re libertatem arrogare, & ea præprimis ex

ratione

ratione testandi potestatem ad caussas pias in consvetudinem trahere Clerici cœperunt, quod morti proximus jure, quo sanus gaudebat, privandus haud videatur. Conf. Van Espen *loc. cit. Cap. VII.* Confirmata est hæc consvetudo non raro Præsulum ecclesiasticorum sanctionibus, quibus tum caussæ, ad quas testari liceat, tum portiones singulis caussis adsignandæ diligentius definitæ fuerunt. Vid. *cit. Tract.* Joan. de Friedenberg *tom. I. Cap. X. § 50.*

n) Gravissime hunc in locum scripsit Nellerus *dissert. de cler. secul. testam. fact. n. 20. 23.: Effrenata libertas testandi ex bonis per Ecclesiam adquisitis ad quoscunque usus, etiam vere, ac coram Deo, & mundo profanos, pro ditandis consanguineis, est prorsus irrationabilis, animabus Clericorum sic forte testantium, atque hæredum periculosa, contra propositum vitæ clericalis, contra gratitudinem, contra invariatam indolem bonorum ecclesiasticorum, ministris Ecclesiæ præbitorum, nec habet usque modo pro se consvetudinem, etiam facti duntaxat, cum suis requisitis. — — Qui hactenus dictis contrarii volunt esse, ab his postulo, ut non disputent mecum super tot animarum periculo superficialiter, & contentiose, sed cum profunda indagine, & timore Domini: quo plus autem legent adversarii mei, ut me confutent, eo magis vincet eos veritas, ne posthac sua doctrina carnalibus desideriis adulatorie deserviant.* Conf. diss. ejusd. *de test. fact. Episcoporum.* Exstant Thesaur. J. E. *tom. VI. n. 9. 10.*

o) Sequentes præcipue ob caussas 1) ut lites evitentur, quæ eo certius orirentur, quo difficilius sæpe discernitur, an bona hæc titulo sacro, an profano comparata sint. 2) quia dubium non raro est, num facta dispositio caussæ piæ rationem habeat, vel non. Ceterum an id, quod in foro externo toleratur potius, quam probatur, coram

Deo

Deo etiam excuset, ego saltem non dixerim. Quare tutius acturum puto in Diœcesi nostra Clericum, qui testamento de rebus dispositurus, saluberrimas leges præ oculis habuerit, quas plures Episcopi §. 13. sanct pragmat. de an. 1699. 26. Oct. conformes iterato edidere, quibusque tum testatorum, tum executorum officia ad communis Ecclesiæ, ac Religionis boni normam sapientissime descripsere. Vid. apud cit. de Friedenberg *cit. loc. §. 50.*

§. X.

RENUNCIATIO, VEL RESIGNATIO BENEFICIORUM. *p)*

I. Abdicatio ultronea Prælaturæ vel beneficii, omnisque juris in illud, ex caussa sufficiente coram Superiore eam acceptante legitime facta *Renuntiatio*, vel *Resignatio* vocatur, atque dividitur

a) in *expressam*, quæ verbis, aut scriptura, & *tacitam*, quæ facto quodam beneficiati, quod cum possessione beneficii vel ex natura sua, vel juris dispositione componi nequit, perficitur: *q)*

b) in *puram*, seu *simplicem irrestrictam*, & *conditionatam*, quando sub conditione vel reservatione beneficium abdicatur. *r)*

p) Aptius forsan §. iste *de modis amittendi beneficia ecclesiastica* inscriberetur, quorum tria passim genera adferuntur. Nempe amittuntur beneficia 1) præter mortem naturalem ex *juris dispositione* ipso facto, si a) minorista contrahat matrimonium

monium validum. Vid. *supr.* §. *II. n. II. 3. lit. a*) b) si Clericus beneficiatus mutet religionem: Instr. P. O. *art. V.* §. 15. c) si quis absque dispensatione aliud beneficium cum priore incompatibile primi generis (§. *præced. IV n. II. not. q*) cum pacifica & frugifera possessione consequatur. *Cap.* 28. *de præbend. cap.* 4. *ibid.* inter *Extravag. comm.* d) si promotus ad parochiam intra annum sacerdotium non suscipiat: *P. I. cap. I.* §. *de paroch.* e) qui crimina commiserunt, ob quæ privatio beneficii ipso facto incurritur, de quibus legi interim potest Berardus *loc. cit. tom. II p.* 254. 2) per *judicis sententiam* ob crimen, cui talis pœna inferenda a jure decreta est, qua de re uberius alibi. Notetur interim *discrimen*, quod hunc inter, & priorem amittendi beneficia modum *duplex* est: a) si pœna privationis ipso jure contracta est, sententia judicis retrotrahitur ad diem commissi criminis, ita ut omnes fructus ex beneficio ab eo tempore percepti auferantur, & omnis actus circa beneficium post admissionem criminis susceptus nullus sit; secus est, si beneficium amittatur per sententiam judicis inferendam. b) Si beneficium ob crimen ipso jure alicui adimatur, etiam ante sententiam declaratoriam criminis tanquam jure vacans impetrari & conferri potest, quod in beneficio vacante per sententiam ferendam fieri nequit. 3) *voluntaria* ecclesiastici tituli *abdicatione* seu renuntiatione, qua, ut potiore amittendi beneficia modo §. hic inscribitur.

q) *Tacitam* videmus renuntiationem e. g. penes eos, qui illa agunt, ob quæ ex juris dispositione beneficium ipso facto amitti præced. *not. p*) diximus.

r) *Conditionata* igitur erit renuntiatio: 1) si fiat ex caussa *permutationis*: 2) cum *reservatione* certæ pensionis & fructuum: 3) in *favorem* tertii. 4)

cum

cum pacto aut reservatione *regressus*, *accessus*, vel *ingressus*. Est vero *regressus*, dum beneficium jam possessum dimittitur cum pacto, ut si resignatarius præmoriatur, beneficium resignatum revertatur ad resignantem. *Accessus*, quando ille, cui conferendum esset beneficium, propter ætatis immaturitatem illius habendi incapax alteri id conferendum permittit, usquedum ætatem legitimam nactus fuerit; qua adveniente propria auctoritate ad illud beneficium accedere valeat. *Ingressus*, si beneficium obtentum ante captam possessionem alteri resignetur sub conditione, ut mortuo resignatario ingressus pateat resignanti in abdicatum beneficium.

II. Quod resignandi licentiam adtinet, dicendum est:

a) omnem *renuntiationem* regulariter *prohibitam:* s)
b) non nisi ex *certis caussis permittendam* esse. t)

s) Quoties de munere publico agitur, regulæ etiam romani juris perspicue docent, neminem officio se abdicare posse *L. 1. de excusat. & vacat. mun.* Quam ob rem cum etiam Clericorum munera beneficiis adnexa juris publici esse videantur; generalis erit recipienda doctrina, quæ postulat, *ne semel suscepta dimittantur.* Adde: quod beneficiatus vinculum quasi conjugale contrahat, quod unius voluntate dissolvi nefas est. *Cap. 21. de elect.* Hæc ratio est: cur *Causs. VII quæst. I. can. 19. & 23.* definitum sit, eum, qui renuntiavit beneficio, ut ad illud redeat, cogendum esse: curque prioribus Ecclesiæ seculis vix exemplum inveniamus Clericorum a suis beneficiis recedentium. Aliam adsignant non pauci in eo præsertim positam: quod cum beneficia

tunc

tunc temporis a ſacra ordinatione penderent, & iſta perpetua vi indelebilis characteris conſiſtat, ita quoque beneficia Clericis perpetuo adhærere debere veteres judicarent.

t) Omnis enim eccleſiaſtica lex ſalutem Eccleſiæ pro ſcopo habet. Quodſi igitur ejusmodi emergant cauſſæ, quæ exceptione a lege magis, quam obſervantia ejus, ſalutem hanc promoveri poſſe aperte doceant, permittet lubens fieri lex ea, quæ aliis in circumſtantiis vetuit. At quæ ſunt cauſſæ illæ, ob quas renuntiatio & licite & valide concedi poterit? Plures determinavit Innocentius III. *cap. 9. 10 de renunt.* quas jam ſequentibus verſiculis exprimere ſolent:

Dibilis, ignarus, male conſcius irregularis,
Quem mala plebs odit, dans ſcandala cedere poſſit.

Hæ cauſſæ ad reſignationem Episcopatus requiruntur. Ad renuntiationem beneficiorum Episcopatibus inferiorum etiam minores, dummodo non ſint frivolæ, ſufficere plerique ſtatuunt. Vid. Schrodt *hoc tit. §. 366.*

III. Dotes, quas ex juſtis cauſſis concedenda reſignatio habere debet, ſunt:

a) fiat *libere:* u)
b) cum *conſenſu* Superioris: v)
c) *pure.* x)

u) Quidquid igitur libertatem tollit, aut minuit irritam aut irritandam facit reſignationem. Conf. *cap. 3 & 4. de his, quæ vi, metusve.* Ceterum nil obſtat, ſive per procuratorem ſpeciali tamen mandato inſtructum (*Clementin.: un. de renunt.*) ſive per ipſum *reſignantem* fiat.

v) Et quidem ſub *pœna nullitatis*, ut deciſum legitur *cap. 4. de renunt.* Ratio eſt: quod juſtæ debeant

beant adesse caussæ ad resignandum. *n. præced. II.* Tales vero num vere adsint, proprio resignantis judicio determinandum relinqui haud possit. Quare Superioris sententia expetenda est; & donec advenerit, resignatio differenda. At cujus Superioris? Illius profecto, ad quem jus confirmandi, conferendi, vel instituendi pertinet. Inde intelligitur 1) ratio, cur renuntiatio Episcoporum olim in Synodo provinciali facienda fuerit: 2) quod hodie ad renuntiationem Episcopi auctoritas Pontificis requiratur, qua etiam in hoc negotio Abbates exemti egent. *cap. fin. de renunt.* 3) quod aliorum beneficiorum renuntiationes puræ cum consensu Episcopi, vel ejus, qui huic par jus habere censetur, fieri debeant: 4) in manus patroni laici resignatio facta non valeat *cap. 8. h. t.* quamvis æquitas svadeat, ut eo, & in beneficiis electivis electoribus consciis fiat. 5) quod Pontifex Pontificatui renuntiaturus nullius consensu opus habeat. *cap. 1. hoc tit. in 6.*

s) Id est: sine ullo simoniæ vitio, aut successionis hæreditariæ in Ecclesiam introducendæ periculo. Rarius alterutrum in resignatione pura deprehenditur; eo frequentius vero in conditionata. Operæ pretium igitur est definire, quænam istius species a Superiore permitti, quæ vero denegari debeant. Quod 1) resignationes conditionatas adtinet, quæ fiunt ex caussa *permutationis* (vid. *præced. §. VI. n. IV.*) has ex caussis jure probatis ab Episcopis admitti posse ex cit. mox loc. & quotidiano usu liquet. Idem 2) de resignationibus cum reservatione certæ portioni fructuum, vel annuæ pensionis valet, dummodo per eas in beneficio nihil contra leges innovetur. At 3) si fiant cum *pacto pensiones* per anticipatam solutionem *cassandi*, annullantur per constit. Benedicti XIV. *In sublimi.* de an. 1741. 29. August:. 4) Aliter sentiunt circa resignationes

tiones cum *reservatione regressus, accessus, ingressus*, & speciatim in *favorem tertii*, utpote ob successionis hæreditariæ speciem prorsus odiosas, & sacris canonibus prohibitas (Concil. *Trident. Sess XXV. cap. 7. de reform*) Posteriores Pius V. in Bulla: *Quanta Ecclesiæ Dei* de an. 1568 Ordinariis admittendas interdixit, & Sedi Apostolicæ reservavit.

IV. Effectus resignationis a Superiore admissæ in *solutione* illius *vinculi* consistit, quod inter *resignantem* & *Ecclesiam* prius intercesserat; y) sed

a) admissa etiam *renuntiatio*, quæ *in favorem*, vel sub *conditione* facta est, *ex parte resignantis*, *acceptata* solum *conditione* effectum sortitur; z)

b) si vero ab *infirmo* facta fuerit, isque a facta resignatione 20 dies *completos* haud supervixerit, beneficium juxta regulam Cancellariæ: *de viginti*, haud per resignationem, sed per *obitum* vacare censebitur. *a*)

c) Demum ad præcavendas lites statutum est, ut, si *in Curia* Romana facta sit resignatio, & *intra montes*, seu in Italia beneficium existat, intra *sex menses*: *ultra montes* vero intra *novem menses* a *data* gratiæ concessionis computandos *publicatio* fiat; si vero *extra Curiam* resignatio fiat, ea intra *tres menses* a *die* factæ *collationis* in loco beneficii publicetur. *b*)

y) Quare fit 1) ut renuntians jus amittat, quod ex electione, aut postulatione consecutus est; *Clement. un. h. t.* adeo, ut nullus jam sit locus *pœnitentiæ*.

nitentiæ. Cap. 12. h. t. 2) ut, qui renuntiavit beneficio, ad illud non revertatur sine novo titulo, aut nova collatione; *cap.* 2. 3. *h. t.* 3) ut reversus auctoritate legitima in collegio ultimum locum obtineat, quasi nunc primum collato ei beneficio. Barbosa *de canon. cap. 18. §. 16.* Hæc tamen *respective* non nisi de resignatione 1) *simplici* seu pura, 2) quæ nulla vi injusta extorta est, valent. Conf. *can. 2. Cauß. II. quæst. I.*

z) Nisi enim conditio acceptetur, supponi debet, resignantem renuntiare beneficio noluisse. Quare intega manent, ut prius jura ejus.

a) Verba regulæ loquuntur proprie de infirmis resignantibus, qui postea intra viginti dies moriuntur; *praxis* tamen *Curiæ* Romanæ etiam ad sanos resignantes sensum ejus extendit. Conf. Schrodt *h. t. §. 393.* Circa remissionem hujus regulæ, quam Curia Romana non nunquam indulget, distinguendum esse svadet Schloer *dissert. jur. pub. eccles. ad Concord germ. de reservat. benef. & dignit. §. XLII. seq.* an nempe obitus resignantis contingat in mense *papali*, an *Ordinarii*? casu priori effectum habituram, non item posteriori docet.

b) Hanc tamen publicationem, inprimis quoad resignationes in manus Ordinarii factas, haud ubique, nec etiam in Germania usu receptam dicunt. Quæ jure nostro provinciali circa resignationes Canonicatuum *cit. cod. Pruß. P. II. tit. XI. §. 1099. seq.* constituta sunt, parum ab hactenus dictis differunt.

§. XI.

INNOVATIO BENEFICIORUM.

I Si ſtatus primævus beneficii, ſeu illius jura, officia, vel reditus immutentur, beneficium innovari dicitur. *c*) Fit vero innovatio

a) *Diminutione*, ſi beneficio, aut beneficiato nova onera imponantur:

b) *Dismembratione*, *d*) cum ſalva beneficii unitate, eoque adhuc penes Rectorem ſuum remanente, pars redituum, quibus abundat, a beneficiato auſertur, & alteri, cui alio modo provideri nequit, adplicatur:

c) *Unione*, quando plura beneficia vel Eccleſiæ conjunguntur: *e*)

d) *Diviſione*, cum ex uno duo vel plura fiant beneficia, ita ut diviſis reditibus duo item, vel plures beneficiati inſtituantur: *f*)

e) *Subpreſſione*, dum eccleſiæ ſubtrahitur erecta ibi dignitas, vel præbenda, aut præbendarum numerus diminuitur: *g*)

f) *Extinctione*, quando eccleſia deſtruitur una cum reditibus, ut nullus ibi fiat cultus divinus. *h*)

g) *Alteratione*, cum prima beneficii ſpecies v. g. *Epiſcopatus*, *Parochia* &c. in aliam v. g. *Archiepiſcopatum*, *Monaſterium* &c. mutatur.

c) *Innovationem* beneficii *regulariter* prohibitam eſſe, vel inde jam patet: quod Concilium *Trident.* *Seſſ.*

Seſſ. XXV. cap. 5. de reform. ſevere præcipiat, ſancte ſervandas eſſe leges, & conditiones, canonibus non adverſas, fundationibus beneficiorum ex voluntate fundatorum adjectas. Quapropter pro regula habetur id: *beneficia eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur, niſi juſta neceſſitatis, aut utilitatis majoris cauſſa exceptionem poſcat.* Cauſſa hæc frequenter adeſſe cenſetur. Non igitur mirum eſt: ſæpe exceptionem a regula fieri, ipſaque beneficia pluribus modis innovari.

d) *Dismembratio* beneficii aliquando in ſenſu *largiore* pro diviſione accipitur. Hic loci, ut in *cap. 9. de his, quæ fiunt a prælat.* in *ſtricta* ſignificatione ſumitur.

e) *Conjunctio* hæc, ſi fiat in commodum, & favorem perſonæ duntaxat ita, ut per ejus mortem exſpiret, *perſonalis*, quæ vero intuitu Eccleſiæ fit, imposterum ſemper permanſura *perpetua & realis* dicitur. De *illa*, utpote pallio tantum, quo beneficiorum pluralitas tegitur, & a Concilo *Trident. Seſſ. VII cap. 4 de reform.* damnatur, nobis ſermo futurus non eſt.

f) Huc ſpectat *diſſolutio unionis*, vi cujus beneficia olim conjuncta, ceſſante unionis cauſſa, rurſus ſeparantur, & in ſtatum priſtinum reſtituuntur.

g) Conſulatur interim de *ſuppreſſione* Concilium *Trident. Seſſ. XXIV. cap. 15. de reform.*

h) *Extinctionis* exempla veteribus, qui erigere magis, quam deſtruere beneficia & templa amabant, fere ignota erant.

II. Diminutio fieri poteſt

1) per impoſitionem oneris *perſonalis*, v. g. curæ animarum:

2) per impositionem oneris *realis*, cujus species sunt:

a) *Census antiquus*, seu annua præstatio ex fructibus vel pecunia de proventibus ecclesiasticis solvenda, quæ jam in *ipsa fundatione* beneficii —

b) *Census novus*, seu præstatio ejusmodi, quæ *deinceps* primum imposita est: quo reducitur

c) *Pensio* seu portio ex proventibus ecclesiasticis, aut ex beneficio justis ex caussis detracta, vel clerico vel alteri ob *spirituale* vel *temporale* obsequium adsignata. *i*)

i) Hinc & in *clericalem*, *laicam*, & *mixtam* dividitur. Pensiones ob necessitatem Clerici moderate eidem pendendas, antiqua jam novit, probavitque Ecclesia; Vid. Rigger *P. III §. 273. seq.* eas vero, quas ad captandum lucrum cupiditas invenit, vetus ignoravit, & recentior Ecclesia damnavit. Idem *ibid.* Conf. Thomassin: *P. III. lib. II. cap. 29.*

3) a legitimo Superiore, *k*) ita ut

a) onera *spiritualia* pro cultu Dei adaugendo, & *censum novum* & *temporaneum* Episcopus, *l*)

b) *censum vero*, aut *pensionem perpetuam* vi Decretalium solus Pontifex imponere queat, *m*) cui tamen Concordata Germaniæ obstant, eoquod collatio beneficiorum *libera* exin detrimentum caperet. *n*)

k) *Diminutio*

k) *Diminutio* enim, utpote innovationis beneficiorum species juri communi contraria est *praced*: *n. I. not c*) ergo non nisi auctoritate eorum qui legibus solvere possunt, eam fieri posse aperte *cap. 8. de præbend.* edicit.

l) Jus onera *spiritualia* pro cultu Dei augendo Clericis imponendi, exinde passim Episcopo vindicatur, quod ipse ordinarius sit Ecclesiæ Rector, proin ad eum pertineat media ad Ecclesiæ scopum apta disponere, ministros seligere singulisque, quid eos in commune Ecclesiæ bonum agere oporteat, præscribere.

Quod *pensiones* adtinet: certum est eas, tum inprimis quando *bene meritis* & *indigentibus* Clericis per eas succurritur, æquitati, & utilitati Ecclesiæ esse conformes. Facultas igitur easdem talibus personis adsignandi eo minus Episcopo denegari poterit, quo apertius est, distributionem redituum ecclesiasticorum olim penes eum fuisse, nec restrictionem quamdam hac in re factam dilucide ostendi posse. Vid, Ant. Schmidt *P. II* § *XX II in schol.* De indole vero hujus juris disputant, an nimirum ex *officio* Episcopis a Christo commisso, an vero ex Pontificis Romani in Episcopos *liberalitate* profluat? Rigger *P. III*, §. 280.

m) Vi plenitudinis ut ajunt, potestatis Pontificiæ Van Espen *J. E. U. P. II. Sect. III. tit. XI. cap. 5.*

n) Si nimirum *perpetuas* pensiones ex quibuscunque beneficiis præstandas imponeret. Nam restringi etiam collationum libertatem, dum beneficiis in mense *papali vacantibus* pensiones imponit *temporaneas*, in successorem non transeuntes, mihi saltem non illucescit. Quare istas in Germania quoque imponendi jus Pontifici negare haud possum.

4) ſub certis tamen regulis, nempe

a) non niſi ex *cauſſa pacis*, *reſignationis*, aut *permutationis* facile admittantur; *o*)

b) *tertiam*, aut ad ſummum *dimidiam* fructuum partem non excedant; *p*)

c) nec imponantur Eccleſiis *cathedralibus*, quæ ſupra *mille*, & *parochialibus*, quæ ſupra *centum ducatorum*, ſecundum verum valorem, reditus non ferunt; *q*)

d) ipſi demum *penſionarii* ad *onera* beneficio, ex quo penſionem percipiunt, adnexa pro *rata* fructuúm ferenda obligentur. *r*)

o) Ut eo minus ſub prætextu penſionum ſimoniæ & avaritiæ locus pateat. Verum ſunt viri multi, illique graves, quibus nec hi quidem concedendæ penſionis tituli ſatis probentur, quod ſcilicet ad impedienda peſſima penſionum conſectaria, aut ad penſionarium excuſandum inſufficientes videantur. Meritum igitur potius perſonæ in Eccleſiam, & indigentiam ejus ſubſtitui cupiunt, cui per penſionem inſtar elemoſynæ, aliunde ex ſuperfluis reditibus beneficiati in pauperes erogandæ, adſignatam ſubveniatur. Hac ratione putant, penſiones definitioni Concilii delectorum Prælatorum an. *1537. vel 38.* ſub Paulo III. celebrati (vid. apud Rigger *cit. loc. ſ.* 273.) ipſique redituum eccleſiaſticorum præſcripto uſui (*præced. ſ. IX. n. V.*) optime reſponſuras.

p) *Cap. 26. 36. de præb.*

q) *Trident. Seſſ. XXIV. cap. 13. de reform.* Simili ratione penſionibus onerari non debent *dignitates*, niſi de illa parte redituum, quæ *centum*; & alia beneficia *ſimplicia*, niſi de ea, quæ *viginti quatuor* ducatorum ſummam veri *annui* valoris excedit.

r) *Alia*

r) Alia pensionariorum officia vid. in *constit.* Pii V. *Ex proximo:* ac Sixti V. *Cum sacrosanctam.*

III. Dismembrationi tunc præcipue locus est, si

a) alterum quidem beneficium reditibus abundat, alterum vero præcipue *curatum* & Ecclesiæ ac animarum saluti utile, aut necessarium egeat; s)

b) verum & hic *potestas legitima* interveniat, ac *jus tertii* salvetur; t)

c) ipsaque *superfluorum* ac *necessariorum quantitas* æqua lance ponderetur. u)

s) Quid enim hoc in casu dismembratione æquius? quid fundatorum piæ menti, ac Ecclesiæ acceptantis voluntati convenientius? Sane si jus Ecclesiæ negari nequeat imperandi, ut beneficiati reditus superfluos in pios usus impendant, quis dismembrandi potestatem eidem competere in dubium vocabit. Conf. *præced. n I. not. c)*

t) Vi *cap. 9. de his, quæ fiunt a prælat.* requirit dismembratio easdem *caussas*, & *solennitates*, quæ ad *alienationem* rerum ecclesiasticarum requiruntur.

u) Id est: habeatur ratio *dignitatis*, *loci*, aliorumque *adjunctorum* personæ, cujus beneficium, aut in cujus favorem dismembratur. Sicut enim hæc non eadem apud omnes personas sunt, ita quoque non eadem rerum quantitas apud omnes superflua, aut necessaria dicenda est. Sed potest quidpiam spectatis unius personæ adjunctis superfluum videri, ac esse, quod relate ad aliam personam necessarii mensuram haud superat. Quæ igitur *præced. not. s)* ad commendationem dismembrationis dicta sunt, moderatius sumi

 debent,

debent, quam passim ab invidis quibusdam politicis recentiore ætate sumuntur, qui nulla splendoris externi diversis hierarchiæ ecclesiasticæ gradibus non una ex caussa necessarii ratione habita, omnes eorum reditus ad perfectæ æqualitatis legem dismembrandos esse importune clamitant.

IV. Circa unionem *perpetuam* & *realem* varia occurrunt animadversione digna: nempe

1) diversæ ejus species:

a) alia quippe est per *exæquationem*, cum salvis utriusque beneficii juribus, ac indole uni Rectori subjiciuntur: *v*)

b) alia per *confusionem*, dum plura beneficia in unum quoddam conflantur, & ecclesiarum jura, & privilegia confunduntur: *x*)

c) alia per *subjectionem*, dum minor ecclesia majori, ceu *filia matri* subjicitur, ac proin vacante *hac* & *illa* vacare censetur; unde Patronus unitæ ecclesiæ jus suum, nisi id specialiter sibi reservarit, amittit; de cetero vero exceptis iis, quæ altiorem jurisdictionem respiciunt, unita ceu *accessoria principalem* sequitur: *y*)

d) alia demum per *incorporationem*, cum beneficium quoddam Collegio, Monasterio &c. adjicitur, vel *quoad temporalia* solum, ut, adsignata Vicario congrua sustentatione, reditus ceteros sibi vindicet: vel simul *quoad spiritualia*, ut insuper Prælatus talis Collegii verus Parochus habeatur, ac de suis, *etiam ad tempus*, Vicarium exponere possit:

possit: vel demum cum ipsa *jurisdictione quasi-episcopali* in Clerum & populum, ac proin cum jure Vicarium examinandi, adprobandi, visitandi &c. *z*)

v) Corollaria ex hacce descriptione profluentia videantur apud Rigger *cit. loc.* §. 287.

x) Unionis per *confusionem*, aut, ut alii eam vocant, *subpressionem* effectus recenset Idem *ibid.*. §. 288.

y) Duobus iterum modis unionem istam fieri posse, *absolute* nimirum, & *secundum quid*, docet Rigger *cit. loc.* §. 285. *Schol.* Ubi etiam varia hujus unionis consectaria legi merentur. Conf. Wiestner *lib. V. tit. XXXI. n. 6.*

z) Primam unionem *minus pleno*, alteram *pleno*, tertiam *plenissimo* jure factam vocant, quamvis non tam ex *terminis* istis, in formulis, ac chartis fors occurrentibus, sed ex earum potius *sensu incorporationis modus* desumi debeat.

2) Requisita:

a) *caussa* unionis *justa* esse debet, necessitas scilicet, vel evidens utilitas Ecclesiæ; *a*)

b) *consensus* quoque illorum, quorum interest, accedat, nimirum *Capituli*, *Patroni*, vel *Principis* ceu *Advocati*, si de *majori* ecclesia agatur; *b*)

c) tandem *legitima auctoritate ecclesiastica* fiat, quæ circa *Episcopatus*, aut beneficia *consistorialia* penes Pontificem, circa alia vero *ordinarie* penes Episcopum residet. *c*)

a) Est

a) Est enim *omnis unio* beneficiorum, utpote quæ vel *alienationis* rationem habet, vel *cultum* divinum, aut *reditus* diminuere solet, *odiosa*, quapropter *stricte* interpretanda ac non nisi ob dictas caussas facienda. (*cap. 33 de præb.*) quibus sane positis ratio odii evanescit. *Caussæ* hæ in unionibus *personalibus* (*præced. n. I not. e*) & *gratiosis* (de quibus Rigget § 289) rarius præsto sunt: recte igitur illæ a Concilio *Trident. cit. Sess. VII. cap. 4. de reform.* rejiciuntur; istæ vero a claris Juris eccles: interpretibus ut minus legitimæ vituperantur.

b) Concil. *Trident. Sess. VII cap. 6. de reform.* Regula Cancellariæ *de union. XXII.* Conf. Rigger *cit. loc.* § 292.

c) *Cap. 4. de offic. legat. cap. 8 de excess. prælat.* Casus, in quibus Episcopi potestas beneficia uniendi restricta est, vid. in Concil. *Trident. Sess. XXIV. cap. 13. de reform. Clement. ult. de reb. eccles. non alienand. Trident. Sess. XIV. cap. 9. de reform.*

V. Reliquæ innovationis species, nimirum: Divisio, Subpressio, Extinctio, & Alteratio easdem fere leges sequuntur, ut adeo in istis quoque

a) *caussæ graves. auctoritas ecclesiastica*, & eorum, quorum interest, *consensus* exigatur;

b) & *Episcopatuum*, aliarumque ecclesiarum *immediatarum* divisio, aut alteratio Pontifici reservetur. *d*)

d) Fuerunt nostris temporibus, qui graves pro *Episcopatibus dividendis*, *novisque erigendis* rationes adsignarunt; at dubitandum sane, an speciatim *Imperii Germanici* rationem, ac sequelas cordi habuerint,

buerint, quæ in Status hujus regimen *politicum* æque, ac *ecclesiasticum* redundarent. Verum illud saltem non diffitemur, pro divisione *Parochiarum* si ob locorum distantiam cura animarum difficilior sit, & reditus simul pluribus Clericis alendis sufficerent, graviores stare rationes, a pio & sincero rerum æstimatore haud facile contemnendas. Conf. libellus: Gründe wider die projektirte Zertheilung der alten, und Errichtung neuer Bisthümer.

CAPUT II.

JUS PRIVATUM CIRCA RES SACRAS, ET ECCLESIASTICAS. e)

§ I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

I. Necessaria esse quædam ad Ecclesiæ scopum sacramenta, ipsa Ecclesiæ scopi, ac Sacramenti genuina *notio* loquitur. *f*) Quare

a) *instituit* Christus aliqua; *g*)

b) at nec plura, nec pauciora, quam *septem*. *h*)

e) *Res* ad Ecclesiam pertinentes non uno, eodemque modo distribuunt. Alii eas 1) in *spirituales*, *temporales*, & ex utrisque *mixtas*: alii 2) in *spiri-*

spirituales in se, vel per annexionem tales, in *sacras* seu benedictione, aut consecratione sacratas, & *ecclesiasticas* simpliciter; 3) alii eas in *spirituales*, & *temporales*, & has rursum in *sacras sanctas*, *ecclesiasticas*, prout vel consecrantur, vel benedicuntur, vel sumtibus in Ecclesia faciendis serviunt, alii aliis modis partiuntur. Inde vero *diversus* nascitur materiarum hujus capitis, *ordo*. Nobis non adeo, quem justæ divisionis logicæ leges imperant, verum quem utilitatis ac simplicitatis ratio svadet, præplacet. Res itaque Ecclesiæ in *sacras & ecclesiasticas in specie* dividimus. *Illæ* propius divinum cultum, ac religionem respiciunt; *istæ* remotius; ad *illas* sacramenta præcipue, & sacramentalia, dies festi, Sanctorum, imaginum, reliquiarum cultus, dies jejuni, & vigiliarum pertinent: *istæ* vero loca præprimis sacra & religiosa, bonorumque ecclesiasticorum diversas species in se complectuntur. De singulis jam totidem fere §§. agendum est.

f) Vox *sacramenti* profanis scriptoribus illud denotat, quidquid interposito jurejurando geritur. Nobis signum *visibile* est invisibilis *gratiæ* ad nostram sanctificationem a Christo *permanenter* institutum. Cum vero sanctificatio, seu ut Theologi ajunt, gratia sanctificans adeo arcte cum beatitate supernaturali hominis conjungatur, ut sine ea hac frui nequeamus; beatitas autem supernaturalis Ecclesiæ scopus sit, (vid. *proleg. §. I. n. V. §. II. n. I.*) patet jam, ut sanctificationem hominum, ita quoque Sacramenta quæpiam ad Ecclesiæ scopum *requiri necessario*. Conf. Concil. *Trident. Sess. VII. de sacram. can. 4.*

g) Christus enim 1) ut omnis gratiæ auctor sacramenta instituere *potuit*; at 2) ut sapientissimus Ecclesiæ fundator media etiam ei ad finem necessaria *deesse noluit*; quare, cum inter hæc media

dia sacramenta inprimis numerentur, (*not. præced.* *voluit* quoque eadem instituere Voluntatem hanc Christi nullatenus inefficacem fuisse, adcuratius demonstrant Theologi dogmatici.

b) Est hæc ex traditione, & sacræ scripturæ textibus hausta Concilii *Tridentini* definitio. *Sess. VII. can. 1 & seq.*

II. Dividuntur *multifariam*; speciatim vero

a) a Concilio *Trident. Sess. VII. proem:* in ea, quibus omnis vera *justitia incipit*, vel cœpta *augetur*, vel amissa *reparatur*; *i*)

b) a Canonum interpretibus vero in sacramenta *characterem* indelebilem *imprimentia*, & eundem *non imprimentia*. *k*)

i) Illa quibus vera *justitia incipit*, aut amissa *reparatur* sunt ad salutem *absolute* necessaria. Sicut enim sine justitia salus absolute haberi nequit, ita nec sine sacramentis, quibus illa incipit, aut reparatur. Porro cum *augmentum justitiæ* & reparatio *initium* ejusdem præcessisse supponat, nullus dubio locus est, sacramenta *primæ classis* ceteris *præcedere* debere, nullumque, nisi baptizatum hominem, ceterorum sacramentorum suscipiendorum capacem esse; sique hic per peccatum grave gratiam amiserit, obligari eundem ad illam per pœnitentiam reparandam, antequam ad ea, quibus reparata augetur, suscipienda accedat, seu quod idem est: *debere hominem in statu gratiæ esse, quotiescunque sacramenta suscipit, quibus vera justitia augetur*; nec enim ego mihi augmentum gratiæ cogitare possum, nisi existentiam ejusdem in homine præsupponam.

k) Quæ

k) Quæ *characterem* imprimunt *iterari* non possunt. *Trident. cit. Sess. VII. can. 9.* Nil enim sine ratione sufficiente fieri debet; at quæ esset ratio reiterandi sacramenta, quorum semel susceptorum effectus, character nempe indelebilis, perpetuo durat?

III. Quæcunque vero sint, requirunt

1) *essentialiter*

a) *materiam, formam, ministrum.* *l*)

b) quæ tria proin Christus, quod *substantiam* saltem, determinavit. *m*)

2) *accidentaliter* vero *ritus*, *n*) quorum determinatio

a) ita Ecclesiæ Præsulibus relicta est, *o*)

b) ut immutare eosdem auctoritate privata ad Ministros inferiores nulla ratione pertineat. *p*)

l) Sunt enim sacramenta 1) signa visibilia (vid. *præced. n. I. not. f*) ergo *materiam*, seu rem requirunt, quæ in sensus cadat: 2) signa invisibilis gratiæ (*ibidem*) ergo & *formam* seu verba requirunt, quæ gratiam, quam sacramenta operantur, exprimant; cum vero verba ipsa sine persona eadem proferente gratiam actu exprimere haud possint, sequitur: requiri 3) *ministrum*, qui formam ad materiam adplicet.

m) Qui enim sacramenta instituit (vid. *præced. n. I. lit. a*) *b*) *not. g*) absque dubio & ea, quæ illis *essentialia* sunt, in *genere saltem*, determinare debuit. Quapropter nequeunt hæc tria ab Ecclesia immutari, sed *talia esse semper debent, qualia* Christus *esse voluit*.

n) Num

n) Nam *accidentaliter* & pietatem excitare, alere, proin & cum decore administrari debent; ad id vero ritus quantum conferant, suo loco videbimus.

o) Præsulum ecclesiasticorum potestati, quæ tamen conservendæ unitati, & consensioni fidelium quoad actus etiam cultus divini exteriores studere semper debet, relictam esse rituum sacramentalium determinationem, testantur 1) libri *liturgici* ab Apostolorum jam ætate a variis Episcopis præscripti; 2) *vicissitudines*, quas antiqui, olimque usitatissimi ritus labentibus seculis voluntate eorum, qui Ecclesiam regebant, subiverunt; 3) ipsa demum *diversa* fidelium *indoles*, variabiles eorum mores, quibus ritus religiosos per Episcopos non raro adcommodari debere salus communis postulat.

p) Concil. *Trident Sess. VII. can.* 13. Ne nimirum arbitraria hac ritus immutandi facultate unitas & cultus exterioris consensio perturbetur.

§. II.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE PRÆTER MATRIMONIUM.

I. Baptismus, græcum nomen, alias omne *ablutionis* genus significat; hic vero definitur sacramentum *regenerationis per aquam in verbo vitæ*. q) Circa baptismum notanda veniunt

1) dignitas baptismi: nimirum

a) est *verum* novæ legis *Sacramentum*, r) & quidem

b) quo omnis vera *justitia incipit*, & quod *characterem* indelebilem animæ *imprimit*. s)

q) Catechism. Concil. *Trident* P II cap II Uberius definitionem hanc explicat Zech *de jur. rer.* Sect II. tit. II. § 187. *seqq*

r) Concil. *Trident. Sess* VII *de sacram. can.* 1. Et vere: quæcunque enim genuina sacramenti notio (*præced* §, I n I *not* f) involvit, hæc in baptismo adesse manifestum est textus S. Scripturæ ad Ephes. V. 26 Joan. III 5. Marc. *ult.* 16. lustrantibus.

s) *Primum* ex Concil. *Trident. Sess* VI *de justificat.* cap IV. *alterum* vero ex ejusd. Concil. *Sess* VII. *de sacram. can* 9 eruitur. Inde vero jam concludimus 1) baptismum inter alia sacramenta *maxime necessarium*, & reliquorum esse januam. § *praced. n* II *not.* i) Conf. Concil. *Trident*, *Sess*. VII. *de sacram. can* 5. *de baptismo*; item *cap.* 3 *de presbyt non baptizat.* 2) *iterari* eum non posse. *præced* §. n II. *not.* k:)

2) materia, forma, minister: t)

a) *materia baptismi* est *aqua naturalis*, sive per immersionem, sive per adspersionem, sive per infusionem adhibita; u)

b) *forma* in verbis consistit, quibus actus baptizantis, persona baptizata, & distincta invocatio personarum SS. Trinitatis in una essentia exprimitur; v)

c) *minister ordinarius* præprimis est *Episcopus*: post hunc *parochus*, vel alius *sacerdos* a parocho vel ordinario *delegatus*; imo & *diaconis* baptismi *solennis* administratio committ

mitti poteſt, non autem inferioribus clericis, aut laicis. x)

t) *Materia, forma, miniſter,* ſicut ad *ſubſtantialia* cujusvis ſacramenti pertinent (*§. præced. p. III. lit. a. not. l*) ita in baptiſmo, aliisque ſacramentis ex voluntate Chriſti determinari debent. (*ibid not. m*) Quare quotiescunque impoſterum quæretur: qualianam hæc ſubſtantialia in illo, aliove ſacramento ſint: valeat generalis illa reſponſio: (*loc. mox cit*) *talia ſcilicet, qualia Chriſtus eſſe voluit.*

u) *Not. præced.* & Joan. *III. 5.* Conf. Van Espen *P. II. ſect.* & *tit. II. cap. I.* item Zech *cit. loc. §. 189. not. 37.*

v) Not. *præced. t*) & Math. *28. 19.* Conf. Morinus *de pœnit. lib. III. cap. 16.*

x) In caſu *neceſſitatis* vero *omnibus* jus eſt baptizandi, etiam mulieribus. Tertullian. *lib. II. de baptis. cap. 16. 17. can. 20. 21. 23. 24. 29 34 Diſt. IV. de conſecr. can. 10. Cauſſ. I. Q. I. can. 4. Cauſſ. XXX Q. II.* imo & *hæreticis. Can. 23. 24. Diſt. IV. de conſecr.* At nemo, ne quidem in caſu neceſſitatis *ſe ipſum* baptizare poteſt; *Cap. 4. de baptis.* ſed eo in caſu baptismum fluminis *martyrium*, aut *votum* ejusdem perfecta charitate junctum ſupplebit. *Can. 34. Diſt. IV. de conſecr.* Conf. Zech *cit. loc. §. 193.*

3) perſonæ baptizandæ, & adſiſtentes:

a) baptizari poſſunt *omnes*, non ſolum adulti, ſed & parvuli; y)

b) in *adultis* intellectus & voluntas, & ſedula præparatio requiritur; z)

 c) *infans*

c) *infans* baptizandus jam natus ſit oportet; *a*)

d) in *patrinis* rogandis & admittendis delectus ſervari debet. *b*)

e) *numerus* eorum jure recentiore ad duos tantum diverſi ſexus reſtringitur. *c*)

y) *Niſi* enim *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei* Joan. *III* 5 Pone igitur non omnes baptizari poſſe; carebunt illi, quos a ſusceptione baptiſmi excluſeris, neceſſario ad ſalutem medio. Quod cum divina miſericordia nullatenus conciliari poteſt. Conf. *can* 7. 8. 74. 76. 129. 130 138. *Diſt. IV. de conſecr. cap.* 2. & 3 *de baptism.* item *Receſſ. imp. de an* 1529. §. 6.

z) Hinc cum olim per catechiſmum præparandi erant, *catechumenorum* nomen geſſerunt. Conf. vero Zech *cit. loc.* §. 194. & 196.

a) Inde eſt, quod infans non cenſeatur baptizatus in utero, ſi mater prægnans baptizetur. *Can.* 14. *Diſt. IV. de conſecrat.*

b) Adeo enim *gravia* ſunt patrinorum *officia*, ex ſententia Auguſtini *Can.* 105. *Diſt. IV. de conſecrat.* relata, ut non a quovis promiſcue impleri ea poſſe certiſſimum videatur. Quare arcentur 1) *nondum baptizati*, nec confirmati: 2) *Abbates: monachi: moniales:* 3) *excluſi* a ſacro commercio: 4) *hæretici:* 5) *parentes* ob cognationem ſpiritualem. *Can.* 102 103 *Diſt. IV. de conſecrat* Alii vero, qui admittuntur, ut paterni quodammodo amoris affectu ad implenda ſolertius erga prolem baptizatam curæ ſpiritualis officia excitentur, *cognationem ſpiritualem* cum ea contrahunt, de qua inter impedimenta matrimonii redibit ſermo.

c) Ne scilicet cognationis spiritualis *impedimenta* nimium adcrescant. *Cap. fin. de cognat. spiritual. in 6. Trident. Sess. XXIV. cap. 2 de reform. matrim.* Conf. Van Espen. *loc. cit. cap. V.*

4) locus, tempus, ritus:

a) nisi gravis caussa aliud svadeat, *locus*, ubi confertur baptismus, sit *Ecclesia parochialis* propria; *d*)

b) *tempus* ex veteri disciplina extra casum necessitatis erat *Paschæ*, & *Pentecostes*: hodie *quodcunque*; *e*)

c) *ritus* antiquitate venerandi, *f*) siquidem in casu necessitatis *omissi* fuerint, commodo tempore *suppleantur* a Parocho. *g*)

d) Sanctitas actus baptismalis, rituum præscriptorum ratio, ordinisque conservandi necessitas id exigunt. Conf. *Clement. un. de baptis.*

e) Ex veteri hacce disciplina *dominicæ primæ* post Pascha *in albis* denominatio derivatur.

f) Antiquissimos esse baptismi ritus erudite demonstrat Jos. Vicecomes *observat. eccles. vol. I.* Hodie in eos, qui baptismum *antecedunt*, *comitantur*, *sequuntur*, dividi, ac in ritualibus explicari solent. Vid. interim Zech *cit. loc.* §. *199. 200. 201. seqq.* ubi utilissima quædam a parochis circa baptismum evitanda & præcavenda exponit. §. *203.*

g) §. *præced. I. n III. not. n.*) item *præced. n. 2. lit. c*)

5) Effectus.

a) alii *interni* sunt; quo præter eos, quos *præced. n. 1. lit. b. not. s*) indicavimus, inprimis

primis *remissio* peccati *originalis*, & omnium *personalium* refertur. *h*)

b) alii *externi*, scilicet: quod baptizatus fiat *Ecclesiæ membrum*, ejusdem potestati subjiciatur, ac jurium reliquis Christianis communium particeps reddatur. *i*)

h) Concil. *Trident. Seß. XIV. cap.* 2. *de pœnit.* Plura hac de re leg. apud Zech *cit. loc.* §. 195.

i) Inter cetera a macula *civili*, & tolerantiæ *censu* liberatur; *l.* 56. §. 3. *cod. de episc. & cler.*

II. Confirmatio est manuum impositio, ac hominis in fronte unctio sub certa forma eo ex fine facta, ut homo roboretur ad fidem intrepide profitendam, & fortiter tuendam. *k*)

1) Est *verum sacramentum*, *l*)

a) quod *gratiam auget*, *m*)

b) & *characterem imprimit*. *n*)

k) *Can.* 1. *seqq. Dist. V. de consecr.* Quas alii eodem ex fonte Confirmationis definitiones hauriunt, ab hacce nostra, si *rem* spectes, haud differunt.

l) Est enim 1) signum *visibile* (*ex def*) quo 2) *Spiritus Sanctus* (*Act. VIII.* 17. 18.) qui hoc loco *gratiam sanctificantem* denotat (*Theol. exeget.*) confertur, proin 3) a Christo, qui solus gratiæ auctor est (*Theol. dogm*) institutum. Hæc vero absolvunt essentiam novæ legis sacramenti (*præced.* §. *I. n I. not. f.*) Add. Concil. *Trident. Seß. VII. can.* 1 *de Confirm.*

m) Ita tamen, ut etiam *per accidens primam gratiam* producere possit. S. Thomas *P. III. quæst.* 77. *art.* 7. *ad* 2.

n) Concil.

n) Concil. *Trident. Seſſ VII. can. 9. de ſacram.* Valent igitur de Confirmatione ea, quæ ſupra §. I n II. *not i. k)* de ſacramentis in genere dicta ſunt.

2) Quod vero adtinet *Confirmationis*

a) *materiam:* dicunt, *remotam* in manuum impoſitione & chriſmate, *proximam* vero in unctione conſiſtere; *o)*

b) *Formam* Græci aliam, aliam Latini adhibent; *p)*

c) Perſona confirmans ſeu *Miniſter ordinarius* eſt *Episcopus, q) extraordinarius* etiam *Presbyter; r)* confirmanda vero baptizatus *s)* omnis, *t)* quem tamen bene diſpoſitum eſſe decet. *u)*

o) Ita Zech *loc. cit* §. 205 *ſeq* Conf. *præced. n. I. not. t) Act VIII. 17 18.* His enim in ſyllogismum redactis ſi *cap. un de ſacr. unct* verba: *per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur*, addideris, ſponte ſua veritas aſſerti profluet. Vid. porro Concil. *Conſtantiens Seſſ ult.* Ceterum ex *oleo olivarum*, & *balſamo chriſma* confici (*cap un. de ſacr. unct* & ab Episcopo *benedici* debet. Simplici *Presbytero* facultatem benedicendi chriſma a Pontifice dari quidem poſſe, at vix unquam hucusque datam fuiſſe, docet Benedictus XIV, *de Synod diœces, lib. VII. cap.* 8. Conf. etiam *reſpons* S. D. P. Pii VI. ad Clerum Galliæ nuper inter cetera quærentem: an in dira, qua adhuc premitur, perſecutione deficientibus Episcopis chriſma a Presbyteris benedici poſſet?

p) Græci hac utuntur forma: *Signaculum donationis Spiritus Sancti*: ſupple, *tibi impomitur.* Inter Latinos quidam & orationem, quam Episcopus

manus imponendo fundit, & verba, quæ ungens profert: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti* - ad substantiam formæ pertinere arbitrantur. Sed enim posterioribus verbis sufficienter Confirmationis effectus exprimitur; eapropter placuit Patribus *Florentinis* in *Decreto* Eugenii IV. *pro Armenis* illis solis essentiam formæ hujus sacramenti designare. Nec Græcorum tamen, nec Latinorum forma in antiquissimis documentis descripta invenitur: rationem ex arcani disciplina repeti debere, ex Innocentii I. ad Decentium *Eugubinum Episcopum* epistola 29. colligimus, quæ ita habet: *Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.*

q) *Præced. n. I. not. t)* & *Act. VIII. 14. 15* item Concil. *Trident. Sess VII. can. 3. de Confirm.*

r) Ex commissione nempe Summi Pontificis, quam eo facilius credimus dari posse, quo certius est: 1) evenire subinde necessitatis casus, in quibus Episcopus confirmare haud possit; 2) nullibi delegationem hanc juris Episcopalis pro ejusmodi casibus esse vetitam; 3) communi utilitati per eam consuli; nec demum 4) exempla talis commissionis datæ deesse. Vid. *Bullar.* Benedicti XIV. *Tom. III. constit. 6.* ibid. *constit. 30. Tom. I. constit. 10.* Conf. Ejusd. *de Synod. diœces. lib. VII. cap. 7.*

s) *Praeced. §. I. n. II. not. i) §. II. n. I. not. s) n. II. lit. a. not. u)* demum *Act. VIII. 16. seq.*

t) Omnibus enim illud I. Petr. *V. 8. 9.* Ephes. *VI. 11* dictum est. Inprimis vero ad suscipiendum hoc sacramentum obligantur *Adspirantes ad Clericatum*, qui ut aliquando alios in fide confirmare valeant, ipsi prius roborati sint necesse est. Conf. quæ *cap. I. §. I. n. IV. 5. not. o)* de

de irregularitate ex defectu sacramenti dicta sunt.

u) Ad hanc *dispositionem* pertinent 1) *status gratiæ*, aut ex baptismo conservatus, aut per pœnitentiam reparatus. (*n. præced. I. lit. a. not n*) & *§. præced. I. n. II. not. i*) 2) *perseverantia in oratione & jejunio* secundum exemplum Apostolorum Spiritum S. exspectantium; 3) proin & *ætas*, qua confirmandus ratione jam utitur. Postremum olim non adtendebatur, prout nec hodie in Ecclesia orientali adtenditur, in qua Confirmationem etiam parvulis mox post baptismum conferunt. Sed ab hoc more dudum Ecclesia *occidentalis* recessit, uno hoc casu excepto: si parvuli periculose ægrotent, & copia Episcopi habeatur; tunc enim denuntiari sibi ejusmodi parvulos jussit S. Carolus Borromæus (*P. II. Act. Eccles. Mediolan. pag. 232.*) & Prosper Lambertinus Archiepisc. *Bononiens:* postea Pontifex Benedictus XIV. (*Inst. eccles. VI. pag. 24.*) ut confirmare eos posset, cum ex doctrina S. Thomæ *P. III. Q. 72. art. 8. ad 4. etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequantur, sicut & hic majorem obtinent gratiam.*

3) Cerimoniæ, quas pro Confirmatione Pontificale Romanum præscribit,

a) adprime *scopum* ac virtutem hujus sacramenti *significant; v*)

b) quapropter *semper* adhiberi debent. *x*)

v) Vid. Zech *cit. loc. §. 212.*

x) Alia afferti hujus ratio est: quod nimirum ad quodvis sacramentum decore ministrandum ritus necessarii sint; *§. præced. I. n. III. not. n.*) proin non nisi ob majorem necessitatem omitti possint.

At nulla ejusmodi necessitas in sacramento Confirmationis, quod ad salutem absolute necessarium non est (*ibid. n. II not. i*) adesse videtur; ergo nec rituum omissio unquam probanda est.

III. Eucharistia, si *vocem* spectes, *bonam gratiam, gratiarum actionem* significat; si *rem ipsam*: est Corpus ac sanguis Domini Nostri Jesu Christi sub speciebus panis ac vini ad spiritualem fidelium alimoniam latens. *y*) Est

1) *sacramentum, singularis*, super reliqua, *excellentiæ, justitiam* inceptam *augens*; *z*) cujus proin

a) perceptio hominibus *necessaria* est necessitate *præcepti*: *a*)

b) *Materiam panis* triticeus, & *vinum* de vite constituunt; *b*)

c) *Formam* vero verba Salvatoris in ultima cœna adhibita: *c*)

d) *Minister* sive conficiendæ, sive dispensandæ Eucharistiæ *ordinarius* est *Sacerdos* legitime ordinatus: *d*)

e) *Cultus* ei debetur *latriæ*. *e*)

y) Vid. arg. *Sess XIII. Concil. Trident. de SS. Eucharistia cap.* 2.

z) *Tria* hæc propositio complectitur, quorum *primum* ex not. sacram. *§ præced I. n. I. not f*) ad textus scripturæ Math. *XXVI.* 26. 27. Luc *XXII.* 19. Joan. *VI.* 59 adplicato, & ex Concilii *Trident Sess. VII. cap.* 1 *de sacram. Sess. XIII. de SS Eucharist. alterum* ex ejusd. Concil. cit. mox *Sess. XIII. cap.* 3. *postremum* vero ex I. Cor. *XI.* 27. & *§. præced. I. n. II. not. i*) facili opera cognoscitur.

a) *Duplex*

a) *Duplex* ad ſumendam frequenter Euchariſtiam *præceptum* urget, 1) *divinum* Joan. *VI.* 54. *55.* 2) *humanum.* Concil. *Agathenſe an. 506. can. 18.* relat. in *Can 19 Diſt. II. de conſecr. Lateranens. IV. an. 1216.* relat. *in cap.* omnis *12. de pœnit. & remiſſ. Tridentin. Seſſ. XIII. can. 9. de SS. Euchariſt. ſacram.* De utroque notandum *in genere* eſt: 1) neutro imponi obligationem ſumendi Euchariſtiam ſub *ſpecie duplici*, quantum ad *laicos* pertinet: aliud vero de *Sacerdotibus celebrantibus* dicendum eſt. Conf. Cardinalis Bona *Rer. liturg. lib. II. cap. XVIII. n. 2.* Quapropter diverſa hac in re variis temporibus obtinuit in Eccleſia diſciplina. Vid. *hiſt. eccles.* 2) utrumque datum eſſe præcipue hominibus *adultis, ratione utentibus*, & inter hos potiſſimum *infirmis.* Concil. *Trident. Seſſ. XIII. can 9 de SS. Euchar.* item *Seſſ. XXI. cap. 4. de commun.* Conf. Zech *cit. loc. §. 222.* 3) Vi utriusque hominem Euchariſtiam ſumentem a *peccato* inprimis *mortali* immunem eſſe debere. I. Cor. XI 28. *Trident.* Seſſ. XIII. can 11. de Euchar. Vi præcepti *humani* etiam *jejunum.* Conf. Zech *cit. loc. 225. ſeq.* 4) Illi divino præcepto reſpondiſſe adprime primorum Chriſtianorum pietatem, ut pluribus exemplis probat Binghamus *Orig. eccles. lib. XV. cap. 9. §. I. ſeqq.* 5) tepescente vero Chriſtianorum zelo humanum acceſſiſſe, quo, ut ſaltem *ſingulis annis circa Paſcha* communicent, ſtatutum eſt. Conf. Zech *cit. loc §. 224.* Ex hoc vero ſumendæ frequenter, ac infirmis miniſtrandæ SS. Euchariſta præcepto ſponte ſua ſequitur: paratam illam ſemper adſervari debere 1) in ſufficiente quantitate, 2) in vaſis mundis, 3) in tabernaculis eccleſiarum regulariter parochialium. Concil. *Trident. Seſſ. XIII. cap. 6. de SS. Euchariſt.* Cardinal. Bona *cit. loc. lib. I. cap. 24 n 6.*

b) Christum ipsum pane *triticeo*, & *vino de vite* usum fuisse, cum Eucharistiam instituerit, Theologi ex Math. *XXVI*. 17. Marc. *XIV*. 12. Luc. *XXII*. 7. *ad* Exod. *XXIX*. relatis demonstrant. Dubium ergo nullum est in his materiam Eucharistæ consistere. Conf. *præced. n I*. 2. *not*. *t*) & Decret. Eugen. IV. pro *Armenis*. Quid autem sit *panis triticeus*, quid *vinum de vite*, ex vulgari æstimatione & judicio petendum est. Illud autem sat certum est, utrumque panem tam *azymum* quam *fermentatum* esse veram & *sufficientem* hujus sacramenti *materiam*, ipsumque diversum usum esse unum de punctis disciplinæ, quod etiam de modica *aqua* vino *admiscenda* valet. Unusquisque tamen tenetur morem suæ ecclesiæ servare, adeoque Presbyteri in Ecclesia latina non possunt uti pane fermentato sub pœna amissionis officii & beneficii Card. Bona *cit. loc. cap. XXIII*. Conf. *præced. §. I. n. III. lit. b. not. p*.)

c) Nempe pro consecratione panis verba: *Hoc est corpus meum*; pro consecratione vini: *hic est sanguis meus*. Ratio ex iisdem respective locis scripturæ, quæ *præced. not. b*) indicavimus, petitur. Adde: Evangelistas, ut ex collatione eorum intelligitur, in solis his verbis a Christo pronuntiatis convenire; noverunt igitur, & docere nos voluerunt, sola hæc ex Christi exemplo & lege ad formam hujus sacramenti spectare. Conspirant quoque hac in re omnes tam orientales quam occidentales antiquæ & modernæ liturgiæ. Quare longior illa hodierna consecrationis forma Latinorum, præsertim calicis, non est tota ac integra de essentia sacramenti. Nihilominus tamen necessario ab omnibus servanda. Vid. *præced. §. I. n. III. lit. b. not. p*) Conf. Benignus Bossuet in *explicat. quarumd. difficult. circa preces Sacrific. Missæ n*. 45.

d) Solis enim Apostolis, &, cum ritus consecrationis perpetuo sit in Ecclesia duraturus, eorum

suc-

successoribus *Sacerdotibus* dixit Christus: *hoc facite in meam commemorationem* I. Cor. *XI.* ergo hos solos, *Ministros* Eucharistiæ & conficiendæ, & dispensandæ *ordinarios* esse voluit. Conf. Concil. *Trident. Sess. XXII. cap. 9. de Sacrif. Missæ.* Competiit tamen aliquando Eucharistiæ jam confectæ dispensatio etiam *Diaconis* tanquam Episcoporum & Sacerdotum *Ministris*; sed evanuit jam hodie mos iste, quia nulla ejus retinendi necessitas superest. Sacerdotes igitur eam dispensant, & quidem *sanis* extra tempus *paschale*, *quicunque* legitime ordinati sine ulla parochialis Presbyteri licentia; *infirmis* vero instar *viatici*, aut tempore *paschali sanis* proprii eorum *Parochi*, aut alii in *casu necessitatis*, extra hunc, cum Parochi consensu. Conf. *P. I. cap. I. §. IX. n IV. not m)* & *Trident. Sess. XXIV. cap.* 13. *de reform.* Ceterum quisque ministrans Eucharistiam *ritus* ab Ecclesia] præscriptos servare debet, quo pertinet 1) *tempus:* istud, si sanis Eucharistia distribuitur, mox post communionem Sacerdotis celebrantis adsignatur; (Zech *cit. loc. §. 221. not. 41.*) si infirmis, diurnum matutinum, nisi necessitas aliud svadeat. Rigger *P. III. §. 803. Schol.* 2) *modus* eam ad infirmos *deferendi*: hic *cap. 10. h. tit.* ita describitur: *Eucharistiam in decenti habitu superposito mundo velamine ferat, & referat manifeste, ac honorifice ante pectus, cum omni reverentia & timore semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur.* Quid ad quæstionem: an quispiam, præter Sacerdotem celebrantem, sibimet ipsi Eucharistiam ministrare audeat? respondendum sit, docet Zech *cit. loc. §. 221.*

e) Continetur enim in almo hoc sanctæ Eucharistiæ sacramento D. N. Jesus Christus verus Deus; (Concil. *Trid. Sess. XIII. cap. 1. de Euchar.*) *cui omne genu flectatur*, cultum *latreuticum* eidem

dem deferendo. Quare, verbis utar ejusdem Concilii *Trident. Seſſ. cit. cap. 5. pie, & religioſe admodum in Dei Eccleſiam inductus eſt hic mos, ut ſingulis annis peculiari quodam & feſto die præcelſum hoc venerabile ſacramentum ſingulari veneratione ac ſolemnitate celebraretur, utque in proceſſionibus reverenter & honorifice illud per loca publica circumferretur*; aut extra proceſſiones adorationi fidelium in altari exponeretur, proceſſiones ipſas, & expoſitiones ordinante Episcopo, ne earum frequentia minuat reverentiam, & ne ad cujuslibet pene devotionem, & privatis ſæpe ex cauſſis, quarum plures minus probandas recenſet Zech *cit. loc.* §. 229. palam ſpectandum exhibeatur. Conf. Rigger *cit. loc.* § 505. *ſeq.*

2) *Euchariſtia* eſt etiam *ſacrificium* novæ legis incruentum fidelibus tam vivis quam defunctis ſalutare, quod *miſſa* dicitur: *f*)

a) *Dividitur* in *publicam* & *privatam*; *g*)

b) ad eam ſaltem diebus dominicis & feſtis celebrandam tenentur quicunque Sacerdotes; *h*)

c) non tamen omnes promiscue admittendi ſunt; *i*)

d) circa *ritus*, *tempus*, *locum*, miſſarum celebrandarum *numerum*, ac *ſtipendia* plura ab omnibus religioſe obſervanda præſcribunt Canones. *k*)

f) *Miſſa* nomen latinum eſt derivatum a *miſſione* ſeu *dimiſſione*. Ejus pars prima usque ad Offertorium olim vocabatur *Miſſa Catechumenorum*, qua completa iſti dimittebantur: altera *Miſſa fidelium*, qua finita dimittitur populus per verba Dia-

Diaconi: *ite: missa est*. Conf. Cardinal. Bona *cit. loc. lib. II. cap. 1.* Partes ejus magis *essentiales* sunt 1) *oblatio*; 2) *consecratio*; 3) *communio*. *Accidentales* vero sunt *cerimoniæ*, quibus illæ perficiuntur. In Missa offerri 1) longe perfectius, ac in veteri lege, Deo sacrificium, definivit Concil. *Trident Sess. XXII. can. 1 3. 4* lateque ostenderunt Theologi, uti Melchior Canus *de loc. theol. lib. XII. cap. 12.* Bellarminus *Tom III. lib I. de Missa. cap. 6.* Nobis hic loci argumentum ex notione Sacrificii cum notione Missæ collata ductum sufficiat. Est vero hoc: *Sacrificium* dicitur oblatio externa rei sensibilis soli Deo per legitimum Ministrum facta per realem hostiæ immutationem ad cognoscendum supremum ejus in res omnes creatas dominium. At omnia hæc in Missa habentur. a) *minister* legitimus Christus principalis offerens Sacerdotum ministerio: Paul. ad *Hebr V. 6.* b) *Oblatio externa* rei sensibilis, nimirum corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, ac vini, ex def. Eucharistiæ *præced n III.* c) *immutatio hostiæ* nempe mystica, quatenus vi verborum tanquam gladio spirituali sanguis Christi a corpore separatur ad cognoscendum supremum Dei Dominium. Conf. Zech *cit loc. §. 232.* 2) esse illud sacrificium vivis, & defunctis salutare variis rationibus probat idem Concil. *Trident. Sess. XXII cap 2. de S. Sacrific. Missæ*; & apertius *can. 3. ibidem* definit.

g) *Publicam* etiam *solennem* vocant. Quid per publicam & privatam olim: quid hodie intelligatur: vid. Rigger *cit. loc §. 783.* Paulo aliam publicæ Missæ descriptionem legimus *Sess. cit. Concil. Trident. cap 6.*

h) Concil. *Trident. Sess XXIII cap. 14. de reform.* Officium istud his ex fontibus fluit, 1) ex sacerdotali ordine, & munere; Luc. *XXII. 19.* I. Cor.

Cor. *XI.* 24. 2) ex communi omnium mortalium officio Deum colendi, eidemque sacrificia offerendi, quod adeo claris caracteribus omnium cordibus inscriptum est, ut nulla gens barbara etiam, existat, quæ id ignoret; 3) ex peculiari omnium fidelium obligatione, diebus saltem dominicis & festis Missam audiendi. Hæc vero de Sacerdotibus in genere valent. Strictius ad frequentiorem, imo ad quotidianam Missæ celebrationem urget præceptum istud in specie 1) animarum Curatores. Vid. *P. I. cap. I §. IX. n. II. not. c)* 2) eos, qui ad eam ex fundatione tenentur.

i) Nullus Clericus *peregrinus* sine *commendatitiis* sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda, & sacramenta administranda admittatur. Ita Concil. *Trident. Sess.: XXIII. cap. 16. de reform.* Id in ecclesiis etiam Regularium licet exemtis obtinere dubium non est. Conf. Van Espen *J. E. U. P. II. Sect. I. tit. V. cap. 9.*

k) Quod adtinet 1) *ritus*: exacte juxta Rituale Rom. servandi sunt. Concil. *Trident. Sess. XXII. cap. 5. de Sacrif. Missæ.* item *præced. §. I. n. III. lit. b. not. p)* Plura ad ritus pertinentia refert Zech *cit. loc. §. 242.* 2) *tempus*: communiter ab aurora usque ad meridiem computatur; excipe tamen *Natalem* Domini, & ubi privilegium aliud indulget. Idem *ibid. §. 240.* 3) *locum*: Ecclesiam vel consecratam, aut saltem benedictam: *Altare* in ea consecratum esse debere volunt Canones *1. 11 12. Dist. I. de consecr.* Ab Episcopis non facile concedendam esse facultatem in *Oratoriis privatis* celebrandi, sapienter decrevit Concil. *Trident. Sess: XXII: Decret. de celebr. Missæ.* Legatur denuo Zech *cit. loc. §. 241.* cum adnotation. 4) *numerum* celebrandarum una die Missarum: olim ob paucitatem Sacerdotum pluries per diem sacra facere permittebatur: hodie

hodie cautum est, ut singulis diebus semel tantum singuli sacrificarent, præterquam in solennitate *Natalis* D o m i n i. Alicubi in *Hispania* die *Commemorationis Defunctorum* duas a quolibet Sacerdote Missas fieri: item eadem die tres Missas celebrandi facultatem *Lusitanis Sacerdotibus* a B e n e d i c t o XIV, ea tamen adjecta conditione: ut pro una tantum accipi stipendium possit, concessam fuisse narrat Z e c h §. 239. *adnot.* 98. 5) *Stipendia* demum: hæc in locum oblationis panis & vini inter Missarum solennia a laicis fieri solitæ successisse videntur; nunc eleemosinæ instar sunt, qua sustentationi Clerici a fidelibus succurritur. Nihil ergo, si abusus præscindantur, quod damnetur, in se habent: igitur poterunt salva conscientia illi, quibus aliunde sufficiens sustentatio adsignata non est, eadem acceptare. Numerum acceptandorum diu indeterminatum reliquit Ecclesia, neminem futurum sperans, qui eleemosinam sibi non necessariam cumularet, pluraque, quam quibus in honestæ sustentationis subsidium indigeret, aut persolvere posset, stipendia colligeret. Sed enim sordida sæpe avaritia, aut prodigalitas omnes justi & æqui leges in eis suscipiendis violavit; eapropter opus erat regulis, quæ malis inde promanantibus medelam ferrent; atque adcumulationem inprimis stipendiorum offerentibus ea injuriosam impedirent. Quapropter statutum est universim: *Neminem plura stipendia suscipere audere, quam quæ intra modicum tempus persolvere valeat.* Tempus hoc in Diœcesi nostra ad mentem declarationis Congregat. quæ modicum tempus ita sumit, 30 diebus definitur. Sed vid: de stipendiis, que Benedictus XIV. lib. V. de Synod. diœces. cap. 8. 9. 10. & alibi præstantissime scripserat. Conf. etiam Zech cit. loc. §. 244 de cautionibus, sub quibus stipendium permittitur.

IV. Pœnitentia alia *interna* est, alia *externa*. Evolvenda est

1) utriusque *notio*:

a) *interna* est dolor animi, quo mala commissa plangimus cum serio proposito illa rursus non committendi; *l*)

b) *externa* est sacramentum novæ legis, *m*) quo per Sacerdotis absolutionem homini confesso, & interna pœnitentia contrito peccata post baptismum commissa remittuntur. *n*)

l) *Can. 1. 4 Dist. III. de pœnit.* Lactantius *Divin. Instit. VI. 24* Hujus pœnitentiæ necessitatem, sed simul insufficientiam recta ratio agnoscit, dum qua ratione divinæ justitiæ faciendum sit satis ignorat; ut abunde testantur diversi illi ab Ethnicis adhibiti iratos placandi Deos modi.

m) Concil. *Trident. Sess. XIV. can. 1 2. de sanctiss. pœnit. Sacram.* Quod porro ex characteribus cuivis Sacramento novæ legis essentialibus (*§. præced. I. n. I. not. f.*) atque in pœnitent a facile reperiundis (vid. *def.* & Math. *XVI. 19.* Joan. *XX. 23*) sponte sua profluit.

n) Ex hoc vero deduces 1) pœnitentiam esse Sacramentum tale, quo amissa justitia reparatur. Per quid enim justitia amittitur, nisi per peccatum grave? at per pœnitentiam a peccatis solvimur: ergo amissam justitiam recuperamus. 2) esse eam adultis lapsis ad salutem necessitate medii, ut ajunt, seu absolute necessariam, *ut nondum regeneratis baptismum*, scilicet in re, vel voto: proin recte eam dici *secundam post naufragium tabulam. Trident. Sess. XIV. cap 2. in fin.* Luc. *XIII. 5.* & supra *§. I. n. II. not. i*) 3) illis inprimis

mis adultis necessariam esse, qui sacramenta gratiam augentia suscipere volunt. ibid. *not. k*) 4) sapientissime demum ab Ecclesia determinatos esse quospiam casus singulares, ac tempora, quibus homines officiorum suorum passim immemores ad agendam pœnitentiam efficaciter impellerentur. Casus hi videantur apud Zech cit. loc. §. 254. 255.

2) *externæ* pœnitentiæ *divisio:*

a) notissima est ea, qua in *publicam*, & *privatam* distribuitur: *o*)

b) *illa* per priora *sex secula* sola obtinuit in Ecclesia; *p*)

c) *hæc* a *septimo seculo* non nisi quoad peccata *occulta* adhibita - a *seculo XII.* ad *publica* etiam extendi cœpit. *q*)

o) Spectatur hic loci pœnitentia *exterior* potissimum quoad *satisfactionem*; illaque *publica* dicitur, quæ in facie Ecclesiæ publice & palam peragitur: si secus fiat, *privata* vocatur. De illa agit Joan. Morinus *de Sacram. pænit. lib. V. seqq.*

p) Sive peccata fuerint publica, sive oculta; hac tamen differentia, quod peccatores occulti nec pœnitentiam, nec absolutionem publice reciperent, nec per censuras, sed per privatam obsolutionis denegationem ad eam subeundam adigerentur. Conf. Morinus *cit. loc.*

q) Nempe a seculo VII. tacito quodam Ecclesiarum consensu invaluit axioma: *de peccatis publicis publice, de occultis occulte esse pœnitendum.* Publica igitur pœnitentia ab ea ætate solummodo publicis peccatoribus imponebatur, qui adhuc ut ante in quatuor classes dividebantur: 1) in *flentes*; 2) *audientes*; 3) *genuflectentes* seu sub-

 stratos,

ſtratos; 4) *conſiſtentes*. Morin: loc. cit. *lib. IV. cap. 16. n. 5. lib. VI. cap. 1. ſeq.* Conf. etiam Rigger *P. IV. §. 547*. In ſingulis autem peccatoribus curandis maxima ſollicitudine *canonibus*, & *libris pœnitentialibus* utebantur illi, ad quos pœnitentias injungere pertinebat. De antiquitate *Canonum pænitentialium* legatur Rigger cit. loc. *§. 548*. Collectiones eorum plures videantur apud Morinum cit. loc. *lib. VI.* Nec enim decet negligere penitus ætate noſtra uſum Canonum illorum, qui olim adeo ſalutares peccatorum emendationes operabantur. Quod vero a ſeculo *XVI*. omnis fere pœnitentia publica evanuerit, ex Scholaſticorum præprimis ſententia venerat, quibus certiſſimum videbatur: pœnitentiam injungendam a libero Confeſſarii arbitrio pendere, & ſatisfactione injuncta, acceptaque, peccatorem extemplo abſolvendum eſſe. Multum etiam ad pœnitentiæ publicæ neglectum indulgentiarum, temporibus præprimis expeditionum cruciatarum concedi ſolitarum, copia contulerat. Conf. Rigger cit. loc. §. *549. ſeqq.* Quid hac de re Concilium *Trident.* ſenſerit, vid. *Seſſ. XXIV. cap. 8. de reform.*

3) *Materia, forma, Miniſter* pœnitentiæ:

a) *remota* Sacramenti pœnitentiæ *materia* ſunt peccata poſt baptismum commiſſa; *r*)

b) *proxima* ſunt tres pœnitentis actus, nempe *contritio, confeſſio, ſatisfactio* *s*)

c) *Forma* in illis Miniſtri verbis poſita eſt: *ego te abſolvo. t*)

d) *Miniſter* eſt ſolus *Episcopus* & *Sacerdos adprobatus*, *jurisdictionem* habens; *u*)

e) ad *ſigillum confeſſionis* non violandum graviſſime adſtrictus. *v*)

r) Docent nempe Catholici contra Novatianos 1) nullum reperiri peccatum, quantumvis gravissimum, quod pœnitentia expiari, & ab Ecclesia remitti non possit; 2) inde peccata *mortalia* esse *materiam* pœnitentiæ *necessariam*; *venialia* vero, quæ aliis quoque mediis expiari possunt, *sufficientem* sed liberam. Conf. Concil. *Trident. Sess. XIV. cap. 5. de confess.*

s) *Trident. Sess. XIV. cap. 3 de pœnit.* item ibid. *can.* 4. Est autem 1) *contritio* dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito ultra non peccandi. Prout vero aut Dei amor, aut pœnæ metus aliudve motivum honestum fons est, ex quo promanat, ita aut *perfecta* aut *imperfecta* dicitur. Cum *cor* vere *contritum*, & *humiliatum Deus non despiciat*, (*Psalm. L 19.*) inferimus: contritione *perfecta* Deo reconciliari hominem, antequam pœnitentiæ sacramentum suscipiat; quapropter eam extra istud ad salutem *necessariam* esse. Num autem etiam ad valorem Sacramenti requiratur: controvertitur inter Theologos. Vid. Zech cit. loc. §. 252.. Quidquid sit: illud in praxi notandum est a) contritionem debere esse *liberam* & *bonam*; *supernaturalem*: *veram* & *sinceram*: *magnam* & *vehementem*. b) excitandos esse omnes ad dolorem ex motivo charitatis eliciendum: *quod in evangelica lege amoris*, verbis utor cit. Zech cit. loc., *difficile videri non debet, cum etiam extra casum pœnitentiæ quilibet teneatur sæpius elicere actum charitatis Divinæ, & quilibet pœnitens debeat habere propositum servandi omnia mandata, & præcipue primum illud & maximum mandatum dilectionis Dei.* c) cuicunque contritioni adjungendum esse *propositum* non peccandi in posterum, illudque debere esse *firmum* & *stabile*: *universale*. *efficax*. 2) *Confessio*, quam Græci *exomologesin* adpellant, est peccatorum accusatio eo suscepta, ut veniam virtute clavium impetremus. *Catechism.*

Concil. Trident. de pœnit. Sacram. cap. VII Necessariam esse ad Sacramentum pœnitentiæ confessionem peccatorum, aperte in Concilio *Trident. Sess. XIV. de pœnit cap. 5 & can.* 7 definitum legimus. Demonstrare id ipsum porro solent Theologi a) ex I. Cor. *IV. 1.* Act. *XIX. 18.* b) ex non interrupta omnium seculorum traditione. Vid. Sardagna *Theol. schol. dogm. polem.* c) ex ipso pœnitentiæ scopo, & Sacerdotis absolventis munere judiciario. Ex hac vero tandem necessitate deducunt, a) confessionem a Christo institutam fuisse: Conf §. *præced. l. n. III lit. b. not. m)* b) proin in aperto errore versari eos, qui illam seculo XII. a Concilio *Lateranensi* inventam docent Tempus equidem, quo a fidelibus confessio fieri debeat, a Patribus *Lateranensibus* sub Innocentio III. an. 1215. determinatum scimus; rem autem ipsam ab iis institutam fuisse, iterum iterumque negamus. Conf. Concil. *Trident.* cit. mox loc. ubi sacramentalis confessionis conditiones & qualitates fusius descriptas invenies. Solent vero passim his versibus exprimi:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

3) *Satisfactio* est pœnæ a Confessario injunctæ voluntaria perpessio ad expungendam pœnam temporalem. Concilii *Trident. cit. Sess. cap. 8.* de necessitate & fructu satisfactionis argumentatio ad sequentem formulam reducitur: Remissa peccati culpa non illico reatus pœnæ temporalis remittitur; potest vero per opera laboriosa redimi, quæ satisfactionem dicimus: quapropter non modo utilissima hæc est, verum etiam ad sacramentum pœnitentiæ summopere necessaria. Conf. ibid. *can. 12. 13. 14.* Circa eam imponendam

dam ad leges imputativitatis, naturam delicti, indolem delinquentis, canonesque veteres pœnitentiales, exemplo antiquioris Ecclesiæ, de quo *præced. not. q.*) respiciendum esse, res ipsa loquitur.

Ceterum solent jam ad supplendum plenæ satisfactionis defectum concedi *indulgentiæ*, per quas pœnæ temporalis, quæ post remissam culpam luenda superest, extra Sacramentum, & ab eo, qui potestate præditus est, factam remissionem cum Zechio cit. loc. *§. 258.* aut, ut aliis placet, remissionem pœnitentiæ in satisfactionem criminum impositæ intelligimus; ac *triplicis* esse *generis* novimus: nempe *partiales*, *plenas* & indulgentias *Jubilæi*. Idem *§. 263. 264.* Plurima contra indulgentiarum dignitatem ac usum a Lutheri inprimis adseclis dicta, scriptaque moverunt *Tridentinos* Patres ad Catholicorum doctrinam de indulgentiis adcuratius definiendam *Sess. XXV. decret de indulgent.* quo statuunt 1) concessam absque dubio a Christo Ecclesiæ esse potestatem eas conferendi, hacque potestate antiquissimis etiam temporibus illam usam fuisse. Vid. exempla varia apud Zech cit loc. *§. 259* 2) Salutarem hunc, & Conciliorum auctoritate probatum indulgentiarum usum porro retinendum esse; ita tamen 3) ut moderatio juxta veterem in Ecclesia consuetudinem adhibeatur (de qua vid. *can. 12. Concil. Nicæn.* apud Rigger *P. IV.* §. 550.) ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. 4) Abusus auctoritate Episcoporum, ac Romani inprimis Pontificis abolendos esse, ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte, & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

r) Concil *Trident. Sess. XIV cap. 3. de pœnit.* & Concil. *Florentin. in Decreto* Eugenii IV. *pro Armen.* Porro *talis* certe cujusvis Sacramenti *forma*

ma est, *qualem* Christus *voluit* (*præced. n. I. 2. not t*) voluit vero procul dubio talem, quæ effectum Sacramenti sufficienter exprimeret. (*§. præc. I. u. III. not. l*) Cum igitur pœnitentiæ effectum, remissionem scilicet peccatorum dicta verba abunde exprimant: non est, cur iisdem formam pænitentiæ absolvi dubitemus. Ceterum verba hæc 1) ad *præsentem* confessum dicenda — ex litterali eorum sensu: 2) *indicative*, non *deprecative* proferenda esse ex judiciali Confessarii munere colligimus. Conf. Widmann *Theol. dogmat. tom. VI. §. 127.*

u) *Præced. n. I. 2. not. t*) & Joan. *XX. 23.* Concil. *Trident. Sess. XIV. de pœnit. cap. 6. & can. 10.* Olim, quousque nimirum pœnitentia publica viguit (*præced n 2. lit. b. not p*) *ordinarium* hujus Sacramenti *Ministrum* solum *Episcopum* fuisse, docet e pluribus Conciliorum locis Rigger cit. loc. *§. 557. Schol.* Hac vero, quoad peccata occulta, a seculo VII. cessante privatas pœnitentias imponendi auctoritas ad *Presbyteros* devolvi cœpit. Ad illos autem tantum, qui specialiter ad curam animarum tanquam proprii Sacerdotes erant gregi suo præpositi, adeo, ut irrita haberetur absolutio ab alieno Sacerdote sine proprii licentia obtenta. (*arg. cap. fin. de pœnit. & cap. 12 ibid.*) Seculo XIII. Romani Pontifices exortis tum ordinibus Fratrum mendicantium concesserunt, ut fidelium confessiones ubique libere excipere, pœnitentias injungere, & absolutionem impertiri valerent. Inde vero gravium discordiarum originem ipsi Pontifices repetunt, de quibus componendis & tollendis egit Bonifacius VIII. *cap. 2. de sepult. extravag. comm.* & Clemens V. Bonifacii constitutionem innovando *cap. 2. de sepult. in Clement.* Facultates illas Regularibus concessas Concil. *Trident*: non quidem sustulit penitus atta-

attamen multum reſtrinxit *Seſſ. XXIII. cap 15. de reform.* nihil in eo, quod ſæpiſſime conſtitutum eſt, mutans, nempe: ut *fideles ſaltem ſemel in anno tempore paſchali proprio Sacerdoti, aut alieno, ſed de proprii licentia, confiteantur. Cap. 2. de Treug. & Pac. extravag. comm.* Ex hactenus vero dictis deduci facile ratio poterit, cur *Sacerdotem*, pœnitentiæ Miniſtrum, *adprobatum & jurisdictione præditum* eſſe debere Canones doceant: primum ideo: quia vicaria eſt quodammodo Sacerdotis curati, & delegata non curati abſolvendi poteſtas (*P. I. cap. I. ſ. XI. n. I. lit. d*) proin talis, quam non niſi probatus ab eo, cui propria eſt, exercere audet; alterum vero: quia adprobatus Sacerdos officium judicis obit, qui, ut competens habeatur, jurisdictione præditus ſit neceſſe eſt.

Hæc vero jurisdictio ab arbitrio eam concedentis dependet: quapropter non neceſſario ad omnia peccata, omnemve locum, aut perſonam extenditur. Dari igitur *caſus reſervati* poſſunt, a quibus ſummi duntaxat Sacerdotes abſolvant. Et vere dantur *duplicis generis*, alii nimirum *Pontifici*, quidam vero *Epiſcopis reſervati.* Hos omni ætate in Eccleſia notos fuiſſe, nemo facile negaverit. Illos vero ante ſeculum XI. nondum ubique invaluiſſe, nobis ex *P. I. cap. I. §. I. n. V. lit. c not. b*) veroſimillimum videtur. Conf. Rigger cit. loc. ſ. 562. De utrisque legatur Concilium *Trident. Seſſ. XIV. cap. 7. de pœnit. can. 11. ibid.* item Zech cit. loc. §. 267, 268. ut nempe 1) quæ ſit reſervationum utilitas: 2) quæ papales, quæ epiſcopales cenſendæ ſint: 3) quis denique a reſervationibus abſolvere poſſit, perfectius cognoſcatur.

v) Nempe ſub pœna depoſitionis, ac perpetuæ pœnitentiæ in monaſterio agendæ. Conſ. Cod. cit. Pruſſ. *P. II. tit. XI. ſ. 89.*

V. Extremaunctio est hominis ægrotantis cum oleo benedicto, ac sub certa verborum forma unctio facta per Sacerdotem eo ex fine: ut partim spirituale, partim corporale robur ad varia morbi incommoda perferenda obtineat. x) Sacramenti hujus y) characterem non imprimentis z) ac inceptam *justitiam augentis.* a)

a) *materia remota* est oleum olivarum: *b*) *proxima* autem ipsa unctio; *c*)

b) *forma* oratio, quam Sacerdos fundit ægrotum inungendo; *d*)

c) *Minister* tantum Sacerdos. *e*)

d) *Subjectum* homo *ægrotus*, *adultus*, *rationis usu præditus*: *f*) prævia pœnitentia vel in re, vel in voto in *statu gratiæ* constitutus. *g*)

x) Desumta est hæc *descriptio extremæ unctionis* ex epist. Jacobi *V. 14. 15.* quæ ita habet: *Infirmatur quis in vobis?* (en hominis ægrotantis-) *inducat Presbyteros Ecclesiæ* (per Sacerdotem-) *& orent super eum* (sub certa verborum forma-) *ungentes eum oleo* (cum oleo facta unctio-) *& oratio fidei salvabit infirmum* (ad spirituale-) *& alleviabit eum Dominus.* (ad corporale robur ægrotanti tribuendum.

y) *Verum* esse extremam unctionem novæ legis *Sacramentum* Concilium *Trident. Sess. VII. de sacram. can. 1. & Sess. XIV. cap. 1. & can. 1. de extr. unct.* aperte definivit. Quod etiam ex essentialibus cujusvis Sacramenti characteribus *præced. §. 1. n. I. not. f*) cum Jacobi cit. textu, & Concilii *Trident. Sess. cit. can. 1.* sententia: ex-

extrema unctio a Christo instituta & per S. Jacobum promulgata est, collatis sponte sua profluit.

z) Idem enim Concilium *cap. 3. ibid.* dicit: *superata una infirmitate extremam unctionem in alia iterari posse.* Quod sane, si characterem imprimeret, fieri non deberet. Conf. *§. præced. I. n. II. not. k)*

a) Passim *complementum pœnitentiæ* Sacramentum istud vocatur. Cum igitur per pœnitentiam amissa justitia reparetur; (*præced n IV. 1 not. n*) sequitur: *extrema unctione reparatam augeri.*

b) Concil. *Trident. Sess. XIV. cap. 1 de extr unct.* item Jacobi verba: *ungentes eum oleo.* Per oleum enim sine addito, *oleum olivarum* intelligi notum est Theologis exeget: Ceterum *benedictum* ab Episcopo esse debere oleum istud Concilium *Trident. cit. loc.* edixit. Tale enim dignitati Sacramenti optime respondet. Conf. Zech cit. loc. §. 272. *Schol. 96* Benedictus XIV. de Synod. diœces. *lib. VII. cap. 16.*

c) Eorum præcipue membrorum, quæ solent peccatis præ cæteris deservire. De variarum hac in re Ecclesiarum ritu vid. Benedictus XIV. cit. loc *cap. 18.* In casu *necessitatis* unica *capitis unctio* sufficit. Zech cit. loc. §. 272. *Schol. 99.*

d) Concil. *Trident.* cit. loc. Forma hæc extra necessitatis casum in singulis unctionibus repetitur: secus vero, cum caput solum inungitur: (*not. præced.*) tunc enim semel tantum, ac generico adhibito vocabulo, omnia membra alias inungi solita experimente ita profertur; *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per sensus deliquisti.* &c.

e) Concil.

e) Concil. *Trident. Seff. XIV. de extr. unct. cap* 1. & *can.* 4. Conf. porro *§. praeced. II. n. I. 2. not. t)* cum epiſtolæ Jacobi verbis: *inducat Presbyteros.* Verbis his nititur, teſte Leone Allatio *de conſenſu Eccles. orient. & occident. lib. III, cap.* 16. disciplina Græcorum *ſeptem* vel ſaltem *tres* Sacerdotes in collatione extremæ unctionis adhibentium. Latinis *unum* ſufficere notum eſt. At non promiscue quemvis, ut licite adminiſtretur Sacramentum, admittunt; ſed *ordinarie Parochum;* vel alium *Presbyterum* ab illo ſpecialiter *delegatum*; ac non niſi in caſu neceſſitatis, ubi abſentis Parochi conſenſus præſumitur, alium Sacerdotem Miniſtrum eſſe volunt. Conf. *Clement.* 1. *de privil g.*

f) *Aegrotis* ſacramentum hoc conferendum eſſe, ex ejusdem S. Jacobi verbis: *infirmatur quis in vobis?* Latini ſtatuunt. Diverſum denuo hac in re morem ſervant Græci unctionem cuilibet fideli pœnitenti ſive *ſano* ſive *infirmo* adminiſtrantes. Qua ratione autem eos excuſent quidam: vid. apud Zech cit. loc §. 275. *Schol.* 6. Conf. etiam Benedictus XIV. *de Synod. diœces. lib. VIII. cap.* 5.

g) *Præced. §. I. n. II. not. i)* & *præced. not. a)* Plura de *Subjecto* extremæ unctionis leg. apud eundem Benedictum XIV. cit. loc.

VI. Per Ordinem *in genere* manuum impoſitionem, aut alium quempiam ritum externum ab Epiſcopo factum intelligimus, quo ſub certa verborum forma confertur poteſtas ad miniſteria eccleſiaſtica, præcipue circa Euchariſtiam ſive conficiendam ſive diſpenſandam obeunda.

a) *Plures* dantur *Ordines; h)* non omnes tamen a Christo instituti. *i)*

b) *Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus* sunt *verum* novæ legis *Sacramentum, k)* quod *characterem imprimit.*

c) cujus *materia* in genere *manuum* Episcopi *impositione,* & *traditione instrumentorum,* functionibus cujusvis Ordinis respondentium: *l)*

d) *forma* vero *verbis* in manuum impositione, & instrumentorum traditione *prolatis* absolvitur: *m)*

e) *Minister* autem *solus Episcopus* est. *n)*

h) Sicut Clerici *ordinati. cap. I. § I. n. I. not. y)* ita quoque ipsi *Ordines* in *majores,* & *minores* dividuntur. Singulorum diversus est scopus, & ad eum consequendum potestas, inde & diversa in specie definitio, quæ tamen facile ad genericam Ordinis notionem reduci potest.

i) Ordines *minores,* & *Subdiaconatum* humanæ esse institutionis in Proleg. *cap. I. §. II. n. IV. 2)* diximus. Conf. etiam Concil. *Trident. Sess. XXIII. can. 6.* Hi igitur Sacramentis adnumerari nequeunt. *§. præced. I n. I. not. f)* Quare nec de iis intelligenda sunt ea, quæ de Sacramento Ordinis mox dicentur.

k) Habent enim omnia veri Sacramenti essentialia constitutiva cit. mox loco enumerata. Conf. Concil. *Trident. cit. Sess. cap. 4 & can. 3.* item Widmann *theol. dogm. tom. VII. §. 150. 151.*

l) Talis enim cujusvis Sacramenti *materia, qualem Christus esse voluit. (præced. n. I. 1. not. t)* At voluisse Christum *manuum impositionem* vel inde patet, quod Apostoli ordinando Diaconos (*Act.*

VI. 13) Presbyteros, & Episcopos (I. Timoth. *IV.* II. Timoth. I) eandem semper adhibuerint. Quod sane haud fecissent, nisi eam a Christo præscriptam esse novissent. Adde Concil. *Florent. Decretum pro Armenis*, quod ita habet: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus Materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem.*

m) Per *formam* enim verba intelliguntur, quæ invisibilem Sacramenti effectum exprimunt. *§. præced. I. n. III. not. l.*) At id præstant verba a Ministro Ordinis, dum aut manus imponit, aut instrumenta tradit, prolata. Conf. *Pontificale Roman.* quod singulorum Ordinum formam exacte describit.

n) *Act. XIV.* 22. II. Timoth. *I. 6.* Concil. *Trident. Sess. XXIII can.* 7. Conf. vero dicta *præced. cap. I. § I. n. VI.* 1. item Zech *de hierarch. eccles. Tit. VI. §. 73. seq.* De *subjecto* hujus Sacramenti, ac diversis ordinationis *adjunctis* abunde *præced. cap. I. §. I.* integro actum est.

§. III.

DE MATRIMONIO, EJUSQUE IMPEDIMENTIS IN GENERE.

I Matrimonium *in genere* est legitima maris & fœminæ conjunctio procreandæ, & eduandæ sobolis causa inita. Habet

a) rationem *contractus*, *o*)

b) & *Sacramenti* novæ legis, *gratiam augentis*, quod tamen *characterem non imprimit.* *p*)

c) Qua-

c) Quare tum ob diverſam hanc indolem, tum ob varium, quod pro fine habet, bonum *variis ſubſtare legibus* debet. *q)*

o) Fruſtra ſunt, qui ineundi matrimonii obligationem ad ſingulos homines pertinere contendunt. *præced. cap. I. ſ. II. n. II. lit. a. not. m)* Quare a voluntate ſingulorum & promiſſio & acceptatio ejusdem dependet; ſeu quod idem eſt, naturam contractus imitatur. Negat iſtud quidem Huber. *in prælect. ad inſtit. nupt. n* 2. ea ex ratione: quod contractus circa res, quæ in commercio ſunt, verſari ſoleant. Sed enim non videtur animadvertiſſe Vir præclarus pacta non tantum formula: *do, ut des;* verum etiam: *facio, ut facias* exprimi, proin etiam de factis honeſtis, & licitis iniri poſſe

p) Sacramentum hoc magnum eſt, inquit Apoſtolus ad Ephes *V.* 32. *Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Doctrinam hanc Pauli poſt Eugenium IV. in *Decreto pro Armenis* perſpicue expoſuit Synodus *Tridentina* (*Seſſ XXIV.*) in *doctrina*, & *can. 1. de Sacram. matrim.* ac invictis argumentis contra Proteſtantes propugnarunt Theologi, in adſignanda ſolummodo, ut advertit Melchior Canus *de loc. theol lib VIII. cap.* 5. materia, forma, Miniſtro matrimonii eapropter paullo a ſe invicem recedentes: quod contractum a Sacramento non adcurate ſatis diſcernerent, & eſſentialia conſtitutiva illius, huic non raro adtribuerent. Ego quidem, ſi probabiliora ſequi fas eſt, ipſum *contractum* matrimonialem *naturaliter*, & *civiliter validum materiam* conſtituere arbitror. *Formam* in his aut ſimilibus ſecundum cujusque eccleſiæ conſvetudinem reponendam cenſeo: *ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris & Filii* &c: *Miniſtrum* vero *Sacerdotem* verba hæc proferentem

tem esse puto. Qua in re consentientem, mihi habeo Ignatium Martyrem *epist.* ad Polycarpum ex recensione Cotelerii *n 5.* Tertullianum *lib. II. ad uxor.* Ambrosium *epist. ad* Vigilium *n.* 7. Concilium *Carthaginense IV. can.* 13. ipsum etiam Concilium *Trident. Sess. XXIV. cap.* 1. *de reform. matrim,* jubens: ut Parochus intellecto mutuo viri & mulieris consensu dicat: ego vos in matrimonium conjungo. Quæ formula haud verificaretur, si contrahentes ipsi per mutuum consensum sibi hoc Sacramentum ministrarent. Conf. Melchior Canus cit. loc. Bertieri *theol. dogmat in systema redact.* §. 346 Pehem *Inst. J. E. P. II.* §. 443 *seq.* inprimis vero Benedictus XIV. *de Synod. diœces. lib. VIII cap.* 12. 13.

q) Nempe ut *Sacramentum* subjicitur auctoritati *Ecclesiæ. P. I. cap. II. §. I. n. III.* ut *Contractus* determinationes suas ex jure *naturæ*, & *positivo* divino & humano obtinet; ac in specie quidem, quatenus in bonum naturæ ordinatur, mutuumque amorem ac generis humani propagationem promovet, ex lege divina naturali & positiva: quatenus bono civitatis novos illi ac bonos suppeditando cives, consulit, ex lege civili: in quantum vero bonum Ecclesiæ auget, supernaturali conjuges ornando gratia, ac illam prole pie & sancte educata ditando, ex lege quoque ecclesiastica determinandum est. Justam itaque reprehensionem ferunt, qui de matrimonii sive licentia sive valore ex una tantum lege naturali statuunt, & absurdissima consectaria admittunt. Hanc negligendam omnino non esse, persuasum nobis est. At divinam etiam positivam, & humanam tum ecclesiasticam tum civilem adtendi debere, certum est; *cum ex qualibet earum* ut ait S. Thomas *lib. IV. sent.*

sent. Dist. XXIV. art. I. ad 4. persona ad matrimonium illegitima effici potest.

II. Divisio Matrimonii varia est, aliud enim dicitur

a) *legitimum: ratum: consummatum;* r)
b) aliud *civile* seu solenne: & *canonicum* seu non solenne. s)
c) aliud denique ad *morganaticam: inæquale* seu disparagium: & *conscientiæ.* t)

r) *Legitimum* vocant, quod præcise secundum *leges naturales & civiles* contrahitur. Obtinet 1) inter Judæos & Infideles. Neque Sacramentum est, neque etiam tale evadit post conversionem ad fidem. Jurisdictioni seculari tantum subjicitur, ac omnibus effectibus civilibus gaudet, iis duntaxat exceptis, qui speciatim ei denegati sunt Boehmer *Inst. J. E ad tit. de clandest. despons.* §. 4 2) inter fideles, si vera est sententia multorum: quod a Contractu Matrimonii separari queat ratio Sacramenti. Vid. Rigger cit. lib. *P IV.* §. 30. *Ratum:* quod inter Christianos secundum *leges ecclesiasticas* initur, adeoque ratihabitionem Ecclesiæ habet. Istud proprie Sacramentum est. (*Cap. 7. de divort.*) & si corporum conjunctio accessit, *consummatum* audit. *Ratum* etiam nonnunquam, uti Concil. *Trident. Sess. XXIV. cap. 1. de reform. matrim.* opponitur *irrito.* Quo sensu rationem Sacramenti necessario non involvit.

s) In illo *solennitates* jure *civili* requisitæ: in isto vero ea tantum adhibentur, quæ a *SS. Canonibus* exiguntur. Zech *de jur. rer. Sect. II. tit. IX.* § 292.

t) Matrimonium ad *Morganaticam* seu *Morgengabicam* contractum dicitur: quando vi pacti adjecti liberi, cetera legitimi, contenti esse jubentur portione ad sustentationem suam necessaria, nec conditionis aut dignitatis paternæ participes fiunt, maternæ tamen familiæ jura non amittunt. Plura hujusce Matrimonii exempla in Germania recenset Pfeffinger in *Vitriar. illustr. Tom. III. tit. 16. in not. d) ad § 100. Tom III p. 1306. seqq.* ubi etiam talia matrimonia omni jure licita & valida esse defendit. Add. Grotius *de J. B. & P. Lib. II cap. 7. §. 8.* Conf. Rigger cit. loc. *§ 34. seq. Inæquale* seu *disparagium* est, quod sine tali pacto inter virum illustrem ac fœminam ignobilem contrahitur. De hoc Germaniæ legibus cautum est (*Capitulat. Cæs. Art. XXII. §. 4*) ne uxores dignitatem maritalem participent, aut liberi in paterna bona succedant. Matrimonium *conscientiæ* id vocamus, quod coram Parocho quidem, aut alio Sacerdote, & duobus testibus familiarissimis, sed occulte omnino celebratur. A Benedicto XIV. salutaribus conditionibus restrictum est. Constit. *Satis vobis §. 1. seq.* de an. 1741. Vid. Rigger cit loc. §. 73. *seq.*

III. Ea, quæ obstant, quo minus Matrimonium contrahi possit, aut etiam contractum valeat impedimenta dicuntur; suntque

a) *impedientia*, si contractum illicitum solum,
b) *dirimentia*, si illum & invalidum reddant.
c) *naturalia* & *positiva* divina ac humana. *u*)

u) Schenkl. §. 613. Conf. *n. præced. I. lit. c not. q)*

IV. Jus statuendi impedimenta, sive *impedientia*, sive *dirimentia*, ob graves salutis

tis publicæ *civilis* rationes competit Principi politico; *v*)

a) *Contractus* enim quilibet ob bonum publicum Imperio civili *naturaliter* ſubjecti ſunt, cui Chriſtum derogaſſe non conſtat, cum matrimoniali pacto Sacramenti virtutem adtribuit. *x*)

b) porro *effectus boni*, aut *mali*, qui ex conjugiis bene aut male ordinatis in Rempublicam redundare ſolent, hoc jus Principi confirmant; *y*)

c) quod & a piiſſimis Imperatoribus ac Principibus exercitum fuiſſe Theodosii, Justiniani &c. leges, & Regum Francorum Capitularia teſtantur; *z*)

d) neque hæc Cæſarum ſtatuta improbavit unquam Eccleſia, ſed adoptavit etiam, quod vel ex ſolo Canons 5. Concilii *Lateran I.* clarescit. *a*)

v) Celeberrima eſt disputatio, cui poteſtati, an *ſacræ*, an *politicæ*, an *utrique* competat jus impedimenta matrimonii, dirimentia inprimis, ſtatuendi? Decretaliſtarum plerique eam Principis poteſtatem eſſe negant. Alii media incedentes via, principiis ſupra *n. I. lit. c. not. q*) conſone argumentantur, ac utrique poteſtati jus illud tribuunt. Petr. Collet *Tom. XV. Art. VIII. ſ. 2.* Theod. Ruprecht *Not. hiſt. ad Tit. de ſponſal. n* 79. *ſeq.* Rigger cit. loc. *ſ. 80. ſeq.* Sunt vero demum alii, qui, ne parum nimis Principibus tribuiſſe videantur, Eccleſiam adeo hoc jure exuunt, ut eidem quoad *dirimentia delegatam* tantum a Principibus: quoad *impedientia* vero ſola *propriam* poteſtatem relinquant. His

 adnu-

adnumeramus Franc. Ernest. Valentin. Abhandlung über das Recht der Kirche trennende Ehehindernisse zu setzen. Wien 1790.

x) Imo elevatum ad dignitatem Sacramenti Matrimonium rationem Contractus retinuit. *præced. n. I. & not. p.*)

y) Ut recte animadvertit Petr. Soto *Sect. IV. de matrim.* scribens: *Nec debent Prælati Ecclesiæ gravate suscipere, si, quod temporali paci videtur necessarium, Principes seculares statuant: nec est, cur se illis opponant: sed permittant potius matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium humanum sit.*

z) Vid. *lib. XXIII. Digest. Tit. 2.* Plura impedimentorum a Principibus statutorum exempla refert Rigger cit. loc. *§. 83. Schol.*

a) Conf. Zech cit. loc. *§. 299. seq.* Ceterum a pluribus jam seculis, si quasdam recentioris ævi constitutiones excipias, Principes potestatem impedimenta statuendi dirimentia uni Ecclesiæ reliquerunt.

V. Sed & eadem *potestas propria Matrimonia* ob salutem fidelium spiritualem, si in periculum adduceretnr, *impediendi*, seu prohibendi et, si per hoc sufficiens medela non feratur, etiam *irritandi*, non in ratione Sacramenti tantum, verum & ipsius Contractus Ecclesiæ vindicanda est.

a) Enim vero *jure suo* proprio utitur Ecclesia, cum saluti animarum graviter noxia fieri prohibet, ac Principes quoque christianos, ceu sibi eatenus subditos, mediis spiritualibus,

libus, ne talia ſtatuant, aut tolerent, urget, ac obligat: *b*)

b) Sed poterunt ſane eæ adeſſe circumſtantiæ, ut negato ſolum Sacramento, ſeu impedimento mere prohibente poſito, malis ſpiritualibus reipſa haud caveretur, cum forent, qui neglecta Sacramenti gratia, cæcaque libidine ducti legem contemnerent, ſi vinculi tamen valor, effectusque civiles ejusmodi connubiis concederentur.

c) igitur, exigente id reipſa animarum ſalute, legem ferre poterit Eccleſia, qua Principes etiam, quamdiu ejusdem membra eſſe velint, ſtringentur, ne *civiliter validum*, tale conjugium habeant, aut illi effectus ceteros indulgeant, ſeu, quod in idem recidit, poteſtatem habebit impedimenta dirimentia ſtatuendi. *c*)

d) unde ratione hac ex ipſo Regiminis eccleſiaſtici conceptu firmata, neceſſe jam non erit ad ſtatuta jam olim ab Eccleſia hujusmodi impedimenta irritantia provocare, quorum *pleraque* Viri doctiſſimi jam prius vel lege civili, vel jure divino conſtituta, & ab Eccleſia adprobata ſolum, vel declarata fuiſſe oſtendunt; *d*)

e) multo minus Concilii *Tridentini Canonem 3. Seſſ. XXIV.* ad eum ſenſum detorquere oportebit, quo quidam *Eccleſiæ* nomine *Principes* intelligi, aut cum jus proprium in Canone non legatur, illud delegatum tantum a Principibus, & Eccleſiæ precario conceſſum eſſe voluerunt. *e*)

b) *P. I. cap. II. §. I. n. VI. lit. a)* & ibid. *§. II. n. IV. lit. a. not. k)*

c) *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonii dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit. Trident. Sess. XXIV. can. 4 de Sacram. matrim.*

d) Quod autem *necesse* non est, cave, ne etiam *inutile* fore dixeris. Quamvis enim lubentes fateamur, pleraque impedimenta dirimentia prius ab alia lege fuisse proposita, quæ tandem ab ecclesiastica aut probata, aut declarata fuerunt: ut tamen id de omnibus dicamus, permoveri haud poterimus; quod Viri æque docti ostendant, plura ab Ecclesia primum fuisse introducta, quæ tandem legibus Principum ut Ecclesiæ Advocatorum confirmata solum fuerunt. Quare inutile penitus haud erit ex hujusmodi Ecclesiæ factis jus eidem competens statuendi impedimenta dirimentia demonstrare, ut illud demonstravit Rigger cit. loc. §. 80.

e) Qui per *Ecclesiam Principes* intelligendos esse volunt, exhibeant, quæso, prius quempiam textum, quo vox illa significatu hoc unquam sumta fuit; tum demum demonstrent a Concilio *Tridentino*, quod ab impropriis vocibus cautissime abstinuit, significatum hunc Ecclesiæ contra omnem consvetudinem tributum fuisse.

VI. Impedimenta, exceptis illis, quæ *jure naturali*, aut *divino positivo* statuta sunt, & ab Ecclesia *declarari* tantum, non proprie *relaxari* possunt, ab ea, a qua profecta sunt, potestate ex caussis gravibus *abrogatione* vel *dispensatione* tolluntur. *f)* Nunc vero Jus dispensandi,

a) in

a) in impedimentis *dirimentibus* Summo *Pontifici* per consvetudinem reservatum est, g) ac ipsa *dispensatio*

b) in *occultis* quidem impedimentis a *Pœnitentiaria*, pro foro duntaxat *interno*, in *publicis* autem a *Dataria* & pro foro præcipue *externo* conceditur: *h*)

c) si tamen Matrimonium *publice*, *bona* saltem *fide* unius contractum, ac impedimentum *occultum* sit, & conjuges sine scandalo separari nequeant, nec Pontifex facile adiri possit —

d) imo & ante Matrimonium, si periculum sit in mora, dispensandi facultas *Episcopo* salva persistit, *i*)

e) quæ & per privilegia *quinquennalia*, Episcopis Germaniæ concedi solita, ad plura se extendit; *k*)

f) *in dubio* autem semper Jurisdictioni *Episcopali* favendum erit. *l*)

f) Qui enim legem condit, ille eandem abrogare, aut dispensatione relaxare potest. Cum igitur supra demonstraverimus *præced. n. IV. V.* impedimenta *humana* sive impedientia sive dirimentia a potestate tum *civili* tum *ecclesiastica* ortum suum habere, sequitur: 1) eidem jus ea abrogandi, aut relaxandi convenire; 2) ob diversam rationem jus illud ad impedimenta *naturalia*, aut *divina positiva* non extendi; 3) bene vero ad ea, quæ ex jure divino positivo *veteris testamenti*, Levit. *XIII.* a Christo quoad *forenses* & *cerimoniales* leges abrogato, a Legislatoribus humanis adsumta denuo sunt, atque hac ratione indolem humani impedimenti induerunt. Concil. *Trident. Seß. XXIV. can. 3. de Sacram. matrim.*

rim. 4) posse jus istud ab illo, cui proprium est, in alium transferri, hocque facto mirum non esse; quod non solum Principes in impedimentis dispensare haud amplius soleant facultate hac Episcopis relicta: verum etiam quod Episcoporum hac in re jurisdictio arctioribus, quam olim erant, limitibus circumscripta sit. Conf. Rigger cit. loc. §. 173 *seq.*

g) Expressum Canonem, vi cujus Pontifici jus istud reservaretur, non habemus; ex *consvetudine* igitur, cujus ansam *P. I. §. I. n. V. not. b*) indicavimus, repetendum est. Conf. vero ibid. *n. VI.*

h) *Modum & solennitates* in dispensationibus impedimentorum petendis, & exequendis servandas vid. apud Pyrrhum Corradum *prax. dispens. apost. lib. VII. & VIII.* Strictius de eadem re egit Schenkl *§. 625.* Conf. porro Joan. de Fridenberg cit. loc. *Lib. I. cap. X. §. 16.*

i) Præterea tradunt passim Doctores, quoad impedimenta *impedientia* tantum generaliter Episcopos dispensare posse, exceptis *duobus*, *sponsalibus* scilicet & *voto.* Wiestner ad *tit. de Matrim. contract. contr. interd. eccles. art. IV. n. 55.*

k) Vid. Schenkl. §. *624. & Schol. 2.*

l) Quemcunque autem dispensantem monet Synodus *Trident. Sess. XXIV. cap. 5. de reform.* ut veteris Ecclesiæ summam in dispensando circumspectionem, ac morositatem de qua Rigger §. 177. adhibeat: *In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino*, inquit Synodus, *detur dispensatio*, *vel raro: idque ex caussa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes & ob publicam caussam.* Add. *Sess. XXII. cap. 5. de reform.* Caussas, ob quas juste datur dispensatio a Riggero §. 187 relatas adcuratius exposuit Wiestner cit. loc. *art.*

art. V. De *taxa Cancellariæ*, & insuper *compositione*, seu certa quantitate pecuniæ Officialibus Curiæ exhibenda in *Dataria* consulantur iidem, prior *§. 186.* alter *art. VIII. n. 149. seq.* item Pius V. constit. *In omnibus. 83. Bull. Rom.* In *Pœnitentiaria* nihil omnino occasione dispensationum solvitur.

§. IV.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN SPECIE.

I. Ex magno quondam impedimentorum Matrimonium impedientium numero *m*) hodie adhuc *quatuor* recensentur, scilicet:

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum. n)

a) Sacratum tempus, dum ab *Adventu* Domini usque in diem *Epiphaniæ*, & a die *Cinerum* usque in *octavam Paschatis* nuptiarum *solennitates* prohibentur: *o*)

b) Vetitum, seu interdictio Matrimonii ex justis caussis a Superiore ecclesiastico, etiam Parocho, si e. g. impedimentum opponatur, facta: *p*)

c) Sponsalia prius cum alio contracta, nec legitime soluta: *q*)

d) Votum *simplex continentiæ*, *religionis* ingrediendæ, aut *sacros* ordines suscipiendi *r*)

m) Quæ ex *antiquis* impedimentis *impedientibus* in desvetudinem abierunt, solent his versibus exprimi:

Incestus, raptus, sponsatæ mors mulieris, susceptus propriæ sobolis; mors presbyteralis: vel si pœniteat solemniter, aut monialem accipiat; prohibent hæc conjugium sociandum.

n) Hæc impediunt fieri, permittunt facta teneri.

o) Concil. *Trident. Sess. XXIV. cap. 10. de reform. matrim.* Sensum hujus Decreti vid. apud Wiestner loc. cit. *Art. II. n. 34.*

p) *Cap. 3. de cland. despons.* Si hac prohibitione non obstante contrahatur matrimonium, validum erit, *cap. 1 2. 3. de Matrim. contract. contr. interd.* nisi aliud impedimentum intercesserit. *cap. 4. de spons. duor.* pœnitentia tamen est contrahentibus imponenda. *cap. 2. cit.*

q) Fidem enim cuipiam datam violare haud licet: ergo nec Matrimonium inire cum altero, quamdiu sponsalia prius cum alio inita subsistunt. Juste igitur jure *canonico* pœnitentia imponitur bina sponsalia contrahentibus *cap. 1. 31. de spons.* & jure *civili* satisfactio personæ læsæ præstanda decernitur. Conf. Cod. Pruss. *P. II. Tit. I. §. 133. seq.*

r) *Cap. 3. 4. qui cler. vel vovent.* Est autem ex mente Bonifacii VIII. *cap. un de vot. & vot. redemt. in 6* votum *simplex*, quod non est solemnizatum per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem apostolicam adprobatis. Voventem, ast absque præjudicio alterius conjugis, semper obligat, nisi ille dispensationem impetraverit.

II. Impedimenta dirimentia ad *quatuor classes* reducuntur: nimirum

a) ad defectum *adsensus interni:*
b) — — *libertatis externæ:*
c) — — *personæ* seu habilitatis:
d) — — *solennitatis.* s)

s) Levandæ memoriæ caussa omnia his versiculis concluduntur:

Error: conditio: votum: cognatio: crimen:
Cultus disparitas: vis: ordo: ligamen: honestas:
Aetas: affinis: si clandestinus & impos:
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

III. Ob interioris adsensus defectum *invalidum* reddit Matrimonium

1) error, *t*) si versetur

a) circa *personam; u)*
b) vel circa *qualitatem* in personam redundantem; *v*)
c) vel circa eam *qualitatem,* cui ceu conditioni adsensus expresse, aut ex communi hominum æstimatione tacite adfixus fuit. *x*)

t) Quod de errore dicitur, valet quoque de *dolo* ac *fraude.*

u) Talis fuit error Jacobi, cui ignoranti Lia supposita fuit. Genes. *XXXIX. 23. seq.*

v) Exemplum erroris circa ejusmodi qualitatem vid. apud Zech cit. loc. §. *310.*

x) Ceterum præsumendum facile non est, quod contrahentes voluerint ab aliqua qualitate *accidentali*

li

li consensum suum dependere. Van Espen loc. cit. *cap. IV* §. *6*. Conf. cit. Cod. Pruss. *cit. loc.* §. *40. seqq.*

2) *conditio*, nempe

a) *status* proprie *servilis* invito Domino, aut ab altero contrahente libero ignoratus; *y*)
b) dein *conditio* pacto conjugali adjecta, quæ *fini* & *substantiæ* Matrimonii repugnat; *z*)
c) aut alia *impossibilis*, cui adsensus vere fuit adligatus; *a*)
d) conditiones tamen aliæ *turpes* in favorem Matrimonii pro *non adjectis* habentur, *validumque* habetur conjugium, donec consensum defuisse in foro *externo* demonstretur. *b*)

y) Apud Romanos cum personis servilis conditionis non dicam nuptias, sed ne quidem contubernium esse potuisse, ex notione potestatis dominicæ adparet. Inde illud Plauti in *Prologo Casinæ. Quid istuc est? serviles nuptiæ? servine uxorem ducent, aut poscent sibi?* Hasce leges sequuta est Ecclesia *can. 8. Causs. XXIX. quæst. II.* servorum matrimonia citra voluntatem Dominorum nullo etiam interveniente errore contracta, invalida reputans. Postea, cum pietatis ratio suaderet: ut, sicut in Christo Jesu neque liber, neque servus a Sacramentis Ecclesiæ removendus est, ita nec inter servos Matrimonia ullatenus prohiberentur *cap. 1. de conjug. serv.* statutum est: ut invitis etiam Dominis contracta a servis matrimonia valeant; solaque conditionis servilis ignorantia faceret nulla. *Cap. 2. & fin. de conjug. serv.* Conf. Zech cit. loc. §. *311.* De subditorum obligatione consensum Domini ad ineunda matrimonia expetendi, vid. Cod. cit. Pruss. *P. II. tit. VIII. Sect. IV. §. 161. seqq.*

z) Cap.

z) *Cap. ult. de condit. apposit.*

a) Qui enim talem conditionem adponunt, procul dubio talem habent cogitationem, ut nihil agi existiment. *L. 131. de O. & A.*

b) *Cap 1. & ult. de cond. appos.* Corallaria ex hisce propositionibus deducenda vid. apud Rigger cit. loc. §. 65.

3) metus

a) *gravis*,

b) a caussa *libera* ad extorquendum in nuptias consensum,

c) *injuste* incussus. *c)*

c) Consensus enim locum non habet, ubi metus talis vel coactio intervenit. *cap. 14. 15 28 de spons. & matrim.* Nec adjectum *juramentum* dat firmitatem; *cap. 2. de eo, qui duxit.* sequitur enim naturam contractus, cui adjicitur *cap. 25 de jurejur.* Porro etsi metus libertatem non tolleret, pactum tamen eo extortum ob *injustitiam* humana auctoritate irritatur. Sanari autem nullitatem matrimonii, quando sublato metu consensus sponte sive verbis sive factis exprimitur, ex *cap. 21. 28. de spons. & matrim.* & *cap. 4. qui matrim. accus.* passim deducunt. Conf. Zech cit. loc. §. 324.

4) raptus, seu *violenta* abductio personæ invitæ contrahendi matrimonii caussa,

a) quamdiu rapta persona est in potestate raptoris;

b) loco vero *tuto* restituta, si consentiat, valebit conjugium. *d)*

d) Im-

d) Impedimentum hoc jure civili primum constitutum *L. un. Cod. de R. V.* postea a jure canonico acceptatum olim absolute & perpetuo matrimonium dirimebat. *Can. 11. Causs. XXXVI. quæst II.* Tandem auctoritate Decretalium valde imminutum, Matrimonium eousque nullum reddebat, quousque rapta in illud non consensisset. *Cap. 6. 7. de rapt. Tridentina* Synodus inter jus antiquum & novum mediam elegit viam. *Sess. XXIV. cap. 6. de reform. matrim.* Ad hujus mentem raptum non esse, si quis aliquam vel aliquem blanditiis & amatoriis incitamentis seducat, ut consentiat, & insciis aut etiam invitis parentibus matrimonii contrahendi caussa recedat, proin & matrimonium ejusmodi valere docent Germani contra Gallos. Num recte? dubitant alii. Vid. Rigger cit. loc. §. 160. Jure provinciali nostro matrimonia sine consensu eorum, quorum interest, inita, *quoad effectus civiles*, invalida declarantur *§. 984. cit. P. tit. I* Conf. *§. 45. seqq.* ac in raptum sive violentum sive subornationis severæ pœnæ statuuntur. cit. loc. *tit. XX. §. 1095. seqq.*

IV. Ob defectum libertatis *e)* dirimit Matrimonium

a) votum *solenne* per validam in religione adprobata professionem: *f)*

b) ordo *sacer* libere susceptus, aut per liberum exercitium ratihabitus: *g)*

c) ligamen, seu vinculum conjugii *prioris validi* sive *rati*, sive *consummati.* *h)*

e) De *libertate morali* hic loci sermonem esse, sponte sua intelligitur. Hanc non minus ac *physicam* ad contractus valorem requiri in jure nat. demonstratum supponimus. Quare quidquid al-

teruttam

𝔲terutram tollit, recte inter impedimenta matrimonii dirimentia numeratur. Quæ hactenus retulimus *n. præced. III.* potissimum ob physicæ libertatis defectum talia erant.

f) *Cap. un. de vot in 6.* Concil. *Trident. Sess XXIV. can. 9.* Fundamentum, quo lex ista nititur ex *P. I cap. I. §. X. n. II. lit a) not. c)* erues; quis vero sensus ejus sit: vid. apud Rigger *§. ut.*

g) Concil. *Trident.* cit. loc. Conf. quæ supra *cap. I. §. II. n. II. integr.* de cœlibatu Clericorum diximus.

h) Impedimentum istud constitutum est 1) si de *poliviria* sermo sit jure *naturali.* 2) etiam absque hac jure *divino positivo.* Math. *XIX. 8.* 3) jure *ecclesiastico* Concil. *Trident. Sess. XXIV. can. 2. & cap- 2. 3. 4. de spons. duor.* 4) demum jure *civili L. 2. Cod. de incest. nupt.* Cod. cit. Pruss. *P. II. tit. I. §. 948.* collat. ad *§. 16 ibid.*

V. Ob defectum habilitatis personæ conjugium irritat

1) impotentia ad exercendum actum conjugalem,

a) si sit *perpetua*, *i)*
b) *antecedens*, *k)*
c) et *absoluta* quidem *respectu omnium*, *l)*
d) *respectiva* vero cum illa solum persona irritum conjugium reddit, cum qua copula haberi nequit; *m)*
e) non tamen soli conjugum testimonio creditur, sed *probatio* per medicos & obstetrices, pro sexus diversitate, instituenda est. *n)*

i) Seu

i) Seu *immedicabilis. Cap.* 3. *de frigid.*

k) Quæ enim matrimonio contracto supervenit inhabilitas, ne quidem divortio locum facere visa est. *Can.* 25. *Cauſſ. XXXII. quæſt. VII. can.* 26. *ibid. cap.* 14. *de conver. conjug.* Aliter Gregorio II. vel III. *can.* 18. *Cauſſ. cit. quæſt. VII.* placuit, & jure civili *L.* 22. §. 7. *de ſolut. matrim.* constitutum est, cui consonat §. 696. cit. cod. Pruss. *cit. loc.*

l) Talis enim respectu omnium impossibile reddit contractus matrimonialis objectum, proin & ipso jure naturæ matrimonium nullum. Ex his redditur ratio: 1) cur *Eunuchorum* matrimonia illegitima habeantur *L.* 39. *de jur. dot.* Novel. Leon 98. & per constitutionem Sixti V. de an. 1587. prorsus damnentur. 2) cur *senum* matrimonia, quamvis ut plurimum parum honesta, rejici tamen quasi injusta omnino non debeant: 3) cur sola *ſterilitas* ad dirimendum matrimonium non sufficiat. *can.* 27. & *fin. Cauſſ. quæſt. cit.* Vid. Rigger cit. loc. § 102.

m) Quare si penes utramque personam impotentia solummodo respectiva fuerit, utrique ad alias nuptias transeundi jus erit.

n) *Cap.* 4. 6. 7. 14. *de probat.* Hac peracta vel de impotentia satis constat, vel non? Si prius, poterunt instar fratris & sororis simul cohabitare; (*cap.* 4. *de frigid.*) siquidem *ambo consentiunt simul esse* (*cap.* 4. *ibid.*) Quod tamen hodie vix admittetur, præsertim si cum scientia ejusmodi impotentiæ contraxerint. Vid. constit Sixti V. *præced not. l. cit.* Si posterius, *judicium verum & rectum* adhibendum est, (*Can.* 1. *Cauſſ. XXXIII. quæſt. I. can.* 29. *Cauſſ. XXVII. quæſt. II. cap.* 1. 5. *de frigid.*) cujus requisita indicat Rigger cit. loc. §. 108. 109. ubi etiam §. 107. *Schol.* quæstionis inter Scholasticos agitatæ meminit:

num

num nimirum inter impotentes instar fratris & sororis invicem habitantes verum subsistat matrimonium?

2) ætas immatura, seu minor

a) XIV. annis in masculo,
b) & XII. in fœmina; o)
c) nisi fors pubertati proximi sint,
d) aut *malitia* ætatem suppleat. p)

o) *Cap. 3. de desponsat. impub.* Quia in ejusmodi personis regulariter præsumitur impotentia. Consentit jus provinciale nostrum, eo tamen discrimine: quod in masculo 18; in fæmina 14 annorum ætatem ad validas nuptias postulet. cit. Cod. *cit. loc.* §. *289.* & *37.*

p) *Cap. 9. de despons. impub.* Cessat enim hoc in casu ratio sufficiens legis. Sed conf. *cap. 14. ibid.*

3) cultus disparitas, dum pars una est, altera non est baptizata;

a) hoc impedimentum jure veresimilius *consvetudinario* ob gravia incommoda ex iis matrimoniis oriri solita invectum est:
b) olim enim valida ejusmodi conjugia fuisse pluribus exemplis constat. q)

q) Quali sunt inter cetera S. Monicæ cum Patritio, S. Clothildis cum Clodovæo matrimonio junctarum. Conf. I. Cor. *VII. 12.* & Benedict: XIV. constit. *Singulari nobis* §. 9. 10. de an. 1749. Attamen his non obstantibus certum est conjugia inter ejusmodi personas ob perversionis periculum semper fuisse prohibita, ipsam proin cultus disparitatem ab initio mox

inter impedimenta impedientia numeratam. Tertullian. *lib. II. ad uxor. cap*, 2. S. Augustin. *de conjug. adult. lib. I. cap.* 25. Synod. *Eliberitan. can.* 15. *seq.* Postea Imperatores Christianorum cum Judæis conjugia damnare cœperunt. *L. 6. cod. de Judæ.* Inde factum puto, ut *consvetudinario* jure impedimentum hoc generaliter ad fidelium cum infidelibus matrimonia extensum (*Can. 16. 17. Causs. XXVII. quæst. I.*) atque recentioribus etiam Principum legibus confirmatum sit; Vid. Cod. cit. Pruss. *cit. loc.* §. 36.

4) Crimen *r*)

a) solius *adulterii* ex utraque parte *formalis*, cum *promissione* futuri matrimonii: *s*)

b) solius *conjugicidii*, si duorum contrahere cupientium *consensu*, *caussa ineundi matrimonii*, sit procuratum: *t*)

c) *cædis* & *adulterii* simul, si cædes conjugis ab *alterutra* adulterantium parte, altera etiam *inscia*, vel *invita* patrata sit, aut procurata.

r) Circa impedimentum criminis visum est antiquis nullas valere posse nuptias, quæ inter *quoscunque* complices adulteros contrahebantur: *L. 27. Cod. ad L. Jul. de adult. Novel.* 134. *cap.* 12. Id quod & jure canonico sæpe repetitum *can* 1. *seq. XXXI. quæst.* I. & a S Augustino *lib* I. *de nupt. & concup. cap.* 10. expresse traditum fuisse animadvertit Cujacius *ad cap.* 1. *de eo, qui duxit in matrim* Multis hæc disciplina seculis viguit, ut ex *can.* 40. Concilii *Triburiens.* an. 895. manifestum est; decernitur enim ibidem: *Non licere, nec christianæ religioni oportere, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio.* Tandem vero placuit Gratiano

tiano ad duos tantum casus impedimentum istud restringere, si nempe vel adulterio fides futuri matrimonii accessisset, vel insidiæ in vitam conjugis junctæ essent. Gratian: *ad Can* 3. *Causs. & quæst. cit.* Hunc sequutus est Alexander III. in *cap. 1 de eo, qui duxit* ac tandem Inocentius III. *cap. 6. ibid.* definiens: legitimum esse adulteri cum adultera matrimonium post mortem legitimæ uxoris: *nisi alter eorum in mortem defunctæ uxoris fuerit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo.* Idem fere jure nostro provinciali cit. Cod. *cit. loc.* §. 25. *seqq* statutum legimus.

s) *Cap. 7. de eo, qui duxit.* Conf. Rigger cit. loc. §. 164

t) *Cap. 6 ibid.* Nec juvat ad infidelis conversionem patratum esse conjugicidium: *cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit. Cap. 1. de convers infid.*

5) Cognatio naturalis, seu consanguinitas. u)

a) in *quocunque* gradu *lineæ rectæ*, v)

b) in linea vero *collaterali* usque ad *quartum* gradum *inclusive*; x)

c) gradus vero in jure *canonico* ita computantur, ut in linea *recta*, quæ genitos & genitores complectitur, *tot sint gradus, quot personæ demto stipite*, y) in linea vero *collaterali æquali tot gradibus duo distent inter se, quot ambo distant a communi stipite:* z) in *inæquali — quot gradibus distat remotior:* a)

d) in exprimendo vero gradu *inæquali*, seu *mixto* a gradu *masculi* semper incipiendum, sine propinquior is, sive remotior fuerit.

u) *Cognationem* distinguunt triplicem: *naturalem*, *legalem*, *spiritualem*. Prior, de qua sola hic agitur, est connexio personarum ab eodem stipite descendentium carnali conjunctione contracta. In materia matrimoniali parum interest, sive ea ex justis nuptiis, sive ex illegitimo coitu, sive ex contubernio servili orta sit. *L. 8. 14. §. 2. L. 54. de R. N.* Ex gradibus & lineis dijudicatur; de quibus vid. Rigger cit. loc. *§. 115. Schol.*

v) Sive *ascendentis* sive *descendentis*; utrinque enim eadem ratio obtinet, nempe: quod inter personas in hac linea æqualitas illa naturalis haud detur, quam implendorum officiorum conjugalium ratio in conjugibus postulat. Adde, quod plures adfirmant, per ejusmodi conjugia generationi prolium non satis consuli. Naturalem hanc regulam jus civile romanum *§. 1. inst. de nupt. L. 53. eod.* provinciale nostrum *cit. loc. §. 3.* probavit, & Ecclesia nunquam non sancte custodivit. Vid. Nicolai I. *respons. ad consult. Bulgar. cap. 39.*

x) Impedimentum cognationis in linea *collaterali* non posse ex jure *naturali* derivari, ostendunt passim ex eo: quod nec æqualitati conjugum, nec generationi prolis hæcce cognatio adversetur, ut ex ipsa historia primæ generis humani per Adami posteros factæ propagationis abunde clarum est. *Divinæ positivæ* legi Levit. *XVIII. 6. 7. 10. II. & XX 17 12. 13.* Deuter. *XXVII. 22.* originem suam debet; e qua ad Ecclesiam christianam *in propagationem charitatis*, ut loquitur S. Augustinus *lib. XV. cap. 16. de civit. Dei* apud Gratian. *can. 1. Causs. XXXV. quæst. I.* transiit, frequentibus postea Principum legi-

legibus confirmatum. §. 2. 4. 5. *Inst. de nupt* Cod. cit. Pruss. *cit. loc.* §. 4. Non ad eundem tamen omni ætate gradum extendebatur. (Vid. Rigger cit. loc. §. *126. seq.*) ideo: quod vel non eadem semper fuerit stipitis notio (idem §. *119.*) vel non eadem graduum ecclesiasticorum ad civiles computatio (idem §. 127. *120. 121. 130.*) vel demum non eadem legis mosaicæ Levit. *XVIII. 6.* interpretatio. Innocentius III. tandem, cum cognovisset: quod *in ulterioribus gradibus* (nempe a Seculo XI extendebatur impedimentum cognationis usque ad gradum *decimum quartum. cap 1. de consang.*) *iam non possit absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio tolerari*, constituit in Concilio *Lateran. ut prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis gradum de cætero non excedat. Cap. 8. de consang* Atque hoc jure juxta computationem *canonicam* in linea *æquali* hodie utimur. De *inæquali* statuit Gregorius IX. *posse virum, qui a stipite quarto gradu, & mulierem, quæ ex alio latere distat quinto, licite matrimonialiter copulari, cap. fin. eod.*

y) Seu, ut alii loquuntur: *tot sint gradus, quod generationes.* Vi hujus regulæ Pater & filia *uno*, avus & neptis *duobus*, proavia & pronepos *tribus* gradibus distant. Eadem vero etiam est computatio in jure *civili*.

z) Jus *civile* in linea *collaterali* computat gradus secundum regulam lineæ rectæ. Hinc frater a sorore distat jure *civili secundo*, jure *canonico primo* gradu: consobrini jure *civili quarto*, jure *canonico secundo* gradu.

a) Hic denuo, ut supra in linea recta & collaterali æquali eadem obtinet juris *civilis* regula: *quot sunt personæ stipite demto, tot sunt gradus.* Vid.

declarat. arbor. consanguinis. Causs. XXXV. quæst. V.

6) Cognatio spiritualis ex *baptismi* & *confirmationis* collatione & susceptione *b*)

a) inter *susceptores* in utroque Sacramento, & *susceptum*, susceptique *parentes:*
b) inter *ministrum*, & *suscipientem*, hujusque *patrem*, & *matrem*. *c*)

b) De origine, ac successiva hujus impedimenti extensione vid. Rigger cit. loc. §. *134. seqq.*

c) Concil. *Trident. Sess XXIV. cap. 2 de reform. matrim.* add. Pii V. Constit. *Cum illius.* de an. 1566.

7) Cognatio legalis ex adoptione perfecta, cum quis *extraneus* in filium cum omnibus plane juribus recipitur, *d*)

a) inter *adoptantem*, *adoptatum*, hujusque *descendentes:*

b) inter *uxorem* adoptantis, & *adoptatum*, & *vicissim:*

c) inter *adoptatum*, & *liberos* adoptantis, quamdiu in eadem patria potestate constituti sunt. *e*)

d) *Can. 1. 5 6 Causs. XXX. quæst. III.* Benedictus XIV *de Synod diœces. lib. IX cap.* 10.

e) *L. 17. L. 55. de R. N. §. 1. & 2. inst. de nupt. L. 17. eod.*

8) Ad-

8) Adfinitas seu propinquitas personarum ex commercio carnis *f)*

a) si ex copula *illicita* oriatur, usque ad *secundum*, *g)*

b) si ex *licita* usque ad *quartum* gradum *inclusive*, *h)*

c) inter *virum* & *consanguineos* fœminæ ab eo cognitæ, vel *vicissim*; *i)*

d) in quo autem gradu quis *consanguineus* est *viro* seu copulam habenti, in eo & *adfinis cognitæ* censetur & vice versa. *k)*

f) Duplicem adfinitatem distinguit Rigger *cit. loc.* 138 *seqq.* 1) *antecedentem legitimam & illegitimam*; 2) *consequentem* sponsalia aut matrimonium. De priore hic potissimum sermo est.

g) Concilium *Trident. Sess. XXIV. cap. 4. de reform. matrim.* Pius V. in constit. *Ad Romanum* de an. 1568.

h) *Cap. 8. de consangu: cap. 1. ibid.*

i) Itaque uxor mortuo suo marito non potest nubere ulli ex iis, qui ad dictum usque gradum fuerunt consanguinei suo defuncto marito. Vicissim maritus nullam ducere potest fœminam in uno ex his gradibus priori uxori suæ consanguineam. Econtra fieri potest 1) ut *duo fratres* ducant ex alia familia *duas sorores*; 2) ut *duo comprivigni*, tametsi communem fratrem sororemve habeant, matrimonio jungantur, 3) ut *viduus*, qui mariti defuncti sororem in matrimonio habuerat, viduam relictam hujus mariti sibi jungat.

k) Modum adfinitatis gradus computandi uberius explicatum apud plerosque Juris interpretes le-

gimus. Vid. interea *Declaratio arb. adfinitatis Caussa XXXV. quæst. V.* adjecta. De adfinitate vero *consequente* sponsalia aut matrimonium consulatur Rigger *cit. loc. 147. seq*

9) publica honestas, quæ oritur

a) vel ex *sponsalibus validis & puris* cum alia persona jam contractis — & usque ad gradum *primum* — *l*)

b) vel ex *matrimonio rato*, sed nondum *consummato*, licet *invalide* contracto, modo non fuerit invalidum defectu consensus — & usque ad gradum *quartum inclusive* matrimonium inter *sponsum* & *consanguineos sponsæ* & *vicissim* invalidum reddit. *m*)

l) Concil. *Trident. Sess. XXIV. cap. 3 de reform.*

m) Pius V. in constit. *Ad Romanum*. an. 1568. Quo ex jure impedimentum istud originem suam trahat; aut quousque olim patuerit, vid. apud Rigger *cit. loc.* §. 150, 151.

VI. Denique ob defectum solennitatis valori conjugii per legem *Tridentini* *n*) obstat clandestinitas

a) ut adeo ad valorem contractus matrimonii præsentia Parochi *proprii*, aut ejus *delegati*, & *duorum testium* requiratur; *p*)

b) sufficit vero sponsi vel sponsæ Parochus *domicilii*, vel *quasi-domicilii*; *q*)

c) etsi vero lex ista in iis tantum locis, ubi Tridentinum promulgatum est, vim obligandi habeat, *invalide* tamen contrahent, qui

qui *in fraudem legis* in ea se loca ad nuptias clandestine celebrandas conferent, ubi Concilium hocce receptum non est. *r)*

n) Sess. XXIV. cap. 1 *de reform.*

o) Matrimonia remotis omnibus arbitris privata singulorum voluntate contracta sancta Dei Ecclesia ex caussis justissimis semper detestata est, iteratisque decretis etiam sub gravissimis pœnis prohibuit *can.* 1. *seq. Causs XXX. quæst. V. cap.* 3. *h. t.* Attamen si a contrahentibus postea publicata fuerint, comprobata sunt, tanquam a principio in Ecclesiæ conspectu contracta. *Cap.* 2. *h. t arg. cap* 15. 30. *de spons.* Postquam autem prohibitiones istæ propter hominum inobedientiam jam non prodesse videbantur, Synodus *Tridentina* efficacius aliquod medium adhibendum esse censuit, statuitque: ut clandestinitatis impedimentum hactenus impediens, esset imposterum dirimens. *cit. Sess. cit loc.*

p) De variis postulatis circa præsentiam Parochi in matrimonii celebratione vid. Benedictus XIV. *de synod. diœces. lib.* 13. *cap.* 23. De eo, qui *proprius* Parochus dici debeat, plura adnotat Joan. de Friedenberg *cit loc.* §. 15. Conf. vero cit. cod. Pruss. *P. II. Tit. XI. Sect VI.*

q) Id est: ad *valorem* matrimonii. Ex praxi enim diœcesana, & lege etiam regia *cit. loc.* §. 435. copulatio a Parocho *sponsæ*, paucis ibid. exceptis casibus, fieri debet.

r) Benedictus XIV. constit. *Cum venerabilis.* de an. 1758. Add. cit. cod. Pruss. *tit I.* §. 170. quo matrimonia in fraudem legis provincialis in aliena provincia inita nulla, & mulctæ pecuniariæ Fisco pendendæ abnoxia declarantur.

§. V.

SPONSALIA, ALIAQUE MATRIMONIO PRAEVIA.

I. Sponſalia a *Spondendo* ſic dicta, & uſu antiquiſſimo apud plerasque gentes Matrimonio præmitti ſolita, *s*) ſunt in ſenſu *proprio* *t*) mutua futurarum nuptiarum promiſſio, *u*) ac

1) iniri posſunt

a) ab omnibus, qui *uſu rationis* præditi & *ſeptennio* majores ſunt, *v*)
b) modo nullo alias impedimento *dirimente* vel *impediente* ligentur, ita quidem, *x*)
c) ut contracta *ante adeptam pubertatem* ne mutuo quidem conſenſu diſſolvi poſſint, *y*)
d) *ea* vero *obtenta* ab iisdem etiam *juratis* reſiliendi libera facultas conceſſa ſit. *z*)

s) Jam apud Germanos veteres id moris erat, ut ſponſalia matrimoniis præmitterent. Vid. Ayrer, *de jur. connub. apud. vet. germ. Sect. I. §. 8.*

t) Improprie *matrimonium* ipſum nondum *conſummatum Sponſalium* nomine venit; at tum additur expreſſe particula *de præſenti*.

u) Ita ea quoque definivit Nicolaus I. in *can. 3. Cauſſ. XXX. quæſt. V.* Quare ſi una pars quidem acceptet, nec tamen repromittat, ſimplex ejusmodi & unilateralis promiſſio ſponſaliorum nomen atque efficaciam non habebit. Sanchez *de matrim. lib. I. disp. V.*

v) *Furiosis, mente captis*, aliisque rationis usu destitutis expresse negatur facultas spondendi *cap. 24. de spons* ergo eo ipso rationis usu præditis tacite conceditur. *Infantes*, id est, *septennio minores*, rationis usu præditi esse non præsumuntur, *L. 14 h. t. cap. 4 de despons. impub.* ergo nec desponsationes facere possunt. *cap. 5. ibid.* poterunt econtra, si *septennio majores* fuerint. At quid, si rationis usus septennium præveniat? Nec hoc casu sponsalia a minore septennio inita valere existimat Rigger cit. loc. *§. 5. Schol.*

x) Ubi enim alterutrum adfuerit, deerit libertas vel physica vel moralis ad promittendum matrimonium stante impedimento ejusmodi aliunde vel physice vel moraliter impossibile. Conf. *L 10. de his, qui not. inf L. 16. h. t.* item cit. cod. Pruss. *P. II. tit. I. Sect. II. §. 76. 77.*

y) *Cap. 8. de despons. impub.*

z) *Cap. 7. & 8. de despons. impub.* Nec obstat. *cap. 1. eod.* ubi hæc sponsalia adimplenda esse præcipitur; etenim id eo solum casu intelligendum, si sponsæ in domum sponsi traductæ puber factus cohabitare pergat, aut alio modo sponsalia prius claudicantia confirmet.

2) Consensus ad illa requiritur

a) *certus* inter personas certas, & determinatas; *a)*
b) *verus*, ubi tamen notandum, consensum *in foro externo* verum præsumi, donec fictio comprobetur: *b)*
c) *liber*, seu a *metu gravi & injusto*, a *dolo* vel *errore* immunis: *c)*
d) *sufficientibus indiciis manifestatus: d)*
e) vere *reciprocus. e)*

a) Cu-

a) Cujusvis enim pacti objectum *determinatum* esse debet. Vid. *Jus nat. de pact.*

b) Ne facile sit spondenti prætextu ficti consensus fidem sponsalitiam violare; & quia *nemo existimatur dixisse, quod non mente agitaverit.* L. 7. §. 2. *de supell. leg.*

c) Quod *metum* adtinet, adeo, si *gravis* & *injustus* fuerit, obstare sponsalibus perhibetur, ut ea in favorem metum passi ipso jure nulla & invalida sint, tametsi aut a tertio incussus fuerit, aut juramentum eis accesserit. *Cap. 11. de despons. impub.* Varias hujus dispositionis caussas adsignat Rigger cit. loc. §. 11. Ut *error* aut *dolus* sponsalia irritet, necesse est secundum canones, ut *ille* circa personam ipsam versatus fuerit *can. 4. XXIX. quæst. II. hic* vero caussam contractui dederit. Ex jure nostro provinciali *error*, etiam solummodo circa *bona*, tribuit jus recedendi, dum talis est, ut, qui spondent, non haberent in conjugio necessaria ad vitam. *Dolo* circa eadem deceptus nec hac quidem clausula a resiliendo impeditur. Cod. cit. *loc. cit.* §. 105. 106.

d) Nisi enim consensus manifestetur, recte dubitatur, an certus, verus, liber sit. Disputant vero de *formulis* consensum sufficienter manifestantibus Vid. Rigger cit. loc. §. 9. & *Schol.*

e) Vid. *præced. not. u)*

3) Modus sponsalia contrahendi varius; nam

a) modo ab *ipsis sponsis*,
b) modo per *procuratores*, *f)*
c) aut per *parentes* pro liberis præsentibus nec contradicentibus, *g)*

d) item

d) item vel *pure*, vel cum adjecta *conditione*, *honesta* tamen & *possibili*, *valide* ineuntur;
e) ut nec *solennitate* quapiam de *jure communi* opus sit. *h*)

f) *Cap. fin. de procurat. in 6. Cap. un. Clement. de renunt.* At tunc procurator 1) speciale mandatum, nec 2) ante inita sponsalia revocatum habere, nec demum 3) negotium alteri gerendum committere debet, nisi ejus quoque rei facta ei potestas sit. Per *litteras* inita sponsalia valere, modo is, qui eas dedit, voluntatem suam ante alterius partis acceptationem non retractaverit, docet Grotius *de J. B. & P. lib. II. cap. XI. §. 15. 16.* Quid vero, si principalis, cum sponsalia aut matrimonium per procuratorem contrahuntur, in amentiam incidat? Et sponsalia & matrimonium nulla esse adfirmat Rigger cit. loc. *§. 8. Schol.*

g) Imo etiam pro absentibus vel septennio minoribus, dummodo postea eorum ratihabitio vel expressa vel tacita accedat. *Can. un Causs. XXX. quæst. 11. cap. 1. de dispons. impub. Alias ex sponsalibus contractis a parentibus pro filiis nec ipsi filii obligantur, nec publicæ honestatis justitia inde surgit. Cap. un. §. 2. de despons. impub. in 6.*

h) Habent id sponsalia cum aliis contractibus commune. Sunt vero *conditiones* duplicis generis: quædam ex ipsa *natura rei*, vel ex *dispositione juris* subintelliguntur, atque adeo in omnibus sponsalibus adsunt, veluti: *rebus sic stantibus: si uterque sponsorum ad matrimonium aptus: nisi religionem ingressus fuero*, &c: *cap. 25. de jure. cap. 7. de convers. conjug.* Aliæ vero voluntate contrahentium expresse adjiciuntur, ipsaque sponsalia proprie conditionata reddunt. Harum exempla vid *cap. 3 5. 6 de condit. appos.* Conditio *inhonesta* adjecta libertatem moralem consen-

ſentiendi contrahentibus non relinquit; ergo ipſo jure naturæ contractum nullum reddit Si plane *inpoſſibilis* fuerit, ſeriam voluntatem promittendi, & acceptandi aperte excludit Honeſta igitur & poſſibilis ſit oportet. Quis vero tunc ejus effectus? Vid. Rigger cit. loc. ƒ. 13. Cod. cit. Pruſſ. *P. II. tit. 1 Sect. II.* ubi & formam jure civili noſtro in contrahendis ſponſalibus ſervandam, ut jus perfectum poſtulandi in *foro externo* promiſſum matrimonium adquiratur, adcuratius definitam leges.

4) Firmantur Sponſalia

a) *traditione arrhæ*, ſeu re in ſignum contractorum Sponſalium, & pignus futuri matrimonii data.

b) quam dein *injuſte* reſiliens vel amittit, vel *in duplo* reſtituere debet. *i*)

i) Adjici quoque poſſe ad firmanda Sponſalia *pœnam* contra Gonzalez *in comment. ad cap.* 29. *de ſpons.* docet Rigger cit. loc. ƒ. 16. cui conſonat Cod. cit. Pruſſ. *cit. loc.*

5) Effectus Sponſalium ſunt

a) *gravis obligatio* ad matrimonium cum hac perſona *commodo*, vel *condicto* tempore contrahendum: *k*)

b) impedimentum *publicæ honeſtatis.* *l*)

k) *Can.* 27. 51. *Cauſſ. XXVII quæſt. II. cap.* 2 10. 17. *de ſpons.* Qui igitur huic obligationi ſatis facere renuit, aut tardat, ad eam implendam a Superioribus cogi iuſtis mediis poteſt: attamen conſtanter reluctantes mediis nimis ſeveris, aut violentis adigendi non ſunt, ſi funeſti exitus & mala

la, ut solent ex matrimoniis vi extortis subnasci, prævideantur: sed enim reus ad congruam parti læsæ satisfactionem præstandam, & impensas solvendas cogendus erit, nisi justæ resiliendi caussæ adfuerint; de quibus infra.

l) *Conf.* §. *præced. n. V. 9.* Sponsalia *conditionata præced. n. 3. not. h)* pendente conditione impedimentum hoc non inducunt.

6) Dissolvuntur Sponsalia

a) *mutuo*, quo coaluerunt, *consensu*: m)
b) per *professionem religiosam*, aut *susceptionem sacrorum ordinum*: n)
c) alio matrimonii *impedimento superveniente*: o)
d) *conditione deficiente*, nec *remissa*: p)
e) per *matrimonium* cum *altera* persona contractum; q) hoc tamen per mortem istius soluto sponsalium priorum valor verisimilius reviviscit. r)

m) *L. 35. de R. J. cap. 2. de spons.*

n) *Cap. 1. de cler. conjug. Cap. 7. de conv. conjug.* Concil. *Trident. Sess. XXIV. can. 4.* Idem de ingressu in *novitiatum*, susceptione *minorum ordinum* dicendum esse plerique recte contendunt.

o) *Cap. 8. de eo, qui cogn.* junct. Concil. *Trident. Sess. XXIV. de reform. matr. cap. 4* ita tamen, ut ea pars, cui existentia impedimenti potest imputari, dispensationem petere teneatur.

p) *Cap. 5. 6. de condit. appos.* Hac vero remissa statim pura oriuntur sponsalia, & desponsatio irrefragabiliter teneatur. *can. 7. Causs. XXVII. quæst. II. Cap. 1. de condit. apposit.*

q)

q) *Cap. 31. de spons.*

r) Dicitur quidem *cap. 22. de spons.* priorem fidem *irritam* factam esse: id vero eousque valere puto: quod scilicet matrimonium cum altera initum ab ea impugnari nequeat, cum qua Sponsalia prius contracta fuere; non vero, quod soluto per mortem matrimonio fidem sibi prius datam postulare non audeat. Nam certum est lædentem ad præstandam, quamprimum poterit, satisfactionem læso obligari: qui, non obstantibus Sponsalibus, matrimonium cum altera contrahit, priorem lædit. At satisfactionem durante matrimonio non præstitit, quia præstare eam haud potuit; ergo soluto matrimonio eam præstare debebit, ipsaque persona læsa jus habet eam postulandi. Cum vero aptissima satisfaciendi personæ læsæ ratio ipsa promissi impletio sit: patet, illam jus postulandi matrimonium, priore soluto, habere. Conf. Schenkl. *§ 645. Schol.*

7) Causæ resiliendi a Sponsalibus sunt

a) *notabilis mutatio*, v. g. superveniens *deformitas*, *paupertas* etc. s)

b) aut eæ *circumstantiæ*, quæ si prius cognitæ fuissent, prudenti judicis arbitrio a contractu retraxissent, v. g. *fornicatio* saltem sponsæ, *antecedens* etiam sed *ignorata*, *dolus* &c. t)

c) *discessus* unius, & *longior absentia*, altera parte *inscia*, vel *rationabiliter invita*. u)

s) Contrahuntur enim Sponsalia sub conditione tacita: *rebus sic stantibus* (*n. praeced 3 not. h*) qua deficiente liberum est contrahentibus resilire. (*præced. n. 6. lit. d*)

t) Cap.

t) *Cap.* 25 *de jurejur.* Cod. cit. Pruss. cit. loc. *rubr*, Gründe des Rücktritts. Quod de fornicatione *corporali* dicitur, ad *spiritualem* æque extenditur, quam committi dicunt quando pars altera in hæresim inciderit. Arg. *cap. fin. de convers. conjug.* & *cap.* 2. *de divort.*

u) *Cap.* 5 *de spons.* Quod vero temporis spatium requiratur, ut *longior absentia* dici possit, jure canonico determinatum non est. Jure *civili* sponsa exspectare jubetur per *biennium. L.* 2. *Cod. de spons. L.* 2. *Cod. de repud.* Cod. cit. Pruss cit. loc. *rubr.* Bedingte Ehegelöbnisse. Conf. Schenkl § 646. *Schol.*

II. Ad detegenda porro impedimenta fors occulta, & invalida matrimonia præpedienda præmittenda sunt Banna nuptialia, seu denuntiationes, *v*) & quidem

a) in *utriusque* contrahentis *parochiis* vel locis *domicilii*, aut *quasi-domicilii*, *x*)
b) *tribus* diebus *festivis*, vel talibus, ubi major populi confluxus habetur; *y*)
c) quæ si temere *negligantur*, contrahentes *puniuntur*, & detecto fors impedimento *dispensationis spe* frustrantur, prolesque interim nata *illegitima* censetur; Parochus vero tali matrimonio scienter *adsistens* ad *triennium suspendi* jubetur; *z*)
d) interim ex *caussa justa*, *absente* impedimenti cujusdam suspicione ab Episcopo etiam *remitti* possunt. *a*)

v) *Denuntiationum origo* generica non inepte a Tertulliani temporibus derivari posse videtur, quibus

quibus jam moris erat, matrimonia apud Ecclesiam profiteri. Tertullian. *de pudicit. cap.* 4. At hodierna denuntiationum forma consvetudine primum introducta in quibusdam ecclesiis, demum sub Innocentio III in Concil. *Lateran.* ad omnes ecclesias fuit extensa. *Cap.* 3. *de clandest. despons.* Sanctionem hanc renovavit Concilium *Trident. Sess. XXIV. cap.* 1. *de reform. matrim.* Novissime vero constitutum est, denuntiationes istas denegari oportere, si Parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit, marem seu fœminam, quæ ad salutem necessaria sunt, ignorare. Benedictus XIV. in epist. encyclic. *Etsi* §. 11. de an. 1742.

x) Et, si quis plura habeat domicilia in diversis parochiis, in ea, in qua verisimilius est sciri posse impedimenta. Vid. cit Cod. Pruss. cit. *P. tit. Sect. III. rubr.* Aufgebot.

y) Ratio ex scopo denuntiationum repetenda.

z) *Cap.* 3 *de clandest. despons.* Jure provinciali nostro etiam graviore pœna plecti jubetur. cit. Cod. *cit. loc.*

a) *Unam* duntaxat caussam dispensationis expressit Synodus *Tridentina cit. loc.* Sed dubitari non potest, quin & aliæ plures esse possint, quæ dispensationem variis modis faciendam requirant. Wiestner ad *tit. de clandest despons. art.* I. n. 12. *seq.*

III. Tandem ad contractum matrimonialem necessarius sæpe per locorum leges est

a) *consensus* parentum, tutorum, aut magistratus; *b*)

b) ac etsi quidem *jure canonico* parentum, tutorumve consensus ad *valorem* matrimonii

nii haud pertineat, *absque peccato* tamen negligi nequit. *c*)

c) ad *vagorum* vero conjunctionem consensus Episcopi requiritur. *d*)

b) Qua ratione in Silesia consensus 1) parentum, tutorum respectu minorennium, aut in potestate patria positorum &c item 2) consensus Principis, magistratus intuitu nobilium cum ignobilibus inferioris conditionis, ac intuitu militum requiratur, vid. Cod. cit. Pruss. cit. loc. *Sect. I. rubr.* Eheverbot wegen Ungleichheit des Standes & *seqq.*

c) *Concil. Trident. Sess. XXIV. cap. 1. de reform matrim.*

d) *Trident. Sess. XXIV. cap. 7. de reform. matrim.*

§. VI.

CONTRACTUS MATRIMONIALIS ADJUNCTA, EFFECTUS, JUDEX, SOLUTIO; NUPTIAE SECUNDAE.

I. Factis rite denuntiationibus, ac omni absente impedimento, quædam adhuc contractus matrimonialis adjuncta notanda sunt: nempe

a) ut *licite* matrimonium contrahatur *hierologia*, seu *benedictio* Parochi, aut ejus delegati accedat, a nuda ejus præsentia, sine qua & *contractus invalidus* foret, probe discernenda: *e*)

b) quam ut & illi, qui prius per *procuratores* contraxerunt, *renovato* deinceps *consensu* accipiant, svadendum omnino est. *f*)

b) omnibus vero rite peractis *describenda* a Parocho in *libro* ad id destinato conjugum ac testium nomina, dies, ac locus, liberque ipse diligenter custodiendus erit. *g*)

e) Quamvis benedictionis sacerdotalis formulæ, hodie in ritualibus extantes, atque in variis ecclesiis diversæ recentioris ævi sint; ipsa tamen sacerdotalis benedictio antiqua est, & apud Christianos jam pridem usitata. Concil. *carthagin. IV. can.* 13. apud Gratian. *can. 5. Causs. XXX. quæst. V.* Sane ad eam accipiendam Imperator Leo in *Novell. 89.* publica lege fideles obstrinxit. Idem in capitularibus Regum Francorum sæpissime inculcatur, *ne sine benedictione Sacerdotis nubere audeant.* apud Baluz. *Tom. II.* De ejus necessitate minime illi dubitant: qui Parochum Sacramenti matrimonii ministrum, & verba ab eo prolata: *ego vos in matrimonium conjungo &c.* formam ejusdem esse volunt. Vid. supr. *§. III. n. I. not. p*) Est vero duplex: *solennis* una, *non solennis* altera. Illa intra missam votivam, quæ habetur in missali romano, pro sponso & sponsa dicitur: hæc vero extra eam. De utraque valet Concilii *Trident.* decretum *Sess XXIV. cap. 1. de reform. matrim Ut* nimirum *conjuges ante benedictionem sacerdotalem* (sive solennem sive non solennem) *in templo suscipiendam in eadem domo non habitent*: ut a *proprio* Parocho fiat, nec a quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentia ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedatur; *quacunque consvetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante.*

f) Cum

f) Cum sint, qui matrimonio per procuratores inito rationem Sacramenti deesse putent.

g) Concil. *Trident. Sess. XXIV. cap. 1. de reform. matrim.* Cod. cit. Pruss. *P II. tit. XI Sect. VI. rubr.* Kirchenbücher. Aequitatem, & gravem hujus legis implendæ obligationem maxima, quæ ea neglecta in utramque rempublicam redundare possunt, incommoda satis superque demonstrant.

II. Effectus Matrimonii rite contracti alii sunt

1) ex parte ipsorum conjugum, nempe

a) *gratia sacramentalis*, si obex non ponatur: *h*)

b) *vinculum perpetuum*: *i*)

c) *jus mutuum* in corpora ad actus procreandæ proli aptos: *k*)

d) obligatio ad *fidem uni* conjugi servandam: *l*)

e) obligatio ad *individuam* vitæ consvetudinem, *mutuum adjutorium*, ceteraque *officia*, quæ a *fine*, & *essentia* matrimonii determinantur: *m*)

f) *potestas maritalis*: *n*)

g) *communicatio status, ac dignitatis* viri, quam uxor participat: *o*)

h) jus uxoris *alimenta* a marito, aut ejus hæredibus petendi. &c. *p*)

h) Ex def. matrim. §. *praeced. III. n. I. lit. b*) *not. p*)

i) Non quidem *naturæ* lege (Deut. *XXIV. 1. seq.* Math. *XIX. 8.* Marc. *X. 5.*) attamen divina *positiva* Genes. *II. 24.* Math. *V. 32. XIX. 6. 9.* Marc: *X 9 11. 12.* Luc. *XVI. 18. I.* Cor. *VII.* institutum.

 k) Ex

k) Ex fine conjugii naturali.

l) Ephes. *V.* Adde: quod fide conjugali neglecta difficulter ſcopus matrimonii obtineri poſſit.

m) Ex eadem Pauli ad Ephes *cit. cap. v.* 25, *ſeqq.*

n) Vi cujus maritus 1) ſocietatis domeſticæ caput efficitur: 2) rerum uxoris adminiſtrationem accipit: ac 3) uxor quoad plures actiones ad mariti voluntatem adſtringitur. Conf. Cod. Pruſſ. *P. II. tit. I. Sect. IV*

o) Niſi hæc perſonaliſſima ſint, vel peculiares locorum conſvetudines, aut pacta nuptialia obſtent, ut in matrimoniis diſparagiis.

p) Conf. *cit. Cod.* cit. locus.

2) ex parte liberorum

a) *natales legitimi*, matrimonio etiam *diu poſt* natam prolem inter parentes contracto, dummodo tempore conceptionis vel nativitatis ejusdem matrimonium legitimum inter ipſos eſſe potuiſſet: *q*)

b) jus *alimenta*, ac honeſtæ & chriſtianæ *educationis ſubſidia* a parentibus exigendi: *r*)

c) *poteſtas patria* ex parte *viri* in liberos. *s*)

q) Proles *durante matrimonio* juſto tempore progenitas legitimas eſſe, tanta eſt in omni jure præſumtio, ut ea, etiamſi pater materve prolem ſuam eſſe negaverit, idque vel ad acta vel jurejurando confirmaverit, imo etiamſi mater adultera fuerit, aut fama viciniæ concubinam nuntiaverit, non convellatur, niſi ex abſentia vel impotentia mariti eum patrem eſſe non poſſe demonſtretur. Conf. cit. cod. cit, loc. *tit. II. Sect. I.*

l. Idem de prolibus *justo* tempore *post* dissolutum *matrimonium* genitis jura statuunt. Vid. ibid. rubr. Rechtmäßigkeit der Kinder, welche 2) &c. Num vero matrimonium *putative* tantum *validum* eundem effectum pariat: vid. apud Rigger. cit. loc. *P. IV. §. 194.* Legitimationis per subsequens matrimonium historiam scripsit Idem *§. 196 seq. ibid.*

r) Hac de re plura vid. cit. Cod. *cit. P. tit. II. Sect. II.*

s) Quousque potestas hæc patria jure nostro provinciali pateat, eodem cit. Cod. loco accuratius definitur.

III. Quoniam Matrimonium quoad rationes & effectus *civiles* potestati *politicæ*, quoad *ecclesiasticos* vero *ecclesiasticæ* subjectum est *t*) hinc etiam caussarum matrimonialium judicium

a) tum quoad *effectus spirituales*, tum etiam, relicta nunc Ecclesiæ a Principibus impedimenta *dirimentia privative* statuendi, aut relaxandi facultate, in casu quocunque quoad *valorem* ad Judices ecclesiasticos,

b) et quidem juxta *Tridentinum* ad Episcopum *regulariter* pertinebit, a quo *summarie* procedendum erit. *u*)

c) quoad effectus *civiles* vero, aut quæstiones etiam *nudi facti* a judicibus quoque *laicis* institui poterit.

t) *§. præced. III. n. IV. V.*

u) *Tridentin. Seſſ. XXIV. can. 12. & cap. 20, de reform.*

IV. Ad *diſſolvenda* Matrimonia illegitime *contracta* actio permittitur, quæ accuſatio adpellatur, ad *impediendum* vero conjugium *futurum* denuntiatio inſtituitur: & quidem

1) ad denuntiationem impedimentorum,

a) ut peccati pericula evitentur, admittuntur *omnes*,

b) ſufficitque *minus plena* probatio.

2) ad *accuſationem* vero

a) ſi agatur de impedimentis *privatis* & *reſpectivis*, quæ per renuntiationem *partis læſæ*, & novum conſenſum ſanari queunt e. g. quæ ex *errore*, *metu*, *dolo*, aut etiam *impotentia*, qua etiam ſtante conjuges ut frater, & ſoror cohabitare permittuntur, proveniunt, *ſoli conjuges* admittuntur: v)

b) ſi vero impedimenta alia v. g. *conſanguinitatis*, *adfinitatis &c.* adpareant, ea matrimonia *quilibet* impugnare poterit; ſed merito tamen accuſatores *quæſtuoſi*, aut illi, qui impedimentum jam *ante nuptias* ſciverunt, & denuntiare neglexerunt, rejiciuntur. x)

v) Et inter conjuges non niſi pars læſa. Rigger cit. loc. §. *209*.

x) *Can. 1. 2 3. Cauſſ. XXXV. quæſt. VI. cap. 3. 6. & fin. qui matrim. accus.* Quales teſtes in tali

cauſſa

caussa admittendi sint, vid. apud Rigger cit. loc §. 211. Ceterum in defectu *plenæ* probationis potius pro valore matrimonii pronuntiandum est, ne, *quod Deus conjunxit, homo separet*; ac universim observanda sunt ea, quæ Benedictus XIV. in constitut. *Dei miseratione* de an. 1741 præscripsit.

V. Dissolutio Matrimonii vivente utroque conjuge facta Divortium dicitur: et

1) quoad vinculum ob contrariam legem *divinam positivam* locum non habet, y)

a) nequidem ob alterutrius conjugis *adulterium*, prout Theologi demonstrant. z)

b) Attamen matrimonium in *infidelitate* contractum, & *consummatum*, facta alterius conjugis ad fidem christianam conversione per *novas hujus nuptias*, siquidem pars infidelis fideli aut *omnino non, aut non sine creatoris injuria* cohabitare velit, etiam quoad vinculum dissolvi, *communis* hactenus Doctorum erat sententia, publica *lege canonica*, & diuturna *praxi* firmata. *a*)

c) Matrimonium vero *ratum* nec *consummatum* per *solennem religionis professionem* alterius conjugum valorem suum amittere ex disciplina Ecclesiæ universali in *Tridentino* confirmata certum est. *b*)

y) Vid. *præced. n. II. not. i*)

z) Contrariam hodie adhuc Græci sententiam defendunt. Imo non deerant etiam inter Catholicos a quibus dubitatum est: *num ob adulterium matrimonii vinculum non dissolveretur*: de qua re

 vid.

vid. Gratian. *Cauſſ. XXXII. quæſt. VII.* Sed enim erroneam eſſe hanc eorum opinionem non immerito declaraverunt *Tridentini* Patres *Seſſ. XXXIV. can.* 7. his verbis: *Si quis dixerit: Eccleſiam errare, cum docuit & docet juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi -- anathema ſit.* Add. *cap.* 2. *de divort.*

a) Benedictus XIV. *de Synod. diœces. lib. VI. cap.* 4. *n.* 3. *ſeq. lib. XIII. cap.* 21. qui porro ſingularem in hanc rem conſtitutionem: *Apoſtolici miniſterii* an. 1747. edidit.

b) Concil. *Trident. Seſſ. XXIV. can.* 6. Conf. Rigger *cit. loc.* §. 219. 220.

2) quoad torum et menſam *c*)

a) divortium *perpetuum* ob ſolum fere alterius conjugis *adulterium*, aut *crimen carnis conſummatum*, *d*)

b) *temporaneum* autem ob *ſævitiam mariti*, vel *animæ*, aut *corporis* grave periculum, haud aliter evitandum, *e*)

c) non *privata* auctoritate, ſed *judicis* ſententia decerni poteſt. *f*)

c) *Divortium improprie* ſic dictum, ſeu ſeparationem conjugum quoad torum & menſam ſalvo interim vinculo conjugii poſſe ab Eccleſia admitti, docuit expreſſis verbis Concilium *Trident. cit. loc. can.* 8. anathema dicens iis, qui hoc jus eidem negaverint.

d) *Adulterium* legitimam eſſe divortii *perpetui* cauſſam ex Math. *V* 32. eruitur. Neque ulla hic eſt inter virum & uxorem differentia, cum chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari

ratione condemnet. Sufficere etiam videtur adulterium gravibus & violentis indiciis *præsumtum* cujus exempla tum canonico *cap. 12. de præsumt cap. 27. de testib. can. 4. Causs XXVII. quæst I.* tum civili jure *L. 8. §. 2, 3 Cod. de repud.* occurrunt. Sed enim ea est hujus delicti conditio, ut separationem, donec pars adulterans pœnitentiam egerit, necessariam faciat. *can. 1 6. Causs. XXII. quæst. I* qua peracta tantum abest, ut vetita sit reconciliatio *cap. 3. de adult.* ut potius lex charitatis eam non nunquam exigere videatur. *can. 7. 8 ibid.* Quare eatenus adulterium divortii perpetui caussam esse dicimus, quatenus innocens separationem perpetuam exigere quidem possit, non tamen debeat. Conf. Schenkl *§. 663.*

e) Plures divortii *temporanei* caussas recenset Rigger *cit. loc. §. 225.* Conf. etiam Cod. Pruss. cit. loc. *tit. I. Sect. VIII.*

f) *Can. 1. Causs. XXXIII. quæst II. Cap. 3. 4. de divort.* Sixtus V. constit. *Ad compescendum* de an. 1586.

VI. Soluto per mortem, aut alio modo (*præced. n. V. lit. b.*) matrimonii vinculo ad secundas nuptias transeundi libera cuique facultas est, g) modo

a) *moralis* saltem *certitudo* de conjuge defuncto habeatur, *h*)

b) ac quæ *in favorem liberorum* prioris matrimonii, aliave consideratione cauta sunt impleantur. *i*)

g) Quantum juris romani, & veteris etiam canonici in secundas nuptias fuerit odium, ex Riggero cit. loc. §. 232. *seq.* colligitur. Extinctum est odium

odium iſtud doctrina Eccleſiæ Romanæ, quæ Pauli I. ad Corint. *VII. 8. 39.* I. ad Tim. *V. 14.* verba explicans ulteriores nuptias nunquam prohibuit. (Vid. decret. Eugenii IV. *pro Jacob. in Concil. Florent. Can. 11 13. Cauſ. XXXI. quæſt. I.*) ſed etiam pœnas inter annum luctus nubentium ſuſtulit, (*Cap. 4. 5. de ſecund. nupt.*) paucis ſolummodo antiqui odii veſtigiis retentis, (Rigger cit. loc. *§. 237.*) ac conditionibus quibusdam adjectis, quas indoles conjugii, publicusve ordo dictaverat.

h) Ne ſtante adhuc prioris conjugii vinculo novum matrimonium ineatur *Cap. 2. 19. de ſpons.* Conf. Cod. Pruſſ. *P. II. tit. I. Sect. I rubr.* Von Ehen ſchon verheirathet geweſener Perſonen.

i) Huc ex jure noſtro provinciali referuntur, quæ 1) de portionibus hæreditatis, prolibus ex priore conjugio relictis obvenientis, ante ſecundas nuptias juſte determinandis, aut ſaltem de conſenſu judicii pupillaris exhibendo: 2) de temporis ſpatio, quod inter mortem prioris conjugis et ſecundas nuptias intercedere debet, *cit. loc. Cod.* ſapienter conſtituta ſunt.

§. VII.

SACRAMENTALIA, LITURGIA.

I. Uti Chriſtus ſigna quædam externa inſtituit ad conferendam fidelibus gratiam, ita et Eccleſia *ritus* quospiam *externos* adſumſit, quorum uſu mens noſtra admoneatur, ut ſeſe ad Deum elevet, preces fundat, variosque in actus prorumpat, quibus divinæ gratiæ augmentum, opemque promereatur. Ritus hi,

voce

voce a Sacramentis derivata, Sacramentalia dicuntur.

1) Eorum usus

a) quædam ad Sacramentorum præcipue administrationem augustiorem reddendam — *k*)

b) alia ad alias fidelium utilitates promovendas adhibentur. *l*)

k) Hæc *stricte Sacramentalia* vocantur; ac ritus in Sacramentorum administratione adhiberi solitos, nec ad essentiam eorum pertinentes denotant. De *necessitate* eorum quæpiam *præced.* §. *I. n. III*, 2. dicta sunt; mentio vero plurium §. *II*, ubi de Sacramentis in specie agebatur, facta.

l) Huc referuntur 1) variæ *unctiones* extra quorumdam Sacramentorum administrationem in Ecclesia usitatæ. Vid. Zech *de jur. rer. Sect. II. tit. XVII.* §. *390.* 2) *benedictiones* aquæ, panis, salis, cereorum. Idem §. *391. seqq. cit. loc.* 3) *purificatio* mulierum post partum, cujus origo ex V. T. præcepto Levit. *XII.* repetitur. Idem *ibid.* §. *398.* 4) *alia*, quæ cum hactenus enarratis vulgari illo versiculo exprimi solent:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

2) Effectus: *m*)

a) suapte natura nullam divinitus adnexam habent efficiendæ gratiæ virtutem, sed quamcunque obtinent vim, ex solo operantis merito, Ecclesiæque suffragio consequuntur. *n*)

b) con-

b) contemni tamen — aut, ea præcipue, quæ in solenni Sacramentorum administratione adhibenda præscribuntur, sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiæ Pastorem mutari non possunt. *o*)

c) Imo fidelibus rite ac sollicite explicari debent. *p*)

m) Varios Sacramentalium effectus recenset Idem *cit. loc.* §. *389.* Theologis examinandum relinquens, qua ratione producantur.

n) A Christo enim, qui solus gratiæ auctor est, instituta non sunt.

o) Concilium *Trident. Sess. VII. can.* 13. *de Sacram. in gen.* Sunt enim ritus hi 1) antiquitate sua venerandi, 2) significatione graves, 3) majestate ad exprimendam rerum cultui divino, ac animarum saluti servientium dignitatem, ac æstimationem iisdem conciliandam idonei.

p) *Tridentinum Sess. XXIV. cap.* 7. *de reform. Sess. XXII. cap.* 8. *de sacrific. Missæ.*

II. Liturgia seu *officium divinum* magis *stricte* sumtum certam rationem laudandi Deum mente simul & voce, auctoritate Ecclesiæ institutam denotat. *q*)

1) Dividitur

a) in *diurnum*, & *nocturnum* *r*)

b) *publicum*, & *privatum*. *s*)

q) In sensu *latiore* sumtum significat complexum omnium precum statarum atque rituum in cultu externo peragendo; & inprimis in celebratione Eucha-

Eucharistiæ receptorum, & in libris liturgicis præscriptorum. Hac ratione pleraque Sacramentalia (*præced. n. I.*) ad officium divinum pertinent.

r) Utrumque vero in *septem horas* nempe: *Matutinum* & *Laudes*, quibus nocturnum absolvitur: *Primam*, *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam*, *Vesperas*, *Completorium*, quæ diurnum constituunt. *Divisio* hæc officii divini ex *more antiquissimo*, & a temporibus Apostolorum derivatur. Constat enim ex certissimis sacræ scripturæ testimoniis, populum Israeliticum certis diurnis, nocturnisque horis Deum in hymnis & canticis laudasse: Davidem, ut ipse *Psalm. CXVIII* fatetur, *septies* in die laudem dixisse Deo. Exemplum istud strenue prosequuti sunt Apostoli, qui hora *tertia* orantes *acceperunt Spiritum Sanctum:* Act. *II. 15.* e quibus Petrus hora *sexta* in superiore ædium parte orationi vacabat: ibid. *X. 9.* Petrus & Joannes ad horam orationis *nonam* in templum ascendebant: ibid. *III. 1* Paulus vero & Silas *nocturnas* preces in carcere Deo persolvebant: ibid. *XVI. 25.* Quanto studio primorum seculorum fideles æmulati sint devotionem Apostolorum, pleni sunt Annales ecclesiastici, & vitæ Patrum. Vid. Card. Bona *de divin psalmod. cap 1.* Inde vero factum fuisse puto, quod viri pii primum, dein vero tota Ecclesia divinum officium in dictas partes diviserit.

s) *Illud* est, quod publice a tota aliqua communitate: *hoc* vero, quod, privatim & a singulis recitatur.

2) Obligatio ad officium.

a) *Munus* recitandi officium præcipue ad *clericos* pertinet; *t*)

b) quo-

b) quorum aliqui ad *publicam* — *u*)
c) alii tantum ad *privatam* recitationem obligantur. *v*)
d) aut ſub *peccato*, aut ſub *pœna*. *x*)

t) *Cap. I. § I n. VI. 6 not. v) ibid §. II. n. 4. lit. a*) Sed non ita Clericis proprium eſt, ut non posſint etiam alii ad hoc miniſterium deputari. Conſ. *can.* 20 *Diſt. XXIII.* item Zech *cit. loc.* § 448.

u) Ex præcepto Eccleſiæ *publice* recitari debet officium a perſonis choro deputatis in omnibus eccleſiis *cathedralibus*, & *collegiatis* tam *regularibus*, quam *ſecularibus*, imo etiam, ſi rigorem juris adtendamus, *parochialibus*, ſaltem *dominicis*, & *feſtis* diebus, niſi contraria conſvetudo ab hac obligatione eximat. *Can. fin. Diſt. XCII. cap. 1. 9. de celebr. miſſ. cap. 1 Clement. h. t.* Svarez *lib. IV. de hor. can. cap.* 10 *n.* 2.

v) *Privatim* ad horarum recitationem quotidianam obligantur 1) *Clerici* in *ſacris* conſtituti, licet ſint ſuspenſi, depoſiti &c. 2) *Religioſi* ad chorum profeſſi vi generalis conſvetudinis religionum. 3) *Beneficiati*, licet tenue duntaxat habeant beneficium. *Cap. 1. 9. de celebr. miſſ. cap.* 15. *de reſcript. in 6.*

x) Pro *clericis* & *religioſis*, qui nullum habent beneficium, horas canonicas negligentibus, nulla conſtituta eſt in jure pœna: peccare tamen eos nullum eſt dubium. *Beneficiati* culpabiliter penſum horarum non perſolventes tenentur ad *reſtitutionem* fructuum pro *rata* faciendam fabricæ eccleſiæ, cui deſerviunt, vel pauperibus etiam ante ſententiam declaratoriam judicis. Sub hac lege comprehenduntur etiam *Parochi*, & alii *Curati* ratione fructuum breviario reſpondentium. Bullæ Leonis X. & Pii V. *Ex proximo.*

3) For-

3) Forma & ritus officii.

a) Sanctissimus est mos, ut horæ canonicæ ab iis, qui ad publicam earum recitationem obligantur, cum *cantu* & *psalmodia* in Ecclesia dicantur; y)

b) & quidem servata *forma* & ritu *novi breviarii* romani; z)

c) *lingua* communi pluribus populis. *a*)

y) *Morem* divinas laudes non plena solum voce, sed modulato etiam *cantu* persolvendi commendat 1) *recta ratio*, utpote quæ eum tum orantibus, tum audientibus utilissimum esse docet; 2) *antiquissima praxis*, cujus plura vestigia leguntur apud S. Augustinum *epist.* 55. alias 119. *cap.* 18. apud Baronium *Annal ad an.* 60. *num.* 24. *seq.* 3) *præceptum apostolicum* Ephes. V. 19 4) *Protestantium* ipsorum hac in re cum Catholicis *consensus*, qui, in Germania præcipue, cantum psalmorum & hymnorum vehementer amant, conclusionis Wolffii *J. N p. I. §.* 1247. & *Inst J. N. §.* 176. memores: *ad hymnos componendos & canendos ipsa lege naturali obligamur.* 5) Concilii *Tridentini lex* præcipiens: ut qui in Seminariis aluntur, disciplinam cantus discant. *Sess XXIII. cap.* 18. *de reform.*

z) Cujus *reformationem*, qua ob varietatem summopere indigebat, Paulus IV. inceperat; hoc e vivis sublato Patres *Tridentini* ad se revocarunt; postea ad Pontificis romani auctoritatem remiserunt; tandem vero votis Patrum respondens Pius V. absolvit, & absolutam Clemens VIII & Urbanus VIII. recognovit, ut vel ipsa inscriptio Breviarii, quo utimur, nos docet. Ab hac tamen obligatione servandi Breviarii romani formam excipiuntur, qui ex institutione a Sede apostolica adprobata, vel consvetudine du-

centos annos superante in ritibus suis diversis sustinentur. Vid. *Confirmat. Breviarii Pii V, Rom. VII. Id. Julii 1568.* Conf. Zech *cit. loc.* §. 451.

*) Id est: *non vulgari* singularum provinciarum, sed communi multarum regionum idiomate, quale in Ecclesia latina *latinum* est. Nam illud nec quidem in Sacrificio Missæ passim concedendum esse decrevit Synodus *Tridentina Sess. XXII. de Miss. Sacrif. cap. 8. & can. 9.* ergo nec in officii divini recitatione admittendum erit. Num enim graviora pro idiomate vernaculo in officii divini recitatione adhibendo pugnant argumenta, quam in Missæ Sacrificio? Nec dicas cum Quesnello *prop. 86.* damnata in Bulla: *Unigenitus*: 1) usum hunc praxi Apostolorum, & intentioni Dei esse contrarium. Unde enim nosti Psalmos, & alias orationes versas fuisse ab Apostolis in omnes linguas earum gentium, quibus Evangelium prædicarunt? aut, etiamsi id daremus, eandem disciplinam mutatis temporum, locorumque circumstantiis retineri debuisse? 2) ea ratione eripi simplici populo solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ. Esto id enim! non eripitur eapropter solatium longe dulcius jungendi mentem. *Honeste omnia & secundum ordinem fieri* præcipit Apostolus I. Cor. XIV. 40 Non est autem verisimile conjunctis inconditæ multitudinis vocibus incompositis ordinem promoveri. Utrique, solatio nimirum populi & ordini ac decori officii divini consulendum est: consulitur vero efficacius per officii divini aliarumque Ecclesiæ precum versiones in idioma vulgare, quas populus interea tacite legat, ac meditetur, dum personæ ad easdem decantandas obligatæ muneri suo romanæ Ecclesiæ lingua satisfaciunt.

§. VIII.

§. VIII.

DIES FESTI, JEJUNI, AC VIGILIARUM.

I. Ut olim in veteri, *b*) ita nunc in lege nova dantur certi dies ad id destinati, ut homines relicto omni alio non necessario opere bonorum omnium largitori Deo serviant, nomen illius ea, qua par est pietate concelebrent, ac in religionis christianæ officiis per suos Pastores instruantur. *c*) Dies hi *festi*, *feriati*, *feriæ* vocantur. *d*)

1) Dividuntur

a) in *dies dominicos*, & *festa* strictius sumta; *e*)
b) *hæc* in festa *Domini*, *beatæ Virginis*, *Sanctorum*; *f*)
c) *mobilia*, & *immobilia*; *g*)
d) *chori* & *fori*; *h*)
e) *communia*, *propria*; *i*)
f) *ordinaria*, *extraordinaria*. *k*)

b) Notissimi sunt ex veteri lege ad recolenda varia generi humano universim, ac Judæis inprimis a Deo collata beneficia ordinati dies 1) *Sabbati* Exod: *XX* 8. 10. 2) *Paschatis* ibid. *XII*. 3. *seq*. 3) *Pentecostes* Levit. *XXIII* 15. *seq*. Deuteron. *XVI* 9. 4) *Tubarum* mense septimo die prima Levit *XXIII* 24. 5) *Expiationum* ibid 27. *seq*. 6) *Tabernaculorum* ibid. 34. 7) *Dedicationis* Altaris *I*. Machab. *IV*. 59. 8) *Sortium* Esther *IX*. 21. 22. magna solennitate celebrati, at christianæ Ecclesiæ Præsulibus, utpote lege cerimoniali constituti, non adeo necessarii visi, ut eos, salvo ceterum cultu, ad

quem Deo exhibendum naturæ ipſius voce obligamur, aut penitus abrogare, aut retento nomine ad aliorum chriſtiano populo exhibitorum, beneficiorum memoriam celebrandam in alios anni dies transferre non poſſent.

c) En *feſtorum* dierum *ſcopum!* ex quo ſolo colligitur, quam ſapienter inſtituti ſint, quamque inſulſe ſermocinentur, qui neſcio quantam ſuperſtitionem judaicam in iis latere dicunt. Contra hos præclare egit Bellarminus *lib. III. de cultu Sanctorum cap. 10.* Suarez *tom. I. de rel. tract. II. lib. II. de feſtis. cap. 2.*

d) Singulos igitur hebdomadæ dies in Calendario eccleſiaſtico *feriarum nomine diſtinctos appellari* Eccleſia *voluit, quo ſignificaretur, quotidie Clericos, abjecta ceterarum rerum cura, uni Deo prorſus vacare debere.* Lection. pro feſto S. Silveſtri ult. Decemb.

e) *Dies Dominicus* in Sabbati locum inſtitutus per Apoſtolos ob plurima a Servatore noſtro hoc die myſteria patrata (quæ recenſet Suarez *cit. loc. cap. 4.*) ac Imperatorum etiam edictis firmatus (Vid. Gothofredus ad Cod. Theodos. *de feriis.*) præcipua ſolennitate jam Apoſtolorum ævo celebrabatur. Conſtat id perſpicue 1) ex ipſis Apoſtolorum actis. Vid. Act. Apoſt. *XVI. 13. XX. 7.* Math. *XXVIII. 1.* Marc. *XVI. 1. ſeq.* Luc. *XXIV. 1.* Joan. *XXI. 19. 26.* 2) ex ſcriptoribus Eccleſiæ hac in re mirifice conſentientibus Vid. Juſtin. Martyr *apol. 2. circa fin.* Baronius *Annal. eccles.* an 303 *n. 46. ſeq.* 3) ex Plinii elegantiſſimo de re chriſtiana teſtimonio in *epiſt. 97. lib. X.* ad Trajanum, quod ita ſonat: *ſoliti ſunt* Chriſtiani *die ante lucem convenire, carmenque Chriſto — dicere ſecum invicem: ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia*

nia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum adpelluti abnegarent: quibus peractis mos eis discedendi fuit, rursusque coeundi ad capiendum cibum promiscuum tamen, & innoxium. Ne vero in hoc cultu Christiani turbarentur, data Ecclesiæ pace *etiam ad ipsos gentium Præfectos Imperatoris* (Constantini) *nutu & voluntate edictum perlatum est, ut illi perinde Dominicum diem venerarentur.* Euseb. *de vit. Constant. lib IV. cap.* 23. Quicunque præter diem Dominicum ad conservandam redemtionis aliorumque fidei mysteriorum memoriam, ad B. V: Mariæ, aliorumve Sanctorum Martyrum ac Confessorum virtutes recolendas instituti sunt dies festi, strictiore significatione *festa* dicuntur, de quibus infra.

f) Solennissima *festa* Domini recenset S. Augustinus *epist.* 54 55. alias 118. 119. ad Januarium; qualia sunt, *nativitatis* Domini: *circumcisionis*: *epiphaniæ*: *paschatis*: *pentecostes*: *ascensionis*: & alia. De eorum antiquitate vid. Zech *cit. loc.* §. 478. Inter *dies* honori Divæ Virginis sacratos eminent *annuntiationis* & *purificationis* festa propterea, quod incarnationis divinæ mysterium propius contingant. Cetera, veluti: immaculatæ *conceptionis*: *nativitatis*: *præsentationis*, *visitationis*, & *adsumtionis* recentioris sunt instituti. Vid. Idem *cit. loc.* §. 479. — 482. In *festis Sanctorum* antiquissima procul dubio sunt Divi Stephani *Proto-martyris*: SS. Innocentium: SS. Apostolorum: quibus *anniversarius dies dedicationis* ecclesiarum, aliique non pauci ævo præcipue Constantini Imp. accesserunt. Conf. Idem *cit. loc.* §. 483. *seq.*

g) *Hæc* singulis annis stato die recurrunt: *illa* redeunt quidem, sed dies variat. Præcipuum inter *mobilia festa* est *Pascha*, ex quo reliqua pendent.

 Vid.

Vid: *instruct.* Breviario adposita *de anno & ejus partibus, tit. de festis mobilibus.*

h) *Priora* solummodo a Clero in Ecclesiis divino officio, & solenniore liturgia: *hæc* autem etiam a populo solennius celebrantur.

i) *Communia*, quæ per universam Ecclesiam: *propria*, quæ in certa diœcesi aut loco obtinent.

k) *Illa* quotannis recurrunt: *hæc* caussa quadam urgente extra ordinem celebrantur.

2) Institutio, Abrogatio festorum.

a) *Communia* instituit *Pontifex*: *l*)
b) *propria* vero *Episcopus*, *m*)
c) utrinque *Principum consensu* accedente, dum de *festis fori* agitur. *n*)
d) Iidem *Ecclesiæ Præsules* festa *abrogant.* *o*)

l) Cujus ceu Primatis præcipuum officium est, unitati divini cultus per universam Ecclesiam studere. Conf. *Decret.* Urbani VIII. Idib. Septemb. 1642. item *P. I. cap. I. §. I. n. V. lit. e. not. d.*)

m) *Cap. fin. de feriis.* Adde, pleraque Sanctorum festa illis olim tantum Ecclesiis fuisse propria, proin & ab illarum tantum Ecclesiarum Episcopis concessa, apud quas passi vel sepulti erant. Sed enim multiplicaverunt Episcopi festivitates ultra eum numerum, quo eas constringi debere publica civitatum salus, & cultus divini majestas postulabant. Inde vero gravissimæ contra hunc abusum tum Synodorum, tum Scriptorum querelæ; Vid. Rigger cit. loc. *P. II. §. 619. seq.* Quibus tandem permotus Urbanus VIII. de numero festorum saltem figendo serium consilium cœpit, canonizationis caussas, ac omnia ad cultum

cultum publicum Beatorum pertinentia Apostolicæ Sedis auctoritati reservans, ipsumque Episcoporum jus arctioribus, ut decuit, limitibus circumscribens. Ab illo tempore Episcopi inconsulto Pontifice festa nova propria ordinare non solent.

n) Principum consensum ad instituenda festa fori accedere debere, vel inde patet, quod 1) nimius eorum numerus facile collisionem officiorum religionis cum officiis civium producere posset; 2) quod festis fori judicia vacare debeant; at num id expediat, ad Principem definire pertineat; 3) quod huic jus cavendi, ne obtentu Religionis damnum Reipublicæ inferatur, competat. *Vid. P. I. cap. II. §. I. n V. 2)*

o) Ut id sufficienter evincunt exempla Benedicti XIV. Clementis XIV, qui ut cultum divinum augerent, festa minuebant. Vid. Cosmas Schmalfus *hist. relig. tom. V. Sect. X. §. III. n. 8. seqq.* Ac ipsorum etiam Principum facta, qui cupientes nonnulla festa abrogari, negotii hujus executionem Pontifici Romano, aut Episcopis suarum provinciarum commendabant. Conf. *P. I. cap. II §. II. n. III. not. i)*

3) Ratio celebrandi festa.

a) Fideles *diebus festis Sacrificium Missæ* audire, ac divini verbi *prædicationi interesse* obligantur. *p)*
b) alia præterea *pietatis opera* exercere — *q)*
c) ab operibus *profanis* abstinere — *r)*
d) ac in *dierum selectu Calendarium* novum *Romanum* sequi debent. *s)*

p) Ex festorum dierum scopo *præced. not. c)* At in qua ecclesia? Absque dubio *cæteris paribus* parochialis

chialis propria cuivis alteri præferenda est: 1) enim obligantur oves audire vocem Pastoris sui; 2) Pastores ipsi populum sibi commissum instruere; pro eo diebus Dominicis ac festis Sacrificium Missæ offerre tenentur, *P. I. cap. I. §. IX. n. II.* Quis vero non videt, præsentes in Ecclesia parochiali debere esse oves, ut his officiis utrinque satisfiat.

q) *Sane sciendum est* (verba sunt Nicolai I. *ad consult. Bulgar. respons. 10. 11.*) *quoniam idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum adsurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus — his neglectis, siquis ad ceteras mundi vanitates licitos labores convertit; melius illi fuerat laborare manibus suis, ut haberet, unde tribueret necessitatem patientibus.* Talis erat primis Christianis usitata dies festos sanctificandi ratio, ut supra *præced. not.* e) indicavimus. At videamus jam, quam procul recentioris ætatis mores a laudatissimis veterum exemplis recesserint! Depingit eos Simon *Cantuariensis* Archiepiscopus oratione in Synodo *Mangilfeldensi* habita an. 1332. his verbis: *Inconstantia humana, ut plerumque in deteriora labente, quod in Electorum Dei receptum erat honorem, conversum est in blasphemiam, & abominationem: dum videlicet conventicula negotiationis & alia exercitia illicita diebus hujusmodi potissime ingeruntur: quod ad devotionis parabatur compendium, in dissolutionis exigitur cumulum: dum in ipsis festivitatibus taberna potius, quam ecclesia, comessationes & ebrietates uberius abundant, quam lachrimæ, & orationes: lasciviis insistitur, & contumeliis magis, quam otio contemplationis — nec propter Dei honorem, sicut deceret, sabba-*

sabbatizant, sed etiam juxta præmissa Dominum ipsum & sanctam Ecclesiam in diebus hujusmodi per abominationes pessimas scandalizant, tanquam solennitates ipsæ ad profanationis & perversionis exercitium gratis fuerant institutæ.

r) Quæ scilicet cum exercitio operum pietatis (*præced. not. q.*) stare nequeunt. Hujus generis sunt 1) *opera servilia.* Vid. Zech *cit. loc.* §. 487. *seq.* 2) *mercatus* & *judicia. cap.* omnes. *cap.* conquestus. *de feriis.* 3) omnia, quæ mores corrumpunt, uti *choreæ, ludi scenici* &c: Huc pertinet S. Augustini dictum *psalm.* 91. *n.* 2: *melius est arare, quam saltare.*

s) *Calendarii Juliani*, quo antiquior utebatur Ecclesia, errores, ac eorum per Gregorium XIII. P. factas emendationes: circa harum acceptationem exortas lites, mediaque ad eas componendas adhibita refert Rigger *cit. loc.* §. 623. *seqq.* Conf. Zech *cit. loc. tit. XIX.* §. 411. *seqq.*

II. Ut dies festi religiosius colerentur, fidelesque ad eos se penitius præpararent, invaluerunt in Ecclesia *vigiliæ* t) & *jejunia* ante illos, quæ

1) varia sunt:

a) abstinetur enim vel ab *omni cibo* & *potu*; vel a *pluribus refectionibus* & *certo* ciborum *genere* secundum regulas ab Ecclesia præscriptas. Inde vero est jejunium vel *naturale*, vel *ecclesiasticum*.

b) abstinentia a pluribus refectionibus, & certo ciborum genere, est *jejunium ecclesiasticum*

sticum proprie tale; *u*) si vero pluribus refectionibus permissis carnium esus solum prohibetur, *abstinentia* dicitur. *v*)

c) Illud denuo est *quadragesimale: x*) *quatuor temporum: y*) *adventus: z*) & quarundam *vigiliarum. a*)

t) Ideo sic dictæ, quod fideles ante diem quemdam festum celebriorem noctem inter psalmos & hymnos in ecclesia insomnem agerent. Abolitus quidem est mos iste, remansit nihilominus vocis illius usus ad significandum jejunium, quod sive jure sive generali consvetudine pridie festorum solennium servatur.

u) Hoc tria continet; *unicam refectionem*, 2) *abstinentiam a carnibus*, 3) *tempus* pro unica refectione præscriptum, (*can.* 4. *Dist. IV* & *can.* 3. *Dist. III. de consecr*) quod olim erat *vespertinum*, seu post occasum solis: postea vero mutatum est adeo, ut hodie fideles hora ordinaria a meridie soleant cibum sumere, & vespere Ecclesia *collatiunculam* permittat.

v) Contra *abstinentiam* in sensu *strictiore* adsurgunt non Protestantes solummodo, verum etiam tenerioris, ut ipsi ajunt, stomachi Catholici, cum cibis jejunalibus plurima alia disciplinæ ecclesiasticæ saluberrima statuta nauseantes. Utrique multas contra eam accusationes congerunt, quibus abrogandam esse penitus, aut si istud obtineri non possit, contemnendam incautis persvadeant. Num vero in probatione accusationum non deficiant, videamus: 1) Superstitionem, inquiunt, olet. At superstitiosum non fuit, vetare protoparentibus in paradyso esum pomi! præterea non ipsis cibis vim quampiam sanctificandi hominem tribuimus, quamvis ad luxuriantes affectus ejus compescendos selectum alimen-

mentorum quidpiam conferre posse non sit prorsus incredibile, sed *obedientiam abstinentium, quæ melior est sacrificio, laudamus.* 2) Temporalis lucri causa; ac ætate præjudiciis obscurata introducta est, Quid vero: si ego de Præsulibus ecclesiasticis, donec aperte mali probentur, æquius sentiens dixero: quod occasionem patrandæ virtutis fidelibus dare voluerint? Pariat ergo Catholicorum abstinentia mercatoribus nonnullis lucrum: quis bonus illud invideat? Ecclesiæ Præsulibus nullum profecto parit. Quod originem abstinentiæ adtinet: non ad obscuratam præjudiciis ætatem, quæ enim est hæc? sed potius ad temperata *jejunia hebdomadalia* referendam esse puto. Nempe antiquissima jam Ecclesia diebus *Mercurii* & *Veneris* jejunare consveverat. Vid. Zech *cit. loc.* §. 459. Ut vero ad Solennitatem diei Dominici celebrandam animi fidelium præpararentur, translatum est feriæ quartæ jejunium per Ecclesias occidentales in Sabbatum. Vid. Alexander Natalis *Dissert IV. ad secul. II. art. 6.* & Concil. *Eliberitani can. 26.* Cum vero jam ab initio jejunia hæc hebdomadalia minore rigore, ac reliqua, servata fuerint, inde etiam *semijejunia* dicta, facile, tepescente scilicet fidelium pietate, fieri potuit, ut in solam abstinentiam degenerarent. 3) Mutatis alimentorum pretiis observatu fere impossibilis est. Dabo id, si de cibis sermo est, qui volupe sapiant; negabo vero, si de iis agitur, qui hominem nutriant. Bona natura conditi sumus; si eandem non deseruerimus, paucis contenti esse poterimus. 4) In societatibus domesticis disparis cultus plurimas molestias generat. An autem etiam tales, quas ea adhibita prudentia, & constantia, qua in aliis vitæ eventibus uteris, superare von valeas, aut præcavere? Cujus quæso, legis observantia adeo facilis, ut ardui nihil secum ferat? Si igitur eapropter abstinen-

tiam

tiam abrogandam esse decernis, videris: qua ratione alia disciplinæ capita ab eodem decreto liberes.

x) A feria *quarta cinerum* usque ad *pascha* exceptis diebus Dominicis. Unde vero hoc dictum sit, an ab horis, an a diebus, vel qua alia ratione: incertum est, Conf. Zech *cit. loc.* §. 457.

y) Jejunii *quatuor temporum* hunc esse scopum dicunt: ut nimirum fideles ad preces fundendas disponantur, quibus dignos Ecclesiæ ministros, sibique Pastores a Deo exorent. Ordinari enim regulariter Sabbato quatuor temporum Clerici solent. Antiquitas alium habuisse scopum videtur; erat enim jejunium istud jam in usu, antequam introductus fuerit mos, ordinationes iis temporibus celebrandi; ut ex sermonibus S. Leonis P. *de jejun. quat. temp. epist.* 6. Gelasii Pontificis ad Epis. *Lucaniæ*, non inepte deduci potest. Conf. Zech *cit. loc.* §. 458.

z) In compensationem jejuniorum, quæ per feriarum reductionem (*n. præced. I.* 2. *not. o.*) cessaverunt.

a) In Diœcesi nostra sequentibus vigiliis jejunium istud adnexum est: 1) *vigiliæ nativitatis* Domini 2) *Pentecostes*, 3) *assumtionis* B. Virginis, 4) S. Joannis Baptistæ, Wratislaviæ, & iis in locis, in quibus festum S. Joannis est Patrocinium Ecclesiæ, 5) SS. Apostolorum Petri & Pauli, 6) festivitatis *omnium Sanctorum*, 7) vigiliis *principalis Patroni* cujusvis Ecclesiæ, quibus antehac adnexum erat jejunium, in loco Patrocinii tantum. *Breve* Clementis XIV. die 24. Jun. 1772. Notandum vero: quod, si festum in cujus vigilia jejunatur, *feria secunda* celebrari contigerit, sabbato *præcedenti* jejunandum sit, *Cap.* 2. *de Observ. jejun.*

2) Horum

2) Horum origo *b*)

a) non ex *præcepto* Apoſtolorum, aut Christi Domini *c*)

b) ſed ex *conſvetudine* fidelium, quæ, Eccleſiæ adprobatione accedente, vim legis obtinuit, derivatur. *d*)

b) Prout nempe hodie ab Eccleſia certis temporibus, certoque modo obſervantur.

c) Exſtant quidem Chriſti, & Apoſtolorum jejunantium exempla, quæ imitemur; ſed de præcepto eorum ad jejunium obligante non conſtat. Unde Prudentius Cathemerinon *hymn. VIII.* ait:

Laxus ac liber modus abſtinendi
Ponitur cunctis, neque nos ſeverus
Terror impellit, ſua quemque cogit
Velle poteſtas.

d) *Can. 11. Diſt. XII. cap. fin. de obſerv. jejun.* Tertullian *de jejun cap. 2.* Origen. *homil X. in Levit.* Conf. Rigger *P. III. §. 838.* Nec tamen eapropter jejunia vilipendi poſſunt. Quamvis enim præcepto Chriſti aut Apoſtolorum non inculcentur, commendantur nihilominus eorundem exemplis: non interrupto fidelium omnis ætatis uſu: frequentiſſimis Eccleſiæ legibus: ipſaque ſua propria virtute, vitia comprimendi, mentesque ad contemplationem ſublimiorum religionis, ac ſalutis veritatum elevandi. Adde, ea maxime idonea eſſe media ſatisfactionis ad delendas peccatorum noſtrorum pœnas præſtandæ.

3) Quinam ad jejunandum tenentur?

a) ad jejunium *naturale* obligantur *Euchariſtiam ſuſcepturi.* *e*)

b) ab

b) ad jejunium *proprie tale ecclesiasticum*, qui compleverunt annum ætatis *vigesimum primum*, nisi aliunde excusentur: *f*)

c) ad *abstinentiam* tenentur omnes Christiani *septimum* ætatis annum egressi. g)

e) Conf. *præced.* §. *II. n. III. not. a.*) Non enim decet, ut corpus alatur prius, quam anima.

f) Caussæ autem a jejunio excusantes sunt, 1) *impotentia:* 2) *labor gravis:* 3) *pietas* respectu illorum, qui opera misericordiæ exercent, & nequeunt simul cum his operibus jejunare: 4) *dispensatio* ex justa caussa. Conf. Zech *cit. loc.* §. 465. *seq.* Benedictus XIV. constit. die 30. Maji, & 22 Augusti de an. 1741. 10 Junii 1744. ubi præcipue, quæ in dispensationibus adtendenda sunt, explicat.

g) Varia tamen circa abstinentiam, præprimis diebus Sabbati servandam, in diversis provinciis est consvetudo. Vid. Zech *cit. loc.* §. 462.

§. IX.

SANCTORUM, RELIQUIARUM, IMAGINUM CULTUS.

I. Sanctos, ac Beatos *h*) recte coli & invocari gravissimis argumentis probant Theologi dogmatici. *i*) Hic loci quæritur:

1) qualis hic cultus sit?

a) Sanctis & Beatis cultus *Duliæ* exhibetur; *k*)

b) illeque vel *privatus*, vel *publicus*. *l*)

h) Sancti

h) *Sancti* dicuntur, qui cum fama ſanctitatis, & miraculorum ex hac vita diſceſſerunt, & ab Eccleſia in canonem Sanctorum relati ſunt. *Beati* vero, qui ab Eccleſia numero Beatorum adſcripti ſunt. Differunt a Sanctis, quod hi ab omnibus, & omni cultus religioſi ſpecie, ac ubique; Beati autem cum reſtrictione ad certum cultum, aut ſaltem pro certo loco, aut genere perſonarum publice coli permittantur.

i) Vid. etiam Concil *Trident. Seſſ. XXV. decret. de invocat. & venerat: Sanctor:*

k) Quatenus ſcilicet cultui *latreutico*, qui ſoli Deo convenit,. opponitur. Cultu hoc Sanctos ut *amicos Dei* veneramur: eorum interceſſionem imploramus: Deum auctorem gratiarum iiſdem collatarum laudamus, ſupplicantes ab eo auxilium, quo adjuti Sanctorum virtutes imitemur. Conf. *Miſſæ Sanctor.* in Miſſali Rom.

l) *Publicus* dicitur, qui auctoritate Eccleſiæ permittitur: *privatus*, qui ex privata fidelium devotione exhibetur.

2) Quis cultum Sanctis decernere poſſit?

a) Jus iſtud, *olim* per *Epiſcopos* pro ſuis diœceſibus exercitum, *m*)

b) *nunc* Romano *Pontifici* ita eſt reſervatum, *ut nullum pro Sancto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ venerari liceat.* *n*)

m) Van Eſpen *J. E U. P I. tit. XXII. c.* 9.

n) *Cap.* 1. *de reliqui: & venerat, Sanctor.* Benedictus XIV. in præſtantiſſimo opere de *Servor. Dei beatific. & beat. canonizatione lib. I. cap.* 10. *§.* 4.

§. 4. & *seqq.* Conf. *P. I. cap. I. §. I. n. V. lit. e. not. d)* item Rigger *cit. loc. §. 827. seqq.*

II. Reliquiarum nomine veniunt corpora Sanctorum, vel partes eorum: item vestes, & alia usu, vel adtactu Sanctorum sacrata. *o)*

1) Distinguuntur

a) reliquiæ *insignes, p)*

b) *exiguæ, q)*

o) Veteres distinguebant nonnunquam *corpora Sanctorum* a *reliquiis*, ut pluribus testimoniis ostendit Zech *cit loc. Sect. I. tit. V. §. 53*

p) *Insignis* reliquia censetur plerumque quæcunque pars integra corporis, licet alioquin modica; vel grandioris membri pars non modica. Idem *ibid. §. eod.*

q) Quid *exiguæ* reliquiæ nomen denotet, ex præced. not. intelligitur, Conf Idem *ibid.* aut Benedictus XIV. *cit. loc. lib. IV. P. II. cap. 6.*

2) Veneratio reliquiarum

a) *nihil superstitionis* habebit, *r)*

b) si *justæ cautelæ* observentur, *s)*

r) Concil. *Trident Sess. XXV. decret. de invocat. venerat. & reliquiis Sanctor.* Bellarminus *tom. II. controv. lib. 2.* Purissimum ab omni superstitione fuisse apud Christianos primorum seculorum cultum externum, concedunt etiam non rogati eorum plerique, qui reliquiarum venerationem apud Catholicos usitatam petulanter rident. Ad nihil profecto hac in re Catholici agunt, nisi quod ex primorum Christianorum exemplis di-

dice

dicerunt. Maxima etenim apud hos erat reliquiarum veneratio. Testantur id 1). conventus eorum, quos passim in cœmeteriis Martyrum agebant: 2) Gentilium furor, qui Martyrum corpora comburere, cineres dissipare, vel in mare projicere solebant, ne fidelibus venerationi essent: *epist. Ecclesiæ Smyrnensis* apud Eusebium *Cæsareens. lib. IV. cap. 14.* 3) mos data Ecclesiæ pace reliquias in templa exstructa transferendi: (S. Hieronym. *advers. Vigilant.*) altaria absque Sanctorum reliquiis non consecrandi: (Concil. *Carthaginense* an. 401. *can. 14. Nicænum* II. *can. 7.*) pluraque alia ab iis relata, qui de sacrarum reliquiarum cultu ab omni superstitione alieno copiosius scribunt.

s) Quarum præcipuæ sunt: 1) Non licere reliquias Sanctorum antiquas extra capsam ostendere, aut venales exponere: Zech *cit. loc. §. 56. not. 70.* 2) insignes reliquias non esse in privatis ædibus, nec apud Laicos, sed in Ecclesia collocandas: Idem *§. 55.* 3) noviter inventas publice venerationi exponi non debere absque S. Pontificis adprobatione *(præced. n. I 2.)* & Episcopi recognitione. 4) non esse ferendos eos, qui venerationis caussa accedentes variis figmentis & documentis decipiunt. Sed vid. *Tridentinum Sess. XXV. de invocat. & venerat. & reliq.* item *cap. 1. 2. de reliq. & venerat. Sanctor.*

III. Sapientissima Synodorum contra Iconoclastas celebratarum, ac postremo *Tridentinæ Sess. XXV.* de usu cultuque SS. Imaginum doctrina ad sequentia capita revocatur;

a) *licitum* esse *imagines venerari*, earumque cultum, si ad normam christianæ doctrinæ exerceatur, ab idolorum adoratione longissime distare; *t)*

b) resistendum tamen esse *abusibus*, qui aut circa *repræsentationem*, aut circa legitimum imaginum *usum* non raro committuntur. *u*)

t) Theologorum est, primum istud doctrinæ de imaginibus Sanctorum caput illustrare. Egerunt id inter ceteros innumeros Petavius *Theol. dogmat. tom. II. lib. XV. a cap. 6.* Tournelius *prælect. theolog de Incarnat. quæst. ult.* adeo feliciter, ut nihil optandum superesse videatur, quam ut pacato tantisper animo legerent argumenta eorum Protestantes. Puderet profecto viros cordatos, verique amantes religionem innocuam abominando idololatriæ probro apud imperitum vulgus diffamare.

u) Ne, quod ad religionem fovendam est institutum, ad superstitionem inducendam valeat. De hisce abusibus fusius egit Zech *cit. loc. tit. VI. §. 75. seqq.* Juvat pauca excerpere: 1) circa *repræsentationem.* Cum *pictura in Ecclesiis idcirco adhibeatur*, docente S. Gregorio M. *lib. VII. epist. 111, ut qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent*, sequitur, quod, ex quibus caussis prohibentur nonnulli libri, ex iisdem tolerari non debeant nonnullæ imagines; quales sunt falsum dogma repræsentantes, vel erroris occasionem præbentes; lascivæ, aut sanctitatem domus Dei dedecentes: dissidiorum caussam dantes. Exempla ejusmodi imaginum vid. apud Eundem *§. 76. seqq* & apud Benedictum *XIV. Bullar. tom. I fol. 566.* 2) Circa *usum* cavendum est: a) ne sacræ imagines ad profanos, profanæ vero ad effectus sacros adhibeantur; b) ne in loco indecenti, & inhoneste exponantur; c) ne devotio & veneratio in ipsa imagine sola hæreat, sed ad *Prototypon* referatur. Concil. *Trident. cit. loc.*

§. X.

§. X.

LOCA SACRA ET RELIGIOSA.

I. Loca ecclesiastica ea adpellantur, quæ divino cultui, & religionis pietatisque studiis destinata sunt. Dividuntur

a) in *sacra*, quæ cultui divino consecratione, aut benedictione —
b) in *religiosa*, quæ absque his quidem, auctoritate tamen Ecclesiæ —
c) in *pia*, quæ privata solum auctoritate piis usibus dicantur. *v)*

v) Conf. Zech cit. *loc. tit. I.* §. 2. *Sect. I.*

II. Inter *loca sacra* eminent Ecclesiæ, seu ædes ad divinum cultum, publicumque liturgiæ exercitium consecratione, aut benedictione initiatæ.

1) Earum origo & nomen.

a) jam ante Constantinum M. Christianis *publicas* quoque Ecclesias fuisse, priorum seculorum monumentis comprobatur; *x)*
b) a quo tempore dein *splendidior* ipsis etiam *forma* accessit; *y)*
c) *ritus* vero solenniter *dedicandi* Ecclesias a sec. IV. paullatim increbuit; *z)*
d) simulque earum *numerus* adeo auctus est, ut, ne sine Episcopi venia novæ erigerentur, Canone 4. Concilii *chalcedonensis* cautum fuerit: *a)*

e) nomine autem olim *vario* compellabantur, nempe: *domus Dei*, *martyria*, *oratoria* &c: *b*)

f) decursu vero temporis distinctio orta est inter Ecclesias *cathedrales*, *parochiales*, *regulares*, *seculares*, *collegiatas*, aliaque *oratoria publica* &c. *c*)

x) Inter monumenta ex sacra scriptura petita præcipuum locum obtinet I. Cor. *XI.* 20. quem textum non de ipsa societate fidelium, sed de loco, ubi congregati erant, intelligendum esse, aperte satis docet S. Augustinus *quæst.* 57. *in Levit.* cum S. Basilio *Reg. brev. quæst.* 310. At longe plura ex scriptoribus aliis collegit Bingham. *orig. eccles. lib. VIII. cap.* 1. Corruit ergo eorum opinio, qui ex male intellectis quorundam Patrum locis contrarium adserere ausi sunt. Quod enim religionis christianæ propugnatores negarent se templa habere, id de ethnicorum templis ad sacrificia & cultum falsis diis exhibendum destinatis intelligendum est Bellarm: *lib. III. de cult. Sanctor. cap.* 4. Conf. Zech *cit. loc:* §. 5.

y) Bingham *loc. cit. cap.* 2. Splendoris istius aucti non una erat caussa: 1) enim docuit omnes ipsa ratio, templa utilia esse ac necessaria (Zech *cit. loc.* §. 6.) inde vero, qua potuerunt, liberalitate & numerum & splendorem eorum augere studebant; 2) efficacissimi hac in re erant Imperatorum christianam religionem amplexorum conatus. Hi, ut christianum cultum in maximam Civitatis salutem promoverent, gentilium templa in ecclesias christianas convertebant, frequentibus hunc in finem edictis promulgatis. Quod vero ad ipsam ecclesiarum *formam* adtinet, nec omni tempore, nec in omni loco erat eadem. Juvabit tamen pro intelligendis

gendis diversis canonibus legere, quæ ex probatissimis auctoribus de antiqua ecclesiarum structura retulit Zech *cit. loc.* §. 7. *seqq.*

z) Zech *cit. loc. tit. III.* §. 30.

a) Add. Justinian. *Novel: 67. Capitul. Reg. Franc. lib. V. c. 382.* At leges hæ ad Oratoria *privata* extendendæ non sunt. Hæc pro sua devotione exstruendi facultatem quilibet habet, modo nec Missæ ibi celebrentur, nec Sacramenta administrentur absque auctoritate Episcopi.

b) Græcorum lingua vocabantur ἱερον, ναον, κυριακον seu *Dominicum*, ex quiqus fontibus etiam germanicæ nonnullæ nuncupationes fluxerunt, Kirch, Dom, Dom-Kirch.

c) Zech *cit. loc. tit. I.* §. 14 *seqq.*

2) Earum exstructio.

a) non nisi *justa* & *gravi* ex *caussa*, modoque *legitimo* i. e. nec cum ipsius religionis, nec aliarum Ecclesiarum præjudicio, & cum Episcopi auctoritate fiat; *d)*

b) neque etiam, maxime ubi rationes politicæ connexæ sunt, *Principis consensus* est negligendus; (*e*

c) ad *pacta* quoque, ac *speciales* locorum *leges* præsertim in Germania nostra ad Pacem *Westphalicam* adtendendum est: *f)*

d) denique Ecclesiis recens erectis *dos congrua*, de se *perpetua*, tum ad ministrorum sustentationem, tum ad cetera ad cultum divinum spectantia adtribuenda est. *g)*

d) *Justa & gravis caussa* censetur in genere *salus populi* difficulter, absque novæ ecclesiæ exstructio-

ſtructione obtinenda. Vid. *cap. 3. de eccleſ ædif.* item Concil. *Trident. Seſſ. XXI. cap. 4. de refor.* Difficultatis hujus cognitio, ita, ut ordinaria ſalutis animarum cura, ad Epiſcopum pertinet. Inde eſt, quod ejus conſenſus ad exſtruendas eccleſias *parochiales* & *regulares Religioſorum* etiam *exemtorum* peti debeat. Concil. *Trident. Seſſ. XXV. cap. 3. de Regular.* Ad erectionem *Cathedralis*, *Collegiatæ*, omnisque alius, in qua ſit *dignitas* eccleſiaſtica, Romani etiam *Pontificis* auctoritatem communiter requirunt. Zech *cit. loc. tit. II. §. 19.*

e) Conf. Cod. cit. Pruſſ. *P. II. tit. XI. Sect. IV. rubr.* Von Errichtung neuer Kirchen.

f) Ne forte exſtructio eccleſiæ *novi operis nuntiatione* interturbetur; quod non raro levibus, nec in P. W. fundatis ex cauſſis factum experientia teſtatur. Conf. Zech *cit. loc. §. 21.*

g) Antequam id fiat, Epiſcopus eccleſiam conſecrare jure prohibetur.

3) Earum reparatio.

a) Pro Eccleſiis *conſervandis* olim *quarta* redituum eccleſiaſticorum pars erat conſtituta; *h)*

b) nunc ad eas reficiendas in genere bona *fabricæ* ſunt impendenda;

c) si vero, unde Eccleſiæ *non parochiales* inſtaurari queant, ſufficientia bona deſint, Episcopus, vocatis, quorum intereſt, beneficia *ſimplicia* in *matrices*, vel alias *vicinas* Eccleſias transferre poterit; *i)*

d) *parochiales* autem ex fructibus & proventibus quomodocunque ad ipſas pertinentibus

bus reparandæ sunt; his vero non sufficientibus Patroni, aliique fructus ex iisdem percipientes, *decimatores* præprimis ratione *decimarum* saltem *origine ecclesiasticarum*, aut in horum defectu *parochiani*, qui alioquin *operas manuales* præstare tenentur concurrere debebunt; *k)*

e) ubi tamen ad locorum *consuetudines* potissimum respiciendum est. *l)*

h) *Cap I. §. IV. lit. b. not. i)* item *can: 30. 31. Causs. XII. quæst. II.*

i) Concil. *Trident. Sess. XXI. cap. 7. de reform.*

k) Idem *eod.* Conf. Zech cit. loc. §. 24. *seqq.*

l) Conf. cit. *Cod Pruss. P. II. tit. XI. rubr.* Bau, und Besserung der Kirchengebäude; item *Sect. X. rubr.* Unterhaltung der (Pfarr=) Gebäude.

4) Earum consecratio aut benedictio. *m)*

a) *Consecrationis* Minister ex jure ecclesiastico est Episcopus Diœceseos, vel *alius* Episcopus ab illo, aut etiam *Presbyter* a Pontifice delegatus; *n)*

b) *benedictionem*, delegata sibi ab Episcopo potestate, *simplex Presbyter* peragere poterit. *o)*

c) Consecratio recte quidem *tempore quovis*, decentius tamen *dominicis festisque* diebus, præmisso *a Consecratore*, & iis, *quorum res agitur*, *jejunio*, ac *ritibus* in *Pontificali romano præscriptis* perficitur. *p)*

d) cujus *dedicationis anniversarium*, uti & *festum Sancti*, vel *Mysterii*, a quo Ecclesiæ nomen impositum, quotannis *solenniter* agenda sunt. *q)*

m) *Benedictio* non raro cum *consecratione* confunditur: revera autem ab ea differt *ritu*, *ministro*, *effectu* &c: vid. Zech cit. loc. *tit. III.* §. 32. Consecrandas esse ecclesias quam citius fieri poterit, aperte præcipitur *cap. fin. de consecr. eccles. Can. 11. Dist. I. de consecr.*

n) Jam apud Ethnicos *dedicationes* templorum pertinebant ad *jus Pontificium* vid. Gutherius *lib. III. de vet. jur. pontif. cap. 11. 12. 13.*

o) *Altaria* tam *fixa*, quam *portatilia*, *calices*, *patenas*, *campanas* &c. jure *communi* item solus Episcopus, jure *singulari* Prælati Pontificalibus ornati pro suis Ecclesiis benedicunt, & consecrant; *paramenta* vero altaris sacrasque vestes *Prælati regulares* omnes ex privilegio generali, & ex Episcopi delegatione *Decani* præsertim *rurales* benedicere solent.

p) In Concilio *Cæsaraugustano III. an. 691.* prohibetur canone I: ne consecratio ecclesiæ fiat extra dies Dominicas. At huic canoni derogatum est *cap. 2. de consecr. eccles.* ubi dicitur: *in diœcesi tua licet tibi ecclesiis dedicationem impendere tam diebus Dominicis, quam privatis.*

q) *Can. 16. Dist. I. de consecr. Conf.* Zech *cit. loc.* §. 34.

5) Earum exsecratio aut pollutio.

a) *Exsecrari* Ecclesia dicitur, ac iterum consecranda erit, cum *major* saltem *pars parietum* corruit, aut *crusta interior*, cui inhære-

re

re consecratio creditur, decidit; r) non tamen, si *vel tota* etiam, verum per partes *sensim* minores, fuerit refecta; sicut nec *Altari execrato*, quod *fracto* præcipue *reliquiarum sigillo* contingit, cum diversa utriusque sit consecratio. s)

b) *Polluitur* Ecclesia, & hoc ipso etiam *altaria*, ac contiguum *cœmeterium*, *non tamen vicissim*, *graviter iniqua*, & *notabili sanguinis*, ac *lasciva seminis humani effusione* itemque *sepultura pagani*, aut *excommunicati*. t)

c) *Reconcilianda* est ecclesia *consecrata*, si *polluta* sit, u) ab *Episcopo*, vel etiam *Presbytero* ab eo ex privilegio Pontificis *delegando per aquam* cum vino, cinere, sale ab Episcopo *benedictam*; v)

d) Ecclesia autem solum *benedicta aqua* tantum *exorcizata* per *simplicem* etiam *Presbyterum* est lavanda; x)

e) neque, nisi *publica* fuerit *pollutio*, solennis esse debet necessario *Reconciliatio*. y)

r) *Can.* 20. 24. *Dist. I. de consecr.* Alter casus, quo Ecclesia iterum consecranda est, is esse dicitur: si nempe de consecratione prudens dubium oriatur. *Can.* 18. *Dist. I. de consecr.*

s) *Can.* 3. *Dist. LVIII. Can.* 19. 20. 24. *Dist. I. de consec. cap.* 1. 6. *de consecr. eccles.*

t) *Cap.* 4. *ibid. cap. un. eod. in* 6. *Can.* 27. 28. *Dist. I. de cons. cap.* 12. *de sepult.*

u) Ut fideles detestationem concipiant sceleris, quo temerarius quispiam fœdavit Ecclesiam quantum in se erat.

v) Zech *cit. loc.* §. 37.

x) *Cap. 10. de consecr. eccles.*

y) Plura de reconcillatione vid. apud Van Espen *J. E. U. P. II. Sect. II. tit. I. cap. V.*

III. Inter loca *sacra* referuntur etiam Cœmeteria, seu loca sepeliendis Christianorum corporibus Ecclesiæ auctoritate, & benedictione destinata; unde sepultura ecclesiastica descendit, quæ triplici sensu

a) pro ritu,
b) pro loco,
c) pro jure sepeliendi accipitur. z)

z) Conf. Rigger *P. III. §. 434.*

1) Ritus sepeliendi.

a) Ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Christiani suorum corpora certis, statisque *ritibus* ad sepulturam dare consueverant, ea lota & honeste vestita publice in Ecclesia exponentes, hymnosque decantantes. &c. *a*)

b) hodie vero Christianorum *exequiæ* psalmis, precibus, trina thurificatione, & aquæ lustralis aspersione, Missæ celebratione &c: absolvuntur; *b*)

c) proin qui ab *Ecclesiæ communione* & sacris sunt exclusi, sepulturæ quoque ecclesiasticæ honore privari solent, secundum illud principium: *quibus non communicavimus vivis, nec communicemus defunctis. c*)

d) Tales sunt, qui aut nunquam in Ecclesiæ communionem recepti, aut ab eadem segregati, aut notorie impœnitentes de vita exe-

exeunt, ut *non baptizati, d) hæretici, e) excommunicati, f) in torneamentis, g) aut duello, licet pœnitentes, mortui, h) authochiri, i) blasphemi, usurarii manifesti, k) & raptores,* nisi satisfecerint, *religiosi proprietarii, l) communionem paschalem negligentes, m)* & *alii. n)*

a) Meretur enim rationalis animæ domicilium non projici temere sicut brutorum cadavera, præsertim quod fuerit animæ bene ac sancte instrumento suo in certaminibus usæ receptaculum. Origen. *lib. VIII* contra Celsum. Similia habet S. Augustinus *lib. I. de civit. Dei cap. 13. & lib. de cura pro mortuis.*

b) Vid. *Rituale diœces.* & quæ ad hos ritus illustrandos scripsit Zech *cit. loc. Sect. II. tit. XXIII. §. 502. seqq.*

c) Et ut ostendatur odium publici sceleris, & incutiatur horror peccati reliquis fidelibus.

d) Can. 27. 28. Dist. I. de consecr. Huc pertinent 1) *infantes sine baptismo* decedentes. Si tamen constat, infantem jam in utero matris fuisse mortuum, sepeliendus est cum matre, si hæc simul moritur: partus enim, antequam edatur, mulieris portio est, vel viscerum. *l. 1. §. 1. ff. de inspec. vent.* 2) *Catechumeni:* pro quibus tamen Ecclesia orat, si credentes decesserunt, ut colligitur ex S. Ambrosio de obitu Valentiniani.

e) Cap. 8. cap. 13. §. Credentes *de hæret. cap. 2. eod. in 6.* Aliud de religionibus in Germania toleratis statuitur in *P. W. art. V. §. 35.* Conf. Zech *cit. loc. §. 517. not. 90.*

f) Can.

f) *Can.* 1. *Cauſſ. XXIV. quæſt. II. cap.* 12. *de ſepultur.* niſi ante mortem vel abſoluti fuerint, (*cap fin. eod.*) vel ſigna ſaltem pœnitentiæ dederint, & abſolutionem poſt mortem ritu eccleſiaſtico obtinuerint, *cap.* 28. *de ſent. excommunicat.* Id de iis etiam excommunicatis, qui publice nondum denuntiati, nec vitandi erant in vita, intelligendum non eſſe, docet Zech *cit. loc.* §. 517. n. IX.

g) *Cap.* 1. *de torneament.* Alexander III. noluit diſpenſare in hac re, etiam ad preces Regum & Principum: *ne prava illa conſuetudo ex hoc incrementum poſſet ſuſcipere Epiſt.* 23. ad Henric. *Rhemens*: apud Martene *collect. veter. Script. tom. II. col.* 674.

h) Concil. *Trident. Seſſ. XXV. cap.* 19 *de reform.* Benedictus XIV. *in Conſtitut.* Deteſtabilem IV. Idus Novembr. 1752.

i) *Can.* 12. *Cauſſ. XXIII. quæſt. V.* Excipiuntur vero 1) qui ex mentis alienatione ſe interimunt; 2) qui pereunt, quando ex ſpe evadendi grave malum ſe in manifeſtum mortis periculum conjecerunt; 3) qui poſt vulnus ſibi inflictum pœnitentiam agunt; 4) quicunque ſubmerſi, laqueo ſuſpenſi, vel ferro aut veneno interfecti, niſi certo conſtet, quod ſeipſos occiderint. Circa eos, qui huic legi ſepulturam neganti ſubjaceant, prævia quædam rei cognitio ad judices politicos, & medicos ſpectabit.

k) *Cap.* 3 *de uſur. cap.* 2. *eod. in* 6.

l) *Cap.* 2. & 4. *de ſtat. monach.*

m) *Cap.* 12. *de pœnit. & remiſſ.* Hæc tamen pœna omiſſæ communionis paſchalis *non* eſt *ſemper latæ ſententiæ*, proin nec poteſt a Parocho propria auctoritate exſecutioni dari. Van Eſpen *cit. loc. P. II. tit. IV. cap.* 3. *n.* 17.

n) Vid.

n) Vid. Zech *cit. loc.* Ceterum quotiescunque in prædictis casibus dubium occurrit, Ordinarius consulendus est. Si hujus sententia exspectari nequeat, favendum est defuncto.

2) Locus sepeliendi.

a) Sævientibus adhuc persecutionibus Christiani fidelium cadavera in *agris*, *speluncis*, *cryptis* &c. humabant; *o*)

b) iis cessantibus, translatis e cryptis in urbes, Martyrum præcipue, corporibus, sepulturam in iis, vel saltem prope illas exoptabant fideles, qua ratione *sepulcra urbaria* invaluere, per Theodosii legem primo quidem reprobata, *p*) dein per Leonis constitutionem de novo concessa. *q*)

c) Loca hæc varias quidem adpellationes habuere, usitatius tamen & olim & hodie *Cæmeteria* audiunt, *r*) quæ Episcopi auctoritate constituuntur, ab eoque, aut Presbytero delegato *benedicuntur*, *s*) qui benedicendi ritus pervetustus quidem, ejus tamen initium incertum. *t*)

o) Et quidem prope *vias publicas*, quales in urbe Romana fuisse *Appiam*, *Aureliam*, *Flaminiam*, *Lavicanam*, *Latinam*, *Laurentinam*, *Ostiensem*, *Prænestinam*, *Salariam*, & *Tiburtinam* ex Kirchmanni *de funerib. Roman. lib. II. cap.* 22. novimus. Moris hujus duplex ratio erat: 1) lex XII. tabularum; *Hominem in urbe ne sepelito, neve urito;* cui Christiani, optimi cives, lubentes paruerunt; 2) ut mortalitatis exemplum præberent. *L. 6. Cod. Theodos.* Inde originem sum-

sumserunt inscriptiones: *Siste viator. Sta viator &c:*

p) *L. 6. Cod. Theodos. de sepulcr. violat.* Constitutionem hanc Imperator ad Pancratium urbis Cptanæ Præfectum dirigit. Unde concludunt nonnulli: per eam nec in suburbanis ecclesiis prope Constantinopolim, nec in ecclesiis aliarum urbium sepulturas prohiberi.

q) *Novell. 53.* Huic concessioni edicta Principum hodie non minus, quam eruditorum calamos adversari videmus.

r) Seu *Dormitoria:* voce a græco verbo χοιμάω, quod *dormire* significat, desumta. Recte enim dormientes dicimus, quos certum est resurrecturos. Inde ait S. Hieronymus adversus Vigilant: *Sancti non appellantur mortui sed dormientes: unde & Lazarus, qui resurrecturus erat, dormivisse perhibetur, & Apostolus vetat Thessalonicenses de dormientibus contristari.*

s) *Cap. 4. de relig. dom.* quia pro parte, aut verius pro porticu, & area ipsius ecclesiæ habentur. *Cap. 10. de immunit. eccles. cap. un. ibid. in 6. cap. 7. de consecr. eccles.*

t) Ejus sane jam meminit S. Gregorius *Turonens. de glor. confess. cap. 106.* De modo, quo *cæmeteria* 1) *pollui* possunt, vid. supr. *n. II. s. lit. b.*) 2) ac *polluta reconciliari* debent, Zech *cit. loc. Sect. I. tit. III. §. 40.*

3) Jus sepeliendi.

a) Id *regulariter* ad *Parochos* spectat, *u)*

b) unde hodie per consuetudinem in ea parochia, in qua quis mortuus est, vel Sacramenta percepit, *sepelitur, v)*

c) nisi

c) nisi quis *sepulchrum Majorum* habeat, x) aut aliud sibi elegerit, quod, præter *impuberes*, & *religiosos* cuivis liberum relinquitur; y) d) electa autem alibi sepultura *Parocho jus exequiarum* competit, z) *portio* item *canonica*, vel *quarta funeralis* per locorum consuetudinem determinanda pendenda est; *a*) *mortuarium* vero nec ubivis solvitur, nec ejusdem ubique generis est. *b*)

u) *Cap.* 2. *de sepult. in 6.* Decet enim, ut Parochus, qui durante vita curam spiritualem suorum Parochianorum gessit, defunctos non deserat, sed locum sepulturæ concedat, & pro iis preces, Missasque offerat. Conf. *Cod. cit. Pruss. P. II. tit. XI. Sect. VI. rubr.* Von Begräbnissen.

v) Excipe 1) *Religiosos.* Sicut enim his Prælatus pro Parocho, ipsumque Monasterium quodam modo pro parochia est, ita quoque per ipsum Superiorem in Monasterii ambitu, vel in Ecclesia sepeliri debent. *Cap. fin. de sepult. in 6.* 2) *Canonicos*, & *Clericos* Ecclesiæ *cathedralis*, qui tametsi forsan in alia parochia habitent, in Ecclesia cathedrali sepeliendi sunt. Card. Tuscus *pract. conclus. lit. P. conclus.* 99. *n.* 5.

x) *Cap* 1. & 3. *de sepult.*

y) *Cap.* 1, 2. *§.* 1. *de sepult. in 6.* Hac tamen lege: ne profanus locus eligatur. (*cap.* 3. *de sepult.*) Cui legi non derogat concessio Bonifacii VIII *cap.* 2 *§.* 1. *eod in 6.* qua permittit sepulturam *in loco minus religioso* fieri. Per locum enim *minus religiosum* intelligit Pontifex *non profanum*, sed *Oratorium*, Sacellum, in quo non est religiosorum Fratrum conventus, nec frequenter Missarum solennia celebrantur.

Van Espen *J. E. U. P. II. sect. IV. tit VII. cap. 3.* Inde vero vi *privilegii* Regularibus concessi in eorum ecclesiis a quolibet sepultura eligi potest (*Clement.* Dudum. 2. §. hujusmodi. *Extravag. comm:* Super cathedram 2 *de sepult.*) ipsi tamen sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, ac ipso facto incurrendæ neminem ad id inducere audent. *Cap. 1. de sepult. in 6. Clement: 3. §.* sane *de pœnis.* Quid jam ante has constitutiones S. Bonaventura in epist. ad quemdam provincialem Ministrum sui Ordinis scripserit; vid. apud Zech *cit. loc.* §. 510 *not. 58.*

z) Rigger *cit. loc.* §. 444. Zech *cit. loc.* §. 514.

a) Concil. *Trident. Sess. XXV. cap. 13. de reform.*

b) De *mortuario* legatur Zech *cit. loc.* §. 511.

IV. Loca sacra & religiosa Immunitate etiam gaudent, cujus prærogativa præcipua in eo consistit, quod malefici illuc confugientes cum publica securitate a *capitis* saltem, aut *mutilationis* pœna immunes habeantur, & Jus asyli vocatur. *c*)

1) Origo

a) haud equidem ab ipsa *loci sacri natura* derivatur, cum extractio rei ob publicam securitatem necessaria loci sanctitatem *per se* haud violet; *d*)

b) nec, legibus *Synagogæ civilibus* jam extinctis, N. T. lex quædam, aut *Traditio* hoc jus ecclesiis addixit; *e*)

c) sed ab *observantia* potius ac *Principum pietate*, ceu species quædam *juris adgratiandi* descendere videtur. *f*)

c) De variis *asylorum generibus* vid. Zech. *Dissert. de jur. asyl. eccles. cap.* 1.

d) Fas est, salva, quæ templis Deo dicatis debetur, reverentia, sese in illis contra injustum invasorem defendere; ergo et fas erit salutis publicæ caussa hostes inde extrahere, atque justa animadversione coercere. Ex hac argumentatione consequi dicunt, jus asyli ex loci sacri natura non derivari.

e) Nec posset, etiamsi leges illæ Synagogæ civiles Exod. XXI. Numer. XXXV. Deuter. XIX. adhucdum valerent, ex iis *divina* asylorum, prout ea hic sumimus, *institutio* recte deduci. Longe enim alia harum civitatum asyli est ratio. Vid. Rigger *P. III.* §. 862.

f) Propositionem hanc sequentibus verbis illustrat Schenkl §. 687. *ex cit. dissert,* P. Zech *cap.* 1. 2. 3 4. „*Jus asyli, quod nec Gentiles, Græci & Romani suis templis negabant, quodque locis etiam aliis sæpe tributum, sacrosanctis Ecclesiis lege stabiliverunt Imperatores christiani, tum ipsa locorum reverentia moti, tum ad id stimulati Episcoporum intercessionibus. Episcopi enim non raro reis ad Ecclesias confugientibus vitæ gratiam exorabant, tum ut iidem, quum brevis nimis, sera, & mortis metu extorta pœnitentia suspecta videretur, pœnitentiæ publicæ peragendæ spatium haberent; tum etiam: ut a processus in caussis criminalibus tunc sæpe tumultuarii, vexa liberarentur. Hoc autem privilegium iidem Imperatores variis determinabant modis; illud jam amplificando jam extenuando, jam etiam abrogando. At deinceps jus asyli tum Imperatorum, tum Regum Francorum legibus, Conciliorum decretis, Pontificumque constitutionibus firmatur; pro rerum tamen adjunctis variis modis circumscribitur.*

2) Asyli privilegio fruuntur,

a) *Ecclesiæ* cum ædificio sibi conjuncto, & ad eas pertinente; non tamen *oratoria privata*, aut *ædiculæ* in campis exstructæ: g)
b) *Monasteria* cum domibus & habitationibus auctoritate ecclesiastica ibi erectis:
c) *Sacella publica* in ædibus ad caritatis, misericordiæ, ac pietatis opera eadem auctoritate destinatis:
d) *Palatium Episcopi;*
e) *Cœmeterium* sive *adnexum*, sive *separatum*. h)

g) *Cap. 9. de immunit. eccles.* Conf. Rigger *cit. loc.* §. 867.

h) *Can 21. Cauſſ. XVII. quæst. IV. can. 36. ibid.* Loca sacra, etiam polluta vel interdicta, hoc privilegium amisisse haud putantur,

3) Asylum se extendit ad omnes confugientes reos sive laicos, sive clericos, etiam interdictos, excommunicatos, irregulares; *nisi lege excipiantur.*

Excipiuntur autem præcipue

a) *latrones publici, grassatores viarum, agrorum depopulatores:*
b) rei *assassinii*, rei *hæresis*, & ob eam *adcusati:*
c) rei *læsæ Majestatis, monetas conflantes, adulterantes:*
d) *deliberate*, aut per *proditionem* aliquem *occidentes:*

e) &

e) & qui ipſi occiſione vel mutilatione *Aſylum Eccleſiæ*, vel *Cœmeterii* violarunt &c. *i*)

i) Zech *cit. diſſert. cap.* 8.

4) In privilegio hocce *tuendo*, ac *reſtringendo* duo ſunt animadvertenda: nempe

a) ut jus Asyli, Eccleſiis ob earum *reverentiam*, & *reorum salùtem* a Principibus conceſſum, & ab Eccleſia defenſum, ſine graviſſimis rationibus non aboleatur;

b) ſi tamen ob rerum adjuncta *grave damnum* exin aut Eccleſiæ, aut Reipublicæ accederet, *reſtringi* aut ſi alio modo utriusque bono consuli nequeat, penitus etiam *tolli* posſit, præſertim *pœnitentia publica* ſublata, & *proceſſu criminali* hodie melius inſtructo. *k*)

k) Nec Eccleſiæ, nec Civitati conſulunt, qui reorum ex his locis fugam variis artibus juvant.

5) Causſæ juris Asyli ad forum *utrumque* ſpectant;

a) ratione *ſanctitatis locorum*, & quod Eccleſiæ jus *quæſitum* ſit, ad ejusdem Rectores,

b) ratione *boni publici*, eoquod *publicam juſtitiam* impedire poſſet, & alias a Principibus ſit profectum, jusque *adgratiandi* involvat, ad Rectores Civitatis. *l*)

l) Quorum plures ita jam easdem foro ſuo ſubjiciunt, ac ſi Eccleſia nullam ad eas ſimul cognoscendas haberet poteſtatem.

§. XI.

BONA ECCLESIASTICA, OBLATIONES, PRIMITIÆ, DECIMÆ.

I. Inter bona, quæ Ecclesiis, earumque Ministris aut pendi olim debuerant, aut adhuc penduntur, occurrunt primo Oblationes, m) quarum variæ sunt species; erant nimirum

1) In antiqua Ecclesia

a) *oblationes majores*, seu *pinguia patrimonia, agrorum pretia, fundi, villæ &c.*

b) *hebdomadales*, i. e. non solum *panis*, & *vinum*, ex quibus & epulum *eucharisticum* conficiebatur, sed & res aliæ, etiam *pecuniæ*, in *Ecclesiæ* & *pauperum* usus impendendæ:

c) *menstruales*, quas singulis mensibus pro sua quisque facultate in ærarium Ecclesiæ inferre consveverant:

d) *extraordinariæ*, pro singularibus ecclesiarum necessitatibus præter ordinem fieri solitæ. n)

m) Oblationum varios *significatus* vid. apud Rigger cit. loc. §. 516. *seq.*

n) Conf. Thomassin. *de vet. & nov. discipl* P. III. 1. *cap.* 1 *seq.* Bingham *orig. eccles. lib. V. cap.* 4.

2) Hodie vero Oblationes aliæ sunt

a) *liberæ*, v. g. quæ sub Missæ sacrificio *altaribus*

bus imponuntur, *Missarum stipendia*, *pecuniarum*, quas in *truncos* ponunt, *ovorum* &c. *o*)
b) *necessariæ* seu *honoraria*, quæ post sacras functiones solvuntur, & *jura stolæ*, eoquod Sacerdos *stola* utatur, nuncupantur. *p*)

o) Rigger cit. loc.

p) Conf. *P. I. cap. I. §. IX. n. IV. lit. d. not. p*)

3) de Oblationibus notandum:
a) ad Oblationes mere *voluntarias* cogi nemo potest:
b) illæ vero ad *mentem offerentis* adplicandæ:
c) in Ecclesiis *parochialibus* factæ, nisi consvetudo aliud ferat, *Parochis*,
d) factæ in Ecclesiis *Regularium*, *Regularibus* obveniunt: *q*)
e) eas, quæ in *truncis* ponuntur, consvetudo *fabricæ* addicit:
f) in exigendis vero Oblationibus *necessariis* omnis *avaritia* vel *inhumanitas* absit. *r*)

q) *Arg. can. 13. Causs. X. quæst. I, cap. 1. de statu monach.*

r) Non ergo ab animarum Curatoribus arguendi sunt verbo aut facto avaritiæ, aut inhumanitatis ii, qui nihil aut parum offerunt; non majori promtitudine administranda sunt sacramenta illis, a quibus plura offerenda sciuntur. Parit ejusmodi disparitas plura largientibus invidiam, animarum Pastoribus odium, quod frustra saluberrima doctrina in animis populi exstinguere, conabuntur.

II. Primi cujusvis anni fructus, primique pecudum fœtus dicuntur Primitiæ, has

a) Lex antiqua solvi præcepit: s)

b) Christiani quoque easdem hortantibus Patribus solvere consveverant; t)

c) hodie vero per non usum vix uspiam vigent.

s) Exod. XXIII. 19. Numer. XVIII 11. Quantum vero Primitiarum nomine solvendum esset, non est determinatum in Pentateucho, sed arbitrio offerentium ab initio relictum fuisse videtur. Dein Magistrorum auctoritate effectum tradit S. Hieronymus (*cap. 1 de decim. primit.*) *ut, qui plurimum — quadragesimam partem daret, qui minimum — sexagesimam.*

t) Hodie vi juris ecclesiastici exhibendæ essent Parocho, intra cujus ecclesiæ fines sunt prædia & fundi, ex quibus fructus progerminant. *Can. 67. Causs. XVI. quæst. I. can. 1 ibid. quæst. VII. & cap. 1. h. tit.*

III. Certa fructuum portio, aut proventuum, quotannis ut plurimum illis, qui eam exigendi jus habent (Decimatoribus) solvenda nomine Decimarum venit.

1) Earum origo.

a) Jam *ante legem mosaicam* vigebant, quandoque *ex voto* Deo promissæ, u) quandoque Regibus *tributi* loco præstitæ; v)

b) in *Republica judæorum* Decimas *formaliter tales* Deus Levitis in sustentationem adsignavit; x)

c) in

c) in *L. N.* Christus quidem de Evangelio vivere Apostolis præcepit, unde & congrua sustentatio, seu *Decimæ materialiter* sumtæ Ecclesiæ ministris jure *divino* debentur; y)

d) at *Decimas formaliter* acceptas, seu strictam fructuum, proventuumque *decimam partem* juris *humani* esse ex N. T. *silentio*, *usu* primorum seculorum, & mira, quæ in præstandis decimis obtinet, *varietate* deducitur. z)

u) Genes. *XIV. 8. XXVIII.* 22. Ipsi quoque Ethnici pietatem hanc imitabantur; nam *decima quæque diis suis veteres offerebant.* Festus de V. S. voce *decimæ.*

v) I. Reg. *VIII.* 15. 17.

w) Numer. *XVIII.* 23. 26. Exod. *XXII.* 29. *Cap.* 1. *de decim.* Eoquod ipsis in distributione Chanaam præter urbes 48. quas sparsas per tribus omnes obtinuerant (Jos: *XXI.* 39.) continua terræ portio nulla obtigit.

y) Vid. *P. I. cap. II §. I. n. VI. lit. b. not. m*) ibid. §. *IV. n. I. lit. a. not. c*)

z) Vid. Schenkl *§.* 702. Rigger *P. III. §.* 463. *seqq.*

2) Dividuntur porro Decimæ

a) in *ecclesiasticas*, quæ juxta primævam suam institutionem Ecclesiæ ejusque ministris penduntur:

b) in *minus stricte ecclesiasticas*, seu *laicales secundum quid*, quæ origine quidem ecclesi-

aſticæ, ſed *titulo ſpirituali ſejuncto* laicis, ſaltem quoad *dominium utile* ſunt permiſſæ:

c) in *laicales ſimpliciter tales*, quæ inſtar *tributi* a Dominis ſecularibus ſuis ſubditis imponuntur: *a*)

d) in *reales*. quæ ex *agris*, vel *fœtibus* animalium (iſtæ etiam *carnaticæ* dicuntur) — *b*)

e) in *perſonales*, quæ ex induſtria *perſonali* ſolvuntur: *c*)

f) in *majores* & *minores*, prout ex *majoribus minoribusve* fructibus, — *d*)

g) in *veteres* & *novales*, prout ex prædiis *antiquitus* vel *recens* excultis præſtantur. *e*)

a) Conf. Rigger *cit. loc.* §: 477.

b) *Cap* 20. 23. *de decim.*

c) Hæ in Germania ſunt insolitæ.

d) *Cap.* 30. *de decim.*

e) Sed multiplex eſt prædii novalis acceptio: *latiſſima*, *lata*, *ſtricta*, *ſtrictiſſima* Vid. Rigger *cit. loc.* §. 479.

3) Jus exigendi Decimas eccleſiaſticas

a) olim *Episcopi*, eas in Eccleſiæ, miniſtrorumque uſum impendentes habuere; *f*)

b) modo hab•nt *Parochi*, qui in omnibus ſuæ parochiæ fundis *jus decimandi* fundatum, & juris *præſumtionem* pro ſe habent; *g*)

c) unde & *novalium* decimæ ad eos pertinere videntur; *h*)

d) niſi

d) nisi *consvetudo*, aliave lex jus istud alteri, v. c. *Decimatori universali*, *Domino territoriali*, vel *ipsi Episcopo* addicat;

e) *laici* vero Decimas *ecclesiasticas*, utpote quæ officium *spirituale* sequuntur, percipiendi incapaces existunt, nec obtinet apud illos *præscriptio*, nisi tempore *immemoriali* jus istud possederint, ut a titulo spirituali *separatum* præsumi possit. *i*)

f) *P. I cap. II §. IV. n. VII. lit. a. not. c.*)

g) *Can 42 seq. Causs. XVI. quæst. I. Cap. 29. & 30. de decim. cap. 2. de restit. spol. in 6. Cod. cit. Pruss. P. II. tit XI. Sect. XI. rubr.* Grundsätze.

h) *Cit. Cod. cit loc. rubr.* Vom Neulande. Id vero de *novalibus strictissime sumtis* inprimis intelligendum est. Quoad *novalia late* sic dicta adtendendum est: an præter Parochum cuidam debeantur decimæ ex *certo genere fructuum*, an ex *certis fundis?* In priori casu mutatio culturæ mutat etiam Decimatorem; secus in posteriori. Si tamen per mutationem culturæ nimis gravaretur Parochus, compensatio ipsi facienda esset ab eo, qui decimas ex fundo aliter culto colligit. *Cap. 9 h. tit. cap. 2. §. 2. eod. in 6.*

i) Conf. *cit. Cod cit. loc. rubr.* Erwerbung des Zehentrechts.

4) Decimas solvere debent

a) *personales* quidem, omnes, qui Parochi curæ ac directioni subsunt; *k*)

b) *reales* vero omnes prædii aut fundi *decimabilis* possessores, *l*)

c) adeoque & *infideles*, *m*)

d) imo & *clerici* non quidem de ecclesiasticis, sed de *patrimonialibus*, nisi *ab onere liberatio* indulta sit. n)

k) Ubi nempe abrogatæ non sunt.

l) Nisi aliquo legitimo titulo exemti sint.

m) In Silesia decimas catholico Parocho non solvunt, qui aliam religionem profitentur, quiescente interim, non vero sublato Parochi jure. *cit. Cod. loc. loc. rubr.* Erlöschung des Zehentrechts.

n) *Cap. 2. de decim.*

5) Onus decimarum non tam fundo, quam fructibus inhæret, unde
a) agri in anno *plus una vice* frugiferi *sæpius*,
b) *quiescentes nullas* solvunt decimas:
c) Dominus *utilis*, non directus, *conductor* non locator eas solvere debet;
d) nec *novus* possessor prædii, nisi sit successor *universalis*, decimas ab antecessore non solutas præstare tenetur. o)

o) Rigger *cit. loc. §. 501.*

6) Modus solvendi decimas.

a) Jure *communi* curate pars *decima*, & ipsi *fructus* dandi;
b) nec pretium æquivalens *invito* obstrui potest;
c) decimæ *prædiales* statim, ubi fructus in manipulos sunt collecti, —

d) *carna-*

d) *carnaticæ* vero, ubi fœtus ſine matre vivere valet,

e) *perſonales* anno quovis exacto ſolvuntur.

f) porro decimæ *reales* & *carnaticæ* ex fructibus integris, nulla facta impenſarum & tributorum deductione, —

g) *perſonales* contra de *lucro* tantum, deductis expenſis, præſtantur. *p*)

p) Conf. *cit. Cod. cit. loc. rubr.* Art der Entrichtung des Groſſzehnten.

7) Immunitas a ſolvendis decimis obtinetur

a) *Privilegio: q*)

b) *Conſvetudine* legitima *r*)

c) *Præſcriptione*, *s*) quoad decimas ſimpliciter laicales *ordinaria*, quoad eccleſiaſticas *cum titulo 40 annorum*, *ſine titulo* vero *immemoriali*, ut ſupra notatum: *t*)

d) *Pacto*, quo tamen ſolus *Decimator paciſcens*, non ejus ſucceſſor, niſi conſenſus Superioris acceſſerit, ligatur: *u*)

e) denique immunitas a ſolvendis decimis non niſi ſalva Parochi *congrua* obtineri poteſt. *v*)

q) Cujus concedendi facultatem ſoli Pontifici tribuunt Decretaliſtæ *cap. 3. & 10. h. tit. cap. 2. de præb. in 6.* Conf. Rigger *cit. loc.* §. *505. ſeq.*

r) *Cap. 4. 18. 20. 32. h. tit.* Ad quam quidam tempus immemoriale, alii 40 ſaltem annorum curſum deſiderant. Ceterum non extendit ſe conſvetudo ad *novalia*. Quoad reliqua facilius introduci poteſt, ut non ſolvantur decimæ ex cer-

to genere fructuum; item ut solvantur in alia quantitate, aut in pecunia, aut alia specie.

s) *Cap. 4. de præscript.*

t) *Arg. cap. 1 de præscript. in 6.* Conf. Rigger *cit. loc. §. 508.* & *Cod. Pruss. cit. loc. rubr.* Erlöschung des Zehentrechts.

u) *Cap. 5 & 8. de transact. cap. 3. de decim. cap. ult. de reb eccles. alien.* Quis vero *Superior* ille? — Summus Pontifex, si pactum sit mere *gratuitum*; (*cap. 3. de transact*) si vero *onerosum*, solius Episcopi auctoritatem sufficere defendunt. *Cap. 2. de transact.*

w) *P. I. cap. I. §. IX. num. IV. lit. d)* ibid. *cap. II, §. I. n. VI. lit. b. not. m).*

§. XII.

BONORUM ECCLESIASTICORUM ADQUISITIO, ADMINISTRATIO, ALIENATIO.

I. Ecclesiæ, Personæ, ac Corpora ecclesiastica, nisi singulari fors lege justa, pacto, vel voto prohibeantur, non adquirere solum bona temporalia, ceu veri cives, possunt, ac jure quoque *civili* & *patrio* maxime circa hæc adquirenda diriguntur, sed & variis quoad *pias* præcipue *donationes* tum *inter vivos*, tum *mortis caussa* factas gaudent Privilegiis, *x*) & quidem

1) Donationes *inter vivos* ad caussas *pias*

a) *acceptionem* haud requirunt, sed sola jam *pollicitatione* subsistunt;

b)

b) *dominium* rei donatæ per ſolam donationem *ipſo jure* absque traditione ad Eccleſiam tranſit;

c) donatio ad cauſſas *piiſſimas* v. g. redemtionem captivorum facta, absque *inſinuatione* ſubſiſtit;

d) nimium tamen hunc favorem extendere videntur, qui donationem Eccleſiæ factam ob ſupervenientes liberos, niſi *usque ad legitimam*, revocari non poſſe adserunt. y)

x) Quæ tamen recentioribus Principum conſtitutionibus multum reſtricta ſunt. Conf. *Cod. Pruſſ. P: I. tit. XI. Sect. IX. & tit. XII.*

y) Jure *romano* alias donatio, quatenus *inofficioſa* eſt, ſeu liberorum *legitimæ* detrahit, ſummam 500 *ſolidorum* excedit, ſi judici *non inſinuetur*, aut inſignis *donatarii ingratitudo* interveniat, reſcinditur.

2) Quod vero ultimas voluntates ad *pias cauſſas* adtinet, z)

a) *teſtamenta pia* ſine aliis *ſolennitatibus* vi juris *canonici*, & *germanici conſvetudinarii*, dummodo de *teſtatoris* voluntate *certo* conſtet, valida ſunt; a)

b) unde *duo teſtes* non ſolennitatis ſed *probationis* cauſſa adeſſe debent, b) ſufficitque, ſi teſtamentum *propria* teſtatoris *manu* ſcriptum eſſe noscatur; eodem modo

c) *legata pia* etiam in teſtamento ob deficientes ſolennitates *infirmo* contenta præſtari debent, nec illis jure communi *falcidia* detrahitur; c)

d) hoc

d) hoc ipſum & in *fideicommiſſis ſingularibus* valet, *univerſalia* vero *trebellanicæ* abnoxia eſſe videntur; *d*)

e) omnis tamen gratuita bonorum alienatio ab *ingreſſuro in monaſterium*, aut *novitio* ante *duos menſes* profeſſioni proximos, quamvis ad cauſſas pias, facta, & juramento etiam veſtita, nulla eſt. *e*)

z) Leges ſecundum quas teſtamenta ex *jure noſtro provinciali* confici debent, vid. *cit. Cod. P. I. tit. XII. Sect. I*

a) *Cap. 4. 11. de teſtam.*

b) Id quod ex adducta ibidem ratione ex Math. *XVIII. 16.* colligitur.

c) *Quarta* hæreditatis totius *pars*, quam hæres ex *lege falcidia* detrahit legatis, quæ ultra *dodrantem* ſeu tres hæreditatis partes aſcendunt, *quarta falcidia*, *quarta* vero *pars*, quæ de reſtituta ex *fideicommiſſo* hæreditate detrahitur, *trebellanica* adpellatur.

d) Boehmer in *jure eccles. Proteſtant. de teſtam.* §. *25. ſeq.*

e) *Trident. Seſſ. XXV. cap. 16. de Regularibus.*

3) Testamento deficiente

a) jure communi in bonis *eccleſiaſticis* clerico ea, cui vivens miniſtraverat, *eccleſia* ſuccedit: *f*)

b) Monaſterium omnem *profeſſi*, non vero *novitii*, hæreditatem & bona capit, niſi lex ſingularis obſtet. *g*)

f) Cum

f) Cum difcerni inter bona Clericorum fæpe non poffit; cum hæredibus *ab inteſtato* fieri *tranſactionem*, aut ea per *averſionem in tres partes* in quibusdam Diœcefibus dividi dicunt, quarum una *Epiſcopo*, altera *pauperibus*, tertia *hæredibus* adſignatur. Quod etiam in Silefia faciendum, tum §. 14. *Sanct. pragmat.* tum aliis Epifcoporum conftitutionibus præcipitur. Vid. Joan. de Fridenberg *cit. loc. lib. I. cap. X. §. 50.*

g) Conf. *P. I cap. II. §. IV. n II. not. f*)

II Adminiſtratio bonorum ecclefiafticorum ad quos pertineat, alibi *h*) declaratum eft: porro, quod *parochialium* ecclefiarum bona concernit, dictis adminiftratoribus duo alii *inferiores* curatores e plebe cujusvis parochiæ, non fufpectæ fidei, adjungi folent, *i*) quorum munus eft,

a) *inventarium* fumma cura conficere,
b) *ærarium* feu *armarium* fideliter cuftodire,
c) *fundos* & *pecunias* recte collocare, cenfusque debito tempore exigere,
d) *negotia* ecclefiæ tum *extra*-tum *intra judicium* tueri,
e) *ædificia* ecclefiaftica *ſarta tecta* cuftodire,
f) *impenſarum* calculos fubducere, & *quotannis* fuæ adminiftrationis *rationes* reddere,
g) in *negotiis* vero *maioribus* Superioris confenfum exquirere tenentur. *k*)

h) *P. I. cap. II. §. IV. n. VII.*

i) Apud nos Kirchen=Vorsteher, Kirchen=Väter, *Ecclesiæ vitrici*: alibi locorum Kirchen=Pröbste, Pfleger dicti.

k) Curatores cum ecclesia contrahere, aut bona ejus conducere regulariter prohibentur. Plura de parochialium bonorum administratione, & *curatorum officiis*, recentioribus legibus apud nos constituta vid. *cit. Cod. P. II. tit. XI. Sect. IX.*

III. Ad alienationem *l*) bonorum ecclesiasticorum, ne aut malitia, aut incuria Administratorum passim fiat, quod jam pridem S. Canones, *m*) Pontificum constitutiones, *n*) & ipsorum Principum decreta, *o*) graviter prohibuere, requiruntur

1) Caussæ *justæ* & *graves*, unde

a) res *sacræ*, non nisi ob *majorem* Ecclesiæ & pauperum *necessitatem*,

b) res *mobiles*, & *immobiles* magni pretii tantum *necessitatis*, *pietatis*, aut *evidentis utilitatis* caussa alienari possunt. *p*)

l) Per *alienationem*, *in sensu lato* significantur actus omnes, per quos ecclesia circa res suas gravamen patitur. *Cap. 5. de reb. eccles. alien.* Extravag. un. *ibid. inter commun.*

m) Concil. *Antiochen. can. 25. Carthagin. IV. can. 32. Carthagin. V. can. 4.*

n) *Can. 52. Causs. XII. quæst. II.*

o) *L. 14. 17. Cod. de SS. eccles. Novel. VII. & CXX. Capitular. lib. I. cap. 29. Cod. Pruss. cit. loc. Sect. IV. rub.* Veräusserung.

p) *Can. 14. 15. 70. 71. Causs. XII. quæst. II.*

2) So-

2) Solennitates, nempe

a) in ecclesia, ubi adest capitulum, *consensus capituli, q)*

b) *consensus Superioris* ecclesiastici, saltem si de rebus *majoribus* agatur, *r)*

c) *consensus Domini directi* intuitu *feudi*, quod ecclesia accepit, adeoque quoad feuda imperii, *Imperatoris*,

d) *consensus aliorum* lege, pacto, vel observantia necessarius requiritur. *s)*

q) *Can. 52. cit. Causs. & quæst.*

r) Rigger *P. III. §. 309. seq.*

s) Ad quarum rerum alienationem solennitates hæ inprimis requirantur, vid. apud eund. Rigger *cit. loc. §. 313* Quodsi in casibus ibidem allatis negligantur, alienatio peracta nulla reputatur, (*cap. 12. de reb. eccles. alien.*) & gravissimæ in mala fide alienantes decernuntur pœnæ, (Rigger *cit. loc. §. 318.*) ac Ecclesiæ insuper bona sua omni modo legitimo vindicandi potestas conceditur. Idem *ibid. §. 317. Contractus* in alienatione intervenientes, jus naturæ; civile, & germanicum multis exponit, ac cum jure canonico ut plurimum consentit. Conf. Zech *de jur. rer. P. poster. Sect. IV.*

Caput III.

Jus privatum circa judicia ecclesiastica,

§ I.

Judiciorum ecclesiasticorum generalia.

I. Judicium in genere est adcurata caussæ controversæ discussio, & a legitimo judice facta decisio.

1) Dividitur

a) in *ecclesiasticum*, & *seculare*. t)
b) in *criminale*, & *civile*, u)
c) in *possessorium*, & *petitorium*, v)
d) in *ordinarium*, & *extraordinarium*, x)

t) Prout nempe coram judice *ecclesiastico*, aut *laico* agitur: vel caussæ *civiles*, aut *ecclesiasticæ* in illo discutiuntur, Schenkl. §. 731. Posteriore respectu sumtum judicium etiam *spirituale* & *profanum* vocari solet. Zech *de jud. eccles.* P. I. §. 3.

u) *Illud* est in quo de *pœna* in delinquentes & facinorosos exercenda, & de satisfactione universitati præstanda — *hoc* vero: in quo de *aliis rebus*, juribusve & de satisfactione ad privatum interesse agitur.

v) *Prius*: in quo de *possessione* — *alterum*: in quo de rei *proprietate* actio instituitur.

x) *Ordinarium*: in quo omnes juris & curiæ solennitates — *extraordinarium* seu *summarium*: in quo omnibus vel plerisque juris solennitatibus omissis, ea solum, quæ natura ipsa judicii requirit, adhibentur. Quondam omnia judicia ecclesiastica summaria fuisse erudite ostendit Fleury *Inst. J. E. P. III. cap. II. §. 4. seq.* De aliis judiciorum speciebus olim usitatis legatur Zech *cit. loc. §. 5. seqq.*

2) Origo judiciorum *ecclesiasticorum* a primis Ecclesiæ incunabulis repeti debet, ceu in jurisdictione Ecclesiæ *essentiali* fundata; y) distingui tamen debent

a) judicia jure *primigenio*,
b) & judicia jure *adventitio* ad Ecclesiam spectantia. z)

y) Vid. *prolog. cap. I. §. II. n. II. lit. a. not. r)*

z) *Illa* versantur circa caussas *spirituales*; *hæc* vero circa *temporales* quidem, quæ tamen sive *consuetudine*, sive Principum *privilegio* ad forum ecclesiasticum transiverunt. Cont. *P. I. cap. II. §. V.* Zech *cit. loc. §. 19. 20. seqq.*

3) Partes cujuscunque judicii sunt

a) caussæ controversæ *cognitio* & *discussio*,
b) judicis *sententia*,
c) sententiæ demum latæ *executio*. a)

a) Scopus enim cujusvis judicii est, ut cuique tribuatur, quod suum est. Ad hunc scopum obtinendum caussæ *cognitionem*, *discussionem*, *senten-*

 tiam

tiam, & hujus *executionem* necessaria esse media, res ipsa loquitur.

4) Tribunal locus ille vocatur, in quo judicia exercentur; talia *primis* Ecclesiæ seculis erant

a) loca *synodorum*,
b) *domus episcopales*. *b*) *Hodie* vero sunt
c) *Rota Romana*, quæ est *summum*,
d) *Nunciaturæ apostolicæ*,
e) *Consistoria*, seu *Vicariatus* Episcoporum. *c*)

b) Fleury *cit. loc.*

c) Vid. *P. I. cap. I.* & quoad Silesiam Joan, de Friedenberg *cit. loc. cap. X. §. XIX. tom. I.*

II. Judex, seu persona publica potestate prædita de caussis controversis cognoscendi, easque sua sententia terminandi

1) alius est

a) *ordinarius*, qui vi officii,
b) vel *delegatus*, qui ex *speciali* seu Superioris, seu legis *concessione* jurisdictionem exercet; *d*) hicque
c) alius *specialis*, si ad *aliquas* tantum,
d) vel *universalis*, si ad *omnes* caussas, & personas constituitur.

d) *Cap. 27. de offic. jud. deleg.* Conf. Pehem *cit. loc. §. 890 seq.*

2) Dotes judicis ex ipso fine, *veritatis* nempe investigatione, & *justitiæ* administratione metiendæ, sunt:

a) ut *scientia* sufficiente ad caussæ cognitionem,
b) atque *incorrupta voluntate* sit ornatus; & ut sit
c) *competens*, seu auctoritate & jurisdictione in *caussam* litigiosam & *reum* præditus. *e*)

e) Quis igitur *inhabilis judex* censendus sit, vid. apud Schenkl. *§. 736. Suspecti* judicis cognitionem ac sententiam partes nonnunquam recusare possunt. At quando? qua sub conditione? vid. *ibid.* item *cap. 61. de appellat.* & apud Pehem *§. 903. seqq.*

3) Competens vero judex esse poterit
a) ratione *domicilii*, vel *quasi-domicilii*, *f*)
b) — *contractus*, *g*)
c) — *rei sitæ*, *h*)
d) — *delicti*, *i*)
e) — *privilegii*, *k*)
f) — *prorogationis*, *l*)
g) — *continentiæ caussæ*. *m*)

f) Seu *loci*, in quo quis habitat cum animo vel perpetuo, vel ad longum tempus commorandi. Zech *cit. loc.* § *82.*

g) Pehem *cit. loc.* §. *969.*

h) Zech *cit. loc.* §. *84.*

i) Zech *cit. loc* §. *85.* Conf. *Trident. Sess. XXV. cap. 14. de Regular.*

k) Quod vel *caussam*, vel *personam* respicit. Conf. *cap. I. §. III.* & Zech *cit. loc.* §. *86. seqq.*

l) Dum *partes* litigantes *mutuo consensu* & *Superioris permissu* Judici alias incompetenti se subjiciunt.

Quod tamen tunc solum fieri posse docet §. 731. *cit. loc.* Schenkl, quando judex intuitu caussæ non plane incapax est, aut partes se se subjicere non prohibentur.

m) Nempe, cum plures caussæ vel *per se*, vel per *probationem* ita connectuntur, ut separari ab invicem nequeant. Conf. Zech *cit. loc.* §. 100. *seq.* item *cap.* 12. 18. *de foro compet.* Quousque *jus civile nostrum* ab *ecclesiastico* hac in re differat, ex *universali judiciorum ordine* in terris Prussicis servando (Allgemeine Gerichtsordnung für die Preußischen Staaten, Berlin 1795.) *P. I. tit. II.* abunde cognosci poterit.

4) Officium Judicis vel est

a) *generale*, seu obligatio leges ita ad caussas controversas adplicandi, ut inde justa decisio sequatur;

b) vel *speciale*, quatenus actu in certa caussa exercetur;

c) *nobile*, si absque actione, sola imploratione vel proprio motu suscipitur, *n*)

d) vel *mercenarium*, si actio præcesserit. *o*)

n) In caussis *civilibus privatis*, quæ utilitatem partium respiciunt, pro regula tenendum est, quod Judex prævia solum actione procedere possit, juxta illud vulgatum: wo kein Kläger, ist auch kein Richter. Aliud non raro in caussis ecclesiasticis obtinere debere, docet Zech *cit. loc.* §. 33.

o) Hoc in casu judex secundum naturam actionis totum processum dirigere, ac sententiam pronuntiare tenetur; ita tamen, ut supplere quædam aliquando possit, aliquando etiam debeat. Vid.

Pehem

Pehem *cit. loc.* §. *888.* Schenkl *cit. loc.* §. *739.*

5) Potestas Judicis *ordinarii* in eo versatur, ut possit

a) in *quocunque* territorii sui loco *judicia exercere*, & personas pro merito *punire*,
b) alios, nisi dotibus essentialibus destitutos, *p*) ad caussas discutiendas Judices *delegare*, *q*)
c) & sibi jus *primæ instantiæ* vindicare.

p) Recol. *præced. n. II.* 2. *lit. a*) *b*) *not. e*)

q) *Cap.* 7. *de offic. ord. in* 6. Caussæ tamen *ecclesiasticæ* non rite, nisi *Clericis* committuntur. *Cap.* 2. *de jud.* & *cap.* 11 *de rescript. in* 6.

6) Potestas Judicis *delegati* æstimatur

a) ex *natura caussæ* delegatæ, &
b) ex delegationis *formula*, *r*)
c) si pluribus *indefinite* caussa delegetur, uno absente, nec jus suum subdelegante, reliquorum processus nullus est; *s*)
d) si vero in *solidum*: uno vel pluribus impeditis, aut adesse recusantibus, reliqui licite ac valide procedunt, nec *subdelegatum* admittere tenentur. *t*)

r) Inde colligitur 1), delegatum non posse procedere ante præsentationem *rescripti delegatorii* sibi factam; (*cap.* 12. *de apell:*) nec 2) reum ante exhibitum sibi rescriptum eidem parere debere; (*cap.* 31. *de off. jud. deleg.*) 3) exacte servandam esse delegationis formam, (*cap.* 37. *ibid.*) nec par-

tium consensu mutandam, nisi restrictio concernat merum favorem partium, qualis esse potest clausula de tempore & loco: 4) delegationes stricti juris esse, salva tamen potestate circa connexa, & accessoria, sine quibus cognitio caussæ, & expeditio commissionis fieri non posset; (*cap. 5. ibid.*) 5) delegatum carere regulariter facultate exequendi sententiam suam, aut subdelegandi, nisi delegatio facta sit ad universitatem causarum, vel potestas subdelegandi expresse vel tacite concessa sit, (*cap. 26. de appell.*) vel a Papa delegatus sit; hujus enim amplior quam ceterorum potestas est. Vid. Pehem *cit. loc.* §. 893. Nempe censetur ceu Judex *ordinarius*, imo & ordinario *major* in caussa *delegata*, unde & *citare* partes; *compescere* contumaces, *ordinarium* ad executionem latæ a se sententiæ *obligare*, ac aliis quoque suam jurisdictionem *subdelegare* potest.

s) *Cap. 16. 22. de offi. jud. deleg.*

t) *Cap. 13 de rescript. cap. 16. 21. de off. jud. deleg.* Imo singuli seorsim, non requisitis aliis condelegatis, caussam cognoscere, & decidere valent, daturque *præventioni* locus, ita tamen, ut præveniente impedito reliqui caussam continuare queant, quando nempe delegatio in solidum sub clausula *disjunctiva* facta est, *cap. 8. ibid. in 6.*

7) Expirat vero Judicis *delegati* potestas
a) *morte delegantis* re adhuc integra, *u*)
b) *morte delegati*, nisi delegatio *intuitu dignitatis* facta sit, *v*)
c) *revocatione mandati*, quæ tamen *deleganti* tantum, non *subdeleganti* libera est, nisi hic eam sibi *specialiter* reservarit, *x*)
d) *caussa finita*, si delegatio *specialis* fuit,

e) *elapso*

c) *elapso tempore*, ad quod restricta erat delegatio. y)

x) *Cap* 19. 20. 30. *de offic. jud. deleg. cap.* 6. *ibid. in* 6. *Integra* autem *res* esse desinit statim, ac citatio partium a judice delegato fuerit decreta.

v) *Cap.* 14. *de off. jud. deleg.*

w) *Cap.* 24. *de rescript. cap.* 6. 7. 28. *de offic. jud. deleg.*

y) *Cap.* 4. 24. *ibid.*

III. Actor & Reus.

1) Agere, seu jus suum in judicio contra alium prosequi possunt

a) *omnes* præter *excommunicatos non toleratos*, imo & *tolerati* per exceptionem arcentur, nisi in caussa *excommunicationis suæ*, & *adpellationis* in eadem: z)

b) etiam *minores* decimum quartum annum ætatis jam egressi in caussis *ecclesiasticis*: a)

c) *Prælati*, etiam *sine consensu Capituli*, nisi in caussa *nimis ardua*, *magnarum expensarum*, & ubi jus *singulare* id prohibet, b)

z) *Cap.* 5. *de except.*

a) *Cap. ult. de jud. in* 6. *cap.* 14 *de restit. spol.*

b) *Religiosi* sine consensu sui Superioris agere prohibentur, nisi in caussa *beneficii*, cujus habent administrationem, in caussis item *defendendi monasterii* vel *Prælati*.

2) Conveniri possunt, c)

a) etiam *excommunicati non tolerati:* d)
b) *minores*, qui *agere* possunt:
c) etiam *fœminæ*, quas tamen jus *canonicum* cogi vetat, ut *per se ipsas* in judicio compareant. e)

c) Regulariter *omnes*, qui non excipiuntur.

d) Debent tamen per alium respondere in judicio. *Cap. 7. de jud.*

e) *Cap. 2. prin. de jud. in 6. Moniales* nequidem volentes in persona admittuntur; *ibid. eod.* Conf. *ordo judic. cit. P. I. tit I.*

IV. Advocati dicuntur, qui ea, quæ caussæ disceptationem, alteriusque partis defensionem spectant, exponunt.

1) Dotes & officia eorum:

a) sint viri *jurium periti, probi* atque *diligentes:*
b) caussas, *nisi probabiles*, & *clientibus* primum de probabilitate *admonitis*, non suscipiant:
c) *sincere*, absque dolo & tricis clientis caussam prosequantur, *ambages* devitent, nec *honorarium* laborem excedens exigant. f)

f) Reformato in provinciis nostris civilium processuum ordine in locum advocatorum, qui litigantibus jura suggerebant partesque eorum tuebantur, vulgo sic dicti *justitiæ commissarii* substituti sunt; de quorum *dotibus* ac *officiis* legatur cit. *ordo judic: P. III. tit. VII.*

2) Ab hoc munere excluduntur

a) *hæretici, excommunicati* saltem *non tolerati, infames: g)*
b) *clerici* coram judice *laico*, nisi *pro se, sua* ecclesia, aut persona *misera: h)*
c) *monachi* & *canonici regulares*, nisi *speciali Superioris mandato* instructi, & pro *suo* monasterio. *i)*

g) *Cap.* 13. *§* credentes: *de hæret. cap.* 8. *de sent. excom: in* 6.

h) *Cap. ult. de post. Minoristæ* tamen in foro etiam *seculari* advocati esse permittuntur, dummodo beneficium ecclesiasticum non habeant, & caussas criminales contra reum non suscipiant. *Cap.* 1. *eod.*

i) *Cap.* 2 *de post.* Fratres *minores* S. Francisci absolute incapaces sunt huius muneris etiam in caussa *sui* ordinis. *Clem.* 1. *de V. S.*

V. Illi, qui negotia aliena Domini mandato administrant, Procuratores vocantur.

1) Eorum species *variæ* sunt, dantur enim

a) *generales*, qui ad *quæcunque*,
b) *speciales*, qui ad *determinata* negotia constituuntur;
c) *judiciales*, qui in judicio,
d) *extrajudiciales*, qui extra judicium Domini sui negotia administrant. *k)*

k) *Cap.* 4. *de procur.* Procurator ab universitate constitutus, *Syndici*: a Principibus vero — *Rationalis Principis* nomine vocari solet.

2) Eo-

2) Eorum potestas desumitur
a) ex *mandato Domini, observantia,* & *justa præscriptione:*
b) ex *ficto* quodam *litis dominio,* vi cujus lite contestata alium pro se Procuratorem constituere possunt. *l)*

l) Si plures procuratores designati sint, idem de iis, quod de pluribus delegatis *præced. n. II. 6.* diximus, tenendum est.

3) Cessat hæc potestas
a) *moriente Domino,* lite *nondum* contestata: *m)*
b) *revocatione* Domini *expressa* vel *tacita: n)*
c) *renuntiatione* Procuratoris ex *justis caussis* facta. *o)*

m) Clem. ult. de procur.

n) Si nempe vel Dominus ipse negotium agendum reassumat, (*cap. 8 de procur. in 6.*) vel novum procuratorem constituat. *Cap. 3. ibid*

o) L. 8. §. ult. & L. 16. ff. de procur. Addunt aliqui: *finita instantia:* appellationem quippe procurator interponere, non vero prosequi tenetur, nisi forte sit generaliter constitutus ad omnes caussas. *Cap. 14 de procur.*

Eadem ratione jura & obligationes Syndicorum determinantur. Vid. Pehem *P. II. §. 930 seq.* Demum ab istis muneribus omnes, qui ab officio Advocati, arcentur; at pro se constituere Procuratores omnes possunt, quibus agendi jus est, & excommunicati ad sui defensionem. Conf. Idem *§. 922. seq.*

§. II.

§. II.

EA, QUÆ ANTE LITIS CONTESTATIONEM FIUNT.

I. Libellus est imploratio Judicis, qua actio in judicio instituenda proponitur. *p)*

1) Dividitur

a) in *solennem*, quo *scripto*,
b) *nuncupativum*, quo *viva voce* caussa litigiosa exponitur,
c) *conventionalem*, quo *Actor Reum* convenit,
d) *reconventionalem*, quo *Reus Actorem* reconvenit.

p) Seu est imploratio Judicis ad efficiendum, ut ea quæ ex præscripto legum a lædente nobis præstanda sunt, obtinere possimus.

2) Ejus dotes: *q)*

a) sit *brevis*, *clarus*, & *certus*;
b) contineat *nomen Judicis*, *Actoris*, & *Rei*;
c) *caussa* petendi *proxima* in actione *reali*, in *personali remota* indicetur; *r)*
d) *factum breviter*, & *perspicue* explicetur;
e) *petitum* ex *caussa* vel *facto* congrue & exacte formetur; *s)*
f) post litis contestationem *immutabilis* erit, nisi *reus indemnis* servetur; *t)*
g) *declarationis* tamen usque ad Judicis sententiam *capax* est. *u)*

q) Ex-

q) Exprimi his verſibus ſolent:

Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & a quo,

Recte compoſitus quisque libellus habet.

r) Conf. Pehem cit. loc. *§. 974.*

s) Ergo naturam Sillogiſmi imitatur libellus.

t) *Mutatio* libelli vel ad *eſſentialia* ejus pertinet, vel ad *accidentialia.* Illa in ſpecie *mutatio:* hæc *emendatio* dicitur, vel *declaratio.* Illam non niſi ſub conditione indemnitatis præſtandæ admittendam eſſe *Cap. 15. de jud. cap. 3. de ſent. & re jud. in 6* ſtatutum eſt.

u) Opusque habet ea vel maxime libellus *vitio plus petitionis* laborans, quando ſcilicet plus petitur *re, loco, tempore cauſſa.* Olim in plus petentes graviſſima pœna ſtatuta fuit (*§. 33 inſt. de act.*) mitigata deinceps per Imperatores (*L. 12 cod. de plur. petit. §. 33 inſt. de act L. 1. & 8. ff. de eo, quod certo loco*) quos ferme ſequitur Pontifex *cap. un. de plus petit.* Conf. Schrodt ad tit. *de plus petit. §. 195. ſeq.*

3) Ejus effectus.

a) Judex ſententiam *illi conformem* ferre tenetur:

b) *Actor* litem *proſequi* debet, ſi *Reus urgeat:*

c) *contra libellantem* probat. *v*)

v) *L. 13. cod. de non numer. pecun.*

II. De-

II. Denuntiatio Judicis, ut Reus pro cauſſa expedienda in judicio compareat, citatio audit. *x*)

1) Dividitur *y*)

a) in *realem*, quæ rerum aut perſonæ adprehenſione, vel *verbalem*, quæ ſcripto vel viva voce peragitur: *z*) poſterior abit

b) in *privatam*, ſi per adparitorem vel litteras, & *publicam*, quæ edicto publico, aut per præconem fit:

c) in *ſimplicem* & *peremtoriam*, quatenus dilationem patitur, vel eam ſub contumaciæ pœna vetat:

d) in *generalem* & *ſpecialem*, prout ad totam cauſſam, vel certum duntaxat judicii actum ſe extendit:

e) in *directam*, quam Judex vi propriæ poteſtatis exercet, & *ſubſidiariam*, ſi citandus ab alio Judice ſit requirendus, cujus jurisdictioni ſubeſt. *a*)

x) *Neceſſitatem* citationis vel hæc una evincit ratio, quod nondum auditum condemnare nefas ſit. *Clem. 2. de V. S. cap. 8. de major. & obed.*

y) Generaliſſime in citationem *juris* & *hominis*. Illa ab ipſa lege fit, certum terminum præfigente, intra quem actus neceſſario peragendus eſt. *Clem. 2. de pæn.* Quæ ſequuntur diviſiones, ad citationem *hominis* quam maxime pertinent.

z) Citationi *reali* in cauſſis *civilibus* locus non eſt, niſi debitor de fuga ſit ſuſpectus, aut alias ſingularis ejus contumacia adpareat. *L. 10. §. 16. ff. quæ in fraud. cred.* Conf. cit. *ordo jud. P. I. tit. VII. §. 18.*

a) De

a) De citatione *subsidiaria* legatur cit. *ordo judic. cit. loc.* §. 4. *seqq.*

2) Requisita *citationis legitimæ:*

a) contineat nomen *Judicis*, *b) personæ* citandæ, & ejus, *a quo* citatio *fuit impetrata.*
b) citationis *caussam:*
c) *locum judicii honestum* simul & *tutum:* c)
d) *diem termini* non angustum nimis, nec *feriatum.* d)

b) Ut adpareat citato a Judice competente citationem factam esse. In *ordinario* Judice sufficit quidem nomen dignitatis & officii exprimere: decretæ autem a Judice *delegato* citationi præterea *rescriptum delegationis* inserendum est. *Cap.* 29. *de offic. jud. deleg. cap.* 2. *de dilat.*

c) Conf. Zech cit. loc. *tit. VIII* §. 104.

d) *Clem.* 1. *de jud. cap. fin. de dilat. cap.* 4. *ut lite non contest. Ordo jud. tit. VIII:* §. 1. *seqq.*

3) Insinuatio citationis fieri debet

a) intra *citantis territorium:*
b) die *nulla feria* impedito:
c) in *Rei faciem*, vel ad ejus *ædes*, si absit:
d) *edictalis* seu *publica* in tali loco, ubi ad Rei notitiam venire possit, & tunc primum si alio modo citari nequeat. e)

e) Plura de modo insinuationis jure nostro civili præscripto vid. in cit. *ord. jud; cit. loc.* §. 19 *seqq.*

4) Effectus citationis *legitime factæ:*
a) obligat citatum *ad comparendum:* f)

b) jus

b) jus *præventionis*, & *litis pendentiam* inducit: *g)*
c) *præscriptionem* interrumpit:
d) Judicis *delegati jurisdictionem* firmat. *h)*

f) Si nempe facta sit a judice *competente*. *Incompetenti*, cujus incompetentia notoria est, utpote *extra limites jurisdictionis suæ jus dicenti impune non paretur*. At vero si dubia videatur jurisdictio, citatus comparere, & incompetentiam fori allegare debet. Pehem *cit loc.* §. 985

g) Cap. penult. de for. compet. Clem 2 *ut lit. pend.*

h) Cap. 20 *de offic. jud. deleg.* Conf. *ordo jud. cit. loc.* §. 48 *seqq.*

Hic quoque memoranda venit *novi operis nuntiatio*, qua quis a novo opere ædificando vel priori forma immutanda impeditur, nisi caussa prius plene fuerit cognita, aut satisfactio præstita: non tamen Principi jus adimit in territorio suo diversæ religionis consortibus ædificandi templa, modo subditi simultaneo crudo haud graventur. vid. *P. I cap II.* §. *VI. n. I. 3. a)*

III. Qui citationi *peremtoriæ* resistit, aut Judicis mandatis non obtemperat, contumax duitur. Contumacia vero

1) Dividitur

a) in *dolosam* vel *culposam*, prout vel dolo vel culpa interveniente committitur:
b) in *veram* vel *præsumtam*, si revera dolus vel culpa intercessit, vel intercessisse tantum præsumitur. *i)*

 i) Cap. 3.

i) *Cap. 3. de dolo & contum. cap. 7. de appellat.*

2) Pœnæ contumacis Rei:

a) si *ante litis contestationem*; Actori jus tribuit petendi, ut in bona Rei immittatur, k) vel *censuris* etiam *ecclesiasticis* ad comparendum compellatur: l)

b) si *postea*; Actor his ipsis remediis uti, vel suscepta probatione sententiam Judicis expectare poterit. m)

k) Vid. Schrodt ad tit. *de eo, qui mittitur in possessionem &c*: *§. 272. seqq.* Hæc tamen immissio in Camera imperiali abrogata est. *Recess. imper. de an. 1654. §. 36.*

l) *Cap. 1. ut lit. non contest.*

m) Conf. *ordo judic. cit. loc. tit VIII. §. 9. seq.*

3) Pœnæ contumacis Actoris:

a) *lite nondum contestata*; ni Reo expensas refundat, & caveat de judicio sisti, agendi jus amittit; n)

b) *postea* vero, Reus exigere potest, ut Actor trina vice citetur, deinde & probationem *negativæ* in se suscipere Reus poterit, judexque pro eo sententiam ferre, vel eum absolvere, Actoremque ad solvendas expensas condemnare tenebitur. o)

n) *Cap. 1. de dol. & contum. in 6.*

o) *Cap. 3. de dol. & contum.* Hæc de contumacia *vera* valent; contumacia enim *præsumta*, si doli & culpæ absentia probetur, nullum inducit præjudicium,

dicium. *Cap. 1. ut lit. non contest. cap. 6. de dol. & contum. cap. 18. de sent. & re jud.* De *remediis* contra sententiam de contumacia latam ex jure nostro civili adhibendis vid. *ordo jud. cit. loc. tit XIV. Sect. III.*

IV. Adlegationes rationum, quibus se Reus adversus actionem motam defendit, Exceptiones dicuntur, & dividuntur

a) in *dilatorias* & *peremtorias*, prout vel judicium, in quo actio proponitur, vel ipsum jus in judicium deductum impugnatur:

b) *dilatoriæ* rursus vel sunt *fori declinatoriæ*, si ratione fori vel Judicis: aut *dilatoriæ simpliciter*, si litigantium, modi procedendi &c: ratione impugnatur judicium:

c) *peremtoriæ* item aut *litis ingressum impedientes* sunt, aut *stricte sic dictæ*, quatenus litis contestationem impediunt, vel secus. *p)*

p) Tam *dilatoriæ*, quam *peremtoriæ* exceptiones plurimæ per jus utrumque diffusæ sunt, quas magno numero recitat Schrodt ad tit *de except. §. 443. seq.* Conf. etiam cit *ord. jud: tit. IX. §. 2 tit. V. §. 4.* Proponendæ vero sunt ordinarie *ante litis contestationem*, nisi aut postea natæ vel cognitæ, aut insanabilem processui nullitatem adferre ostendantur: semper item recipitur *exceptio excommunicationis*, & *loci non tuti*. Conf. Pehem cit. loc. *cap. IV. §. 1007. seqq.*

V. Inter exceptiones peremtorias memoranda præcipue Præscriptio, quæ est modus jus aut rem adquirendi, vel onus aut obligationem extinguendi per legitimam, tempore a legibus definito continuatam possessionem. *q)*

1) Ad *legitimam* præſcriptionem requiruntur

a) *res apta* præſcriptioni: *r*)
b) *bona fides*, ſeu conſcientia ab injuſtitiæ peccato libera: *s*)
c) *juſtus titulus*, ſeu cauſſa, ex qua res habetur; *t*)
d) *poſſeſſio* nec *naturaliter*, ſeu *amiſſione*, nec *civiliter*, ſeu *interpellatione extra*-vel *judiciali* interrupta: *u*)
e) *tempus* legibus definitum. *v*)

q) Varias præſcriptionis ſpecies vid apud Schenkl *§*. 751.

r) Res nempe & *in ſe*, & ab *hac certa perſona* debet poſſe præſcribi: præſcribere vero poſſunt omnes, qui jus in rem adquirere, vel ab obligatione liberari queunt. Res, quæ ſunt *extra commercium*, *juris divini*, *ſacræ*, *vitioſæ*, ſeu vi aut mala fide poſſeſſæ, præſcriptione adquiri non poſſunt, ſicut nec *limites Diœceſium*, & a *laicis* jurisdictio *eccleſiaſtica*. Nemo denique ab onere *obedientiæ canonicæ viſitationis* &c. præſcribendo liberatur. Conf. Schenkl *§* 752. Pehem *§*. 833

s) Circa eam jus canonicum a civili quoad duo recedit 1) quod hoc jure ſufficiat, bonam fidem *ab initio* præſcriptionis adeſſe; (*L. 48. §. 1. ff. de A. R. D.*) illo vero bona fides per *integrum* præſcriptionis *tempus* exigatur. *Cap. fin. de præſcr.* 2) quod jure *civili* præſcriptio *longiſſimi temporis* cum *mala fide* etiam inchoari poſſit, cum jus *canonicum* quamlibet præſcriptionem *absque bona fide irritam* conſtituat. Conf. Schenkl §. 752. *Schol.* 2.

t) *Ju-*

t) *Justus titulus* dicitur, qui in se ad transferendum dominium, vel jus habilis est. Estque *coloratus*, si licet occulto laboret vitio, justus tamen creditur: vel *existimatus*, si intervenisse censetur, quamvis non intervenerit: vel *præsumtus*, quem jura ob diuturnam possessionem adesse præsumunt. Ad præscriptionem *ordinariam* titulum *coloratum* aut *existimatum*: ad *extraordinariam*, ubi ipsum temporis spatium tituli loco est, *præsumtum* sufficere docent. Vid. Schenkl cit. loc.

u) Interruptio enim *naturalis* totam præscriptioni vim adimit, ita ut recepta possessione de novo inchoari debeat: *civilis* vero eandem ab exitu litis suspendit. Conf. Pehem cit. loc. §. 831.

v) Præscribunt vero leges ratione *mobilium triennium*; *decennium* ratione *immobilium* inter *præsentes*; inter *absentes vicennium*: contra Ecclesiam *Romanam* annos *centum*, contra *alias* ecclesias annos *quadraginta*, quod tempus etiam ad bona ecclesiarum *mobilia* extendendum videtur, cum jus *canonicum generatim* loquatur; *civile* vero ea *expresse* comprehensa velit. Conf. vero *Cod. Pruss. P. I. tit. IX. Sect. IX.*

2) Effectus præscriptionis:

a) Præscribentem in *dominio* rei præscriptæ pro *utroque foro* securum reddit, quod ob publicam quietem, certitudinem dominii, & acuendam Dominorum diligentiam potestas publica constituere certe potuit:

b) *Præscriptio immemorialis*, seu cujus initium hominum memoriam excedit, vim *privilegii* habet, & ad eas etiam se res extendit, quæ alias præscriptione vel omnino non, vel ex urgentissimis tantum rationibus ad-

quiri possunt, & exclusa generatim præscriptione, hæc exclusa non censetur. *x*)

x) De *præscriptionis contrariis*, quæ eam 1) vel initio impediunt, vel 2) ad tempus suspendunt, vel 3) cœptam interrumpunt. vel demum 4) completam rescindunt, vid: Schenkl §. 754.

VI. Litis contestatio est responsio Rei ad Actoris petitionem animo cum Actore litigandi facta. *y*)

1) Dividitur

a) in *veram* vel *fictam*, prout vere a Reo fit, vel ob ejus contumaciam lis pro contestata habetur:

b) in *generalem* vel *specialem*, quatenus Reus ab Actore narratis generatim contradicit, vel ad singula singillatim respondet: *z*)

c) in *puram*, si simpliciter, & *eventualem* si adjecta conditione fit. *a*)

y) Litis contestatione determinatur, quid controverversiæ actorem inter & reum intercedat; non inepte igitur *fundamentum judicii* esse dicitur.

z) *Specialem* equidem jus Germaniæ (*Recess. J. N. de an.* 1654. §. 37), non tamen canonicum requirit. *cap. 6. de juram. calum.*

a) Addunt alii, litis contestationem *solennem*, & *minus solennem*: *affirmativam* & *negativam*. Vid. Pehem *§. 1000. seqq.*

2) Ejus effectus ex parte Judicis:

a) *Jurisdictionem* ipsius *prorogat*.

b) nec *partes* illum nisi ex *caussa nova recusare* possunt. *b*)

b) Cons-

b) Conf. Schrodt ad tit. *de lit. contest.* §. 140. *seq.*

3) Effectus ex parte Actoris:

a) *mutatio libelli impeditur:* c)
b) *actio* fit *perpetua*, & *ad hæredes* transit.

c) Vid. *præced. n. I., lit. f. not. t*).

4) Effectus ex parte Rei:

a) via *Exceptionibus* regulariter occluditur: *d*)
b) *bonæ fidei possessio* interrumpitur:
c) utraque demum pars ad hanc *instantiam prosequendam*, & in judicio *comparendum* obligatur. *e*)

d) Vid. *n. præced. IV. not. p*).

e) Ista litis contestatio ita *necessaria* est, ut antequam saltem *eventualis* fiat, nec testes recipiantur, nec probatio admittatur, nisi aut caussæ natura, ut in matrimonialibus, provisionibus Prælaturarum &c: aut periculum amittendæ probationis aliud exigat. *Cap. 5. ut lit. non contest, cap. 4. de confir: util.*

§. III.

EA, QUÆ POST LITIS CONTESTATIONEM FIUNT.

I. Probatio est rei dubiæ & controversæ ostensio Judici legitime facta. *f*)

1) Dividitur

a) in *summariam* & *ordinariam*; in *priori substantialia* tantum, quæ natura probationis exigit; in *altera* etiam *solennitates* a legibus requisitæ servantur: g)

b) in *plenam* & *minus plenam*, prout argumenta adlata ad veritatem ostendendam sufficiunt, vel non: datur & *semiplena major*, vel *minor*. h)

f) Seu est actus, quo facti controversi veritas evincitur. Remedia ad veritatem facti evincendam adhibita, dicuntur *media probandi*, & *legitima* quidem, si rationem naturalem aut lege probatam contingeant factum adfirmandi: *spuria*, si ita comparata non sint. *Cap.* 27. *de test. cap.* 17. *de restit. spol*

g) *Prior* in judicio *summario* locum habet, tum etiam in caussis, quæ ordinario judicio incidunt, *posterior* in *judicio ordinario* requiritur. *Clem.* 2. *de V. S*

h) *Cap.* 2 *de prob.*

2) Probatio fiat in judicio, proin

a) in regula *lite tantum contestata*, & *ante sententiam*:

b) *coram judice caussæ*:

c) *intra tempus* a *lege* vel *Judice* præfinitum. i)

i) Actori, reoque certa temporis intervalla, quibus ad actum judicialem se commode disponant, indulgentur, *dilationes* dicta; hæ prout vel lege vel decreto judicis, vel consensu partium constituuntur, *legales*, *judiciales*, *conventionales* adpellari solent; atque cum jure canonico non sint certo definitæ, arbitrio judicis determinandæ relinquuntur. *Cap* 1. *seq. de dilat.* & *cap.* 3. 4. *de dol.* & *contum*:

3) Pro-

3) Probandum factum dubium; ergo

a) non quæ juris sunt *communis*, aut *juris præsumtione* munita, sed jura *partium* & *consuetudines*:

b) non *notoria*, vel ab adversario *concessa*, sed ab eo *negata*. *k)*

k) Ex *præced. not. f)*

4) Onus probandi incumbit factum adleganti; unde

a) Actor *actionis* & *replicationis*: Reus *exceptionis* & *duplicationis* fundamentum probare debet, sive fundamentum hoc in facto *adfirmativo* sive *negativo* consistat:

b) *factum neganti* ab *altero* adlatum non incumbit probatio, nisi in negatione *adlegatio novi facti* virtualiter contineatur. *l)*

l) Vulgares igitur regulæ; *actori incumbit probatio*; & *adfirmanti incumbit probatio, non neganti* exceptionibus obnoxiæ sunt. Conf. Pehem §. *1064. seqq.*

5) Finis probationis est, ut fides fiat Judici; quare

a) *directe* vel *indirecte* ad *merita caussæ* pertinere debet:

b) quantum caussæ ratio sinit, *clara* sit, *perspicua* & *certa*:

c) Actore *plene* probante Reus *condemnari*; eo non probante, Reus *absolvi* debet. *m)*

m) Tutius enim est absolvere reum, quam damnare innocentem.

6) Species probationum præcipuæ:
a) Notorium, sive *facti*, si ita hominum oculis patet, ut nulla tergiversatione celari possit: sive *juris*, si ex jure aut judicio oriatur, solaque adlegatione, non probatione indigeat:
b) Fama seu communis hominum opinio voce manifestata; hæc per duos saltem testes spectatæ fidei probari debet, qui & rationem hujus communis opinionis reddere debent, & cur ipsi etiam credant essari:
c) Inspectio ocularis, quæ summum probandi momentum habet, si Judice & partibus præsentibus, ac adhibitis testibus hujus rei peritis, & juramento adstrictis fiat:
d) Præsumtio est conjectura ex eo deducta, quod fieri *ut plurimum* solet, & loco probationis adlegata; quæ vel *juris* est, vel *hominis*, prout *lege* inducta est, vel *secus*. n)

n) Præsumtionis vis ex gradu probabilitatis facti æstimanda, ac ordinarie in partem meliorem præsumtio facienda est. Conf. Pehem *§. 114. seqq.*

II. Confessio est adseveratio illius, quod adversarius intendit. o)

1) Dividitur

a) in

a) in *veram*, si revera *verbis* aut *factis* æquivalentibus fiat, & *fictam*, si vel ob *contumaciam* vel *fugam* facta fingatur:

b) *judicialem* vel *extrajudicialem:*

c) *puram*, vel si conditio adponatur, *qualificatam:*

d) *discretam*, si obligatio & ejus caussa specifica, & *indiscretam*, si obligatio tantum exprimatur.

o) Ab aliis declaratio dicitur, qua quis veritatem facti proprii agnoscit.

2) Requisita illius:

a) sit *libera*, p)

b) *clara* & *certa*, q)

c) *judicialis* coram judice competente fiat. r)

p) Alioquin confessio vi & metu extorta, eo cessante revocari poterit. *Cap. 16. de offic. jud. deleg.*

q) Inde ex defectu *claritatis* id, quod ex actu confessato per consequentiam elicitur, non statim vim confessionis habet. *L. 6. princ: ff. de confess;* ex defectu *certitudinis* erronea confessio ita nulla est, ut confitens, si in continenti dicat se errasse, errorem probare non teneatur; (*Arg. cap. 7. de test. cog*) secus est, si errorem ex intervallo adleget. *Cap. ult. de confess.*

r) Unde confessio Clerici coram judice laico facta dicitur non tenere. *Cap. 4. de jud:*

3) Ejus effectus:

a) *judicialis* Actorem ab onere probandi liberat: s)

b) *in civilibus* vim *rei judicatæ* & *ſententiæ* obtinet: *t*)

c) *notorium juris* inducit, & *adpellationem* excludit: *u*)

d) *extrajudicialis* in criminalibus plerumque *ſemiplene* tantum probat;

e) in *civilibus* vero ut *plene* probet, *ſeria*, ab adverſario *acceptata*, *repetita*, & a *duobus teſtibus* probata ſit, oportet. *v*)

s) Vim enim pleniſſimæ probationis habet. *Cap*. 17. *de præſcript*.

t) *Cap*. 2. *de confeſſ*. *cap*. 10. *de transact*.

u) *Cap*. 7. *de cohab. cler.* & *mulier*. *cap*. 61. *de adpell*. *cap*. 3. *ibid*. *in* 6.

v) *Arg*. *cap*. 10. *de prob*. Conf. *ordo judic*. *tit*. X. *Sect*. II.

III. Teſtes dicuntur perſonæ in judicium evocatæ, & idoneæ ad facti veritatem dictis ſuis evincendam, qui

1) ſint fide digni, ideoque

a) nec *ſcientiæ defectu* laborare,

b) nec de *falſo dicendo* ſuſpecti eſſe debent. *x*)

x) Dotes hæ in aliquibus vel plane non, vel non omni ex parte reperiuntur: inde eſt, quod quidam *abſolute*, alii *certo* tantum *intuitu* vel *perſonarum*, vel *cauſarum* pro non idoneis habeantur. De his infra.

2) Legitime evocentur, *y*) proin

a) non *ultro* ſe offerant, ni ſuſpecti haberi velint;

b) ſed *partes* a Judice petant, ut teſtes citentur, eisque articuli probandi exhibeantur;

c nec

c) nec teſtis ſic legitime evocatus a teſtimonio dicendo ſe ſubtrahere poteſt, niſi arctiori aut *ſecreti*, aut *naturalis neceſſitudinis* obligatione teneatur. *z)*

y) De modo evocandi teſtes legatur Pehem §. 1077. Conf. vero cit. *ordo judic: tit. X. Sect. IV.* §. 169 *ſeqq.*

z) Cap. 2. de off. jud. ord. cap. 12. de pœnit. Pehem §. 1083. *ſeqq. Ordo judic. cit. loc.* §. 179. *ſeq.*

3) Rite examinentur.

a) Teſtes in judicio remotis partibus *ſecreto* interrogentur ad ſingulos articulos tum a partibus, tum a judice propoſitos;

b) reſponſa in *ſcripturam* fideliter reducta teſti *iterato* prælegantur;

c) hocce inſtrumentum, *rotulum* vocant, partibus *publicetur. a)*

a) Conf. *ordo judic. cit. loc.* §. 188. *ſeqq.*

4) Facta hac publicatione

a) nec *iidem*, nec *alii* teſtes ſuper *iisdem* articulis, aut his directe *contrariis* admittuntur, *b)* quamvis mutua impugnatio, & defenſio adteſtationum locum habere queat. *c)*

b) *Adteſtationes* ſic publicatæ in alia inſtantia fidem faciunt; *d)*

c) nec contra teſtium perſonas *exceptiones* ultra *regulariter* admittuntur. *e)*

b) Cap. 17. 18. 25. 29. 48 de teſt. Clem. 2. ibid. Niſi juſta ratio, aut qualitas cauſſæ, nempe crimina-

lis vel matrimonialis id permittat. *Cap.* 26. *ibid.*

c) *Cap.* 15. *de test.*

d) *Cap. fin. de prob. cap.* 11. *de test.*

e) Nisi pars sibi eas reservarit, aut caussa suspicionis primum innotuerit, aut pars *juramento malitiæ* doceat, se ad hanc oppositionem bona fide venire. *Cap.* 31. *de test. cap.* 2. *ibid. in* 6. Conf. *ordo jud. cit. loc.* §. 234.

5) Auctoritas testium.

a) *Unus* nisi persona *publica* de actione *sui* officii testificans, vel nisi de *peccato impediendo* agatur, *plene* non probat; *e)*

b) sed sufficiunt *duo* sibi consentientes & *omni exceptione majores*; *f)*

c) testes *singulares* sibi *contradicentes*, *nihil*; qui sibi *adminiculo* sunt, *semiplene* & in *civilibus plene* sæpe probant; *g)* testis *vacillantis* testimonium nullum est, ni statim errorem revocet; testimonium *variantis* non quidem mox rejiciendum, sed an fraus nulla subsit, examinandum.

e) *Cap.* 23. 28 *de test.* Plures ab hac regula exceptiones vid: apud Pehem §. 1080.

f) *Cap.* 4. 23. 28. *de test.* Nisi specialis juris, præsertim canonici, dispositio plures testes desideret, ut in *purgatione canonica* (*cap.* 10. 12. *de purg. can.*): in quæstione de *impotentia conjugum* ad dissolvendum matrimonium, *cap.* 5. & 7. *de frigid.*

g) Conf. Pehem §. 1082.

6) A

6) A teſtimonio dicendo excluduntur *h)*

a) *rationis impotes*, aut *cauſſæ cognitione deſtituti*

b) *perjuri, de falſo convicti, corrupti*, aut *facile corrumpendi;*

c) *infames, hæretici;*

d) *Judæi pro Judæo contra Chriſtianum*, aut *inimicus* contra *inimicum;*

e) *arctiori nexu* cum iis, pro quibus, aut contra quos teſtentur, *conjuncti;*

f) *Laici* contra *Clericum* in cauſſa *criminis*, niſi res notoria ſit aut ſcandaloſa, vel alii haberi nequeant;

g) *Clerici* in cauſſa *ſanguinis* contra *reum;*

h) omnes in *cauſſa propria*, aut ubi *ſpeciale* in teſtem *commodum*, aut *incommodum* redundare poſſet. *i)*

h) Scilicet vel 1) *abſolute*, vel 2) *intuitu certarum perſonarum*, vel 3) intuitu certarum *cauſſarum.*

i) Vid. Pehem §. 1070. Conf. *ordo judic. cit. loc.* §. 227. *ſeqq.*

VI. Inſtrumenta ſunt ſcripturæ ad fidem de facti veritate faciendam idoneæ.

1) Dividuntur

a) in *privata*, quæ a perſonis *privatis; publica*, quæ a perſona *publica*, *qua tali* ſunt confecta; *k)*

b) in

b) in *originalia*, seu primitus condita; *transsumta*, seu *copias*, quæ ex originalibus sunt descripta, & *vidimata* vocantur, si a persona publica cum originali collata sint.

k) *Cap. 2 de instrum.* Publicis æquiparantur sic dicta *authentica* seu ea, quæ sigillo publico sunt munita, ex Archivio publico depromta, aut trium testium adhuc viventium manusque suas agnoscentium subscriptione firmata; *cap. eod. ibid.* aut *ordo jud. tit. X.* §. 123 *seqq.*

2) Instrumentorum vis.

a) *Publica authentica*, & debitis solennitatibus *vidimata plene. l)*

b) *privata* pro *scribente* per se *nihil; contra ipsum plene* probant. *m)*

l) *Cap. penult & fin. de fid. instrum.*

m) *Cap. 14 eod.* Possunt tamen per *accidens* etiam pro scribente probare, nempe 1) si ab adversario sint producta, aut 2) ex antiquitate temporis, vel ex qualitate personarum fidem mereantur: vel 3) si eis ex speciali lege vel consuetudine vis probandi sit conciliata. *Cap 13. de prob. cap. 13 de præscript.* Conf. *ordo judic. cit. loc.* §. 158. *seqq.*

3) Productio instrumentorum.

a) Jure *germanico* mox cum libello adferri possunt;

b) quod tamen non nisi *post litem contestatam* fieri solet, & jure canonico *usque ad litis decisionem* licet; *n)*

c) &

c) & *primo* quidem *Copiæ*, *post* etiam ipsa *Originalia* coram adversario Judici ante caussæ decisionem producenda sunt; o)

d) *post decisionem* contradicente adversario instrumenta producere haud licet, nisi *noviter* reperta probentur, p) aut in caussis *matrimonialibus*, & *criminalibus*;

e) instrumenta Judici *integra*, parti adversæ quoad ea tantum, quæ ad *litem* spectant, exhibenda sunt; q)

f) sic producta adversarius *recognoscere*, *diffiteri*, aut *falsa probare* tenetur. r)

n) *Cap. 9. de fid. instrum.*

o) *Ordo judic. cit. loc. §. 110. seq.*

p) *Cap. 8. in fin. de elect. in 6. cap. 4 de excepti.*

q) *Cap. 5. de fid. instrum. ordo judic. cit. loc. §. 99.*

r) *Ordo judic. cit. loc. §. 134 seqq. 126.*

4) Editio instrumentorum.

a) *Actor Reo*, & *hic illi* edere debet instrumenta *communia*, petentis *propria*, & ea, sine quibus veritas haberi nequit.

b) *Actor* insuper ea omnia, quæ ad *defensionem* & *exceptionem*, *reus* vero solum, quæ ad *replicationem* probandam sunt necessaria; s)

c) *Tertium*, nisi damnum ei immineat, ad editionem instrumenti cogi posse, jure communi concessum videtur. t)

s) *Cap. 1. de prob.* Conf. Reiffenstuel *ad tit. de fid. instrum. n. 251.*

t) Leges *juris* nostri *civilis*, secundum quas editio instrumentorum a tertio peti potest, vid. *in ordine judic. cit. loc* §. 101 Quid jus *canonicum* hac de re doceat, P. Engel ad *tit. de fid. instrum.* fusius exposuit.

5) Impugnatio instrumentorum fit

a) ostensione *vitii subpositionis*, *rasuræ* in loco suspecto, *sigilli* non congrui;

b) *instrumentis contrariis*;

c) *testibus inscriptis*, manusque suas negantibus; vel *extraneis* de falsitate instrumenti testantibus; *u*)

d) scripturam vero suam negans ad *diffessionis* juramentum obligatur. *v*)

u) Conf. Pehem *cit. loc.* §. *1095. seqq.*

v) Conf. *ordo judic. cit. loc.* §. *134 seqq.* De auctoritate instrumentorum in casu *collisionis* cum testibus hæc notanda sunt: in probatione 1) factorum & rerum antiquarum; 2) caussarum publicarum; 3) negotiorum, quæ per instrumenta expediuntur, aut quorum 4) memoria solidius per scripturam conservari potest, & solet, præponderat instrumentorum fides. Schrodt ad *tit. de fid. instrum.* §. 379 *seq.* Idem fere in *ordine judic: tit. XIII.* §. *18. seqq.* legitur.

V. Jusjurandum actus est religionis, quo Deus in testem veritatis, & falsitatis vindicem vocatur. *x*)

1) Dividitur

a) in *promissorium*, quod de futuris, & *adsertorium*, quod de præteritis præstatur; *y*)

b) in

b) in *solenne*, & *minus solenne*; *z*)
c) in *judiciale*, & *extrajudiciale*;
d) in *litis decisorium*, quod litis finiendæ caussa fit; & *litis æstimatorium*, quo rei litigiosæ æstimatio vel ex vero *pretio*, vel ex peculiari in illam *adfectu* adseritur;
e) *voluntarium*, quod pars parti offert; *necessarium*, quod altera pars aut judex exigit;
f) *subpletorium*, quod ad complendam probationem; *purgatorium*, quod ad elidendas præsumtiones præstatur. *a*)

x) Maximum expediendarum litium remedium esse dicitur *L. 1. ff. de jurejur.*

y) De juramentis *promissoriis extrajudicialibus* sapienter *in ordine judic: tit X. Sect. V. §. 248.* statutum est: ut personæ privatæ ea a se invicem non exigant; abusus vero eorum secundum Codicis universalis *P. II. tit. XX. §. 1425-1430.* leges puniantur.

z) *Illud* publice ad reliquias Sanctorum, sacra evangelia &c.; *hoc* vero absque speciali solennitate præstatur.

a) Paullo adcuratius juramenti varias species descripsit Pehem *§. 1099. seqq.*

2) Requisita.

a) Dei *nomine* invocato, *verbis* vim juramenti exprimentibus, *animoque* jurandi prolatis fieri debet; nil tamen interest, sive *ore* sive *scripto*, seu per *alium speciali mandato* instructum fiat, nisi *expresse* mandatarius excludatur. *b*)

b) *Veritatem, judicium,* & *justitiam* comites habeat, proin nec *frequenter nimis*, nec *temere*, aut sine necessitate dici vel exigi, nec ab iis admitti, debet, qui ejus vim intelligere, & revereri nesciunt; nec *contra bonos mores* aut *in præjudicium tertii* præstitum vim obligandi habere potest. *c)*

b) Nec necesse est eandem semper in jurando formam adhibere; sed pro diversa jurantis religione diversa admitti & potest, & debet. Quare alio modo jurat Judæus, alio Græcus, alio Muhametanus, ac Christianus. Vid. *ordo judic. cit. loc.* §. *316. seqq.* Memnonitis sufficit verba adhibuisse, quibus eandem, quæ Christianorum juramentis inest, vim tribuunt; *ibid.* §. *203. n. 5.*

c) Corollaria ex hac propositione deducenda vid. apud Pehem *cit. loc.* §. *602.*

3) Effectus.

a) Actibus *validis* ex eo nova accedit obligatio *religionis; d)*

b) actus vero in *solum jurantis favorem*, cui is renuntiare censetur, *invalidos*, dummodo *non malos*, confirmat. *e)*

d) Connectuntur enim per juramentum cum actu nova & distincta ex perfectionibus divinis desumta motiva (*vid. def. n. V.*) at connexionem motivorum ejusmodi tanquam momentorum cum actione libera obligationem religionis vocant. Vid. L. Baro de Martini *Posit. d. L. N. cap. II.* §. *71.*

e) Pehem *cit. loc.* §. *606. seqq.*

4) Ju-

4) Juramento litis deciſorio propria:

a) *Voluntarium*, quod & *extra judicium* locum habet, nititur *ſola partium conventione*, & ab illis, qui & alias de rebus suis tranſigendi jus habent, *deferri*, pro libera vero partium voluntate *recuſari* aut *acceptari* poteſt: *f)*

b) *judiciale deferri* poteſt ſaltem *poſt probationem ſemiplenam* præſtitam, ac neceſſario vel *acceptandum* vel *referendum* eſt; *g)*

c) *neceſſarium* a Judice illi parti, quæ *ſemiplene* probavit, *defertur*, quæ ſi *recuset*, cauſſa *cecidiſſe*, ſi *præſtet*, probationes ſuas *compleſſe* cenſetur. *h)*

f) Arg. L. 2. ff. de jurejur. Semel autem susceptum omnino præſtandum absque mora, & in ea quidem forma, quo delatum eſt, niſi deferens illud remiserit, quo facto habetur pro præſtito in cauſſa privati arbitrii. Conf. *ordo judic. tit. X. Sect. V. §. 252. ſeqq.*

g) L. 12 cod. de R. c. & jurejur. Conf. *ordo judic.* § *286. ſeqq. cit. loc.*

h) Cap. 7. & 15. de purgat. can. item *ordo judic. tit. XXII. & tit. XIII. §. 11. ſeqq.*

5) Juramentum calumniæ illud vocant, quo partes se bona fide litigaturas, et ab omni fraude alienas eſſe adſeverant.

a) *Generale*, seu illud, quod poſt litis contestationem intuitu *totius cauſſæ* præſtatur, tam ab *Actore*, quam a *Reo* præſtari debet, &

& a Judice toto litis pendentis tempore exigi potest, *h)*

b) hoc partes *expresse* sibi *remittere* nequeunt; verosimilius tamen *tacite*, cum plerisque in locis illud omnino cessaverit; *recusans*, tamen pro *confesso* habetur; *i*)

c) *speciale*, seu id, quod intuitu *certi articuli*, præstatur, *pars a parte* exigere potest, quoties Judex justam fraudis suspicionem subesse crediderit; *k*)

d) *recusans* illius actus bono privatur. *l*)

h) *Cap.* 1. *de juram. calum. in* 6.

i) Conf. Van Espen *P. III. tit. VII. cap. IV.*

k) *Cap.* 2. *de juram. calum. in* 6.

l) Conf. *ordo judic. tit. XXII.* §. 37. *seqq.*

VI. Conclusio caussæ ea actio vocatur, qua partes ulterioribus caussæ probationibus renuntiant, eamque Judicis decisioni submittunt:

a) *generalis*, quæ *totam caussam*; *specialis*, quæ *articulum tantum aliquem* respicit;

b) *expressa*, si verbis fiat, *tacita* seu *ficta*, si partes terminum *peremtorium* elabi sinunt;

c) *facta conclusione* novæ probationes a partibus haud recipiuntur, *m*) Judicem tamen nil impendit, quo minus ea decernere possit, quæ ad caussæ instructionem meliorem pertinere videbit. *n*)

m) Ex

m) Excipiuntur caussæ criminales, de peccato impediendo, pupillorum & Ecclesiarum; si nova instrumenta reperiantur, pars adversa contra se confiteatur, aut facti evidentia ostendi queat. Conf. Schenkl §. 768. *Schol.*

n) *Ordo judic. tit. XII.* §. *6. seqq.* Conclusionem sequitur *inrotulatio.* Quid vero hæc sit; aut qua ratione fieri debeat, vid. cit. mox loc. §. *9. seq.*

VII. Sententia est caussæ controversæ, riteque disceptatæ a Judice facta decisio:

a) *definitiva,* quæ caussam *principalem; interlocutoria,* quæ articulum in causæ decursu *incidentem* definit;

b) *interlocutoria mixta;* quæ cum caussa principali nexum habet; *simplex,* quæ nullum;

c) *interlocutoria* vim *definitivæ* habens, si ab ejus decisione decisio *definitivæ* pendeat.

1) Sententia ferri debet

a) a Judice *competente o)* debitis *solennitatibus* adhibitis *p)* aut per vota *majora,* si plures sint Judices, *æqualia* enim Reum *absolvunt q)*

b) sit *juribus receptis conformis,* pro caussæ ratione *determinata* & *certa,* nullique *conditioni* adstricta, quæ statim impleri nequeat, aut ulteriore cognitione indigeat. *r)*

o) *Cap. 4. de jud.*

p) Vide Pehem cit. loc. §. *1126.*

q) si judices sint *ordinarii*. Si enim *delegati* fuerint, decisio a delegantis pendet adprobatione. *Cap. ult. de sent. & re jud.*

r) Conf. Pehem cit. loc. §. 1125. *Ordo judic. tit. XIII. §. 36. seqq.*

2) Publicari debet

a) ex *scripto*, partibus ad id citatis, s)
b) ab ipso *Judice pro tribunali* sedente, nisi Episcopus fuerit, aut alia persona illustris; t)
c) die *non feriato*. u)

s) *Cap. ult. de sent. & re jud. in 6. Clem. 2. eod.*

t) *Cap. ult. ibid. in 6.*

u) Conf. *ordo jud. cit. tit. §. 44. seqq.*

3) Effectus sententiæ latæ et rite publicatæ:

a) nisi partes intra *decem* dierum spatium *adpellationem* interponant, vim *rei judicatæ*, consequitur; v)
b) *probationem obpositam & actionem excludit*, nisi in casibus *exceptis*; x) inter partes enim jus *perpetuum* constituit, & pro *veritate* habetur. y)

v) Est vero *res judicata* lis Judicis sententia ita decisa, ut inter partes vim legis obtineat.

x) Videantur apud Schenkl §. 769. *Schol.* 2.

y) Hoc tamen ultimum ad forum *externum* solum extendendum videtur; nec enim jus *naturæ*, nec jus *positivum*, aut *boni publici necessitas* exigit, quo minus

minus *malæ fidei Possessor* obligetur ad *restitutionem* post latam sententiam, contra ac in *præscriptione* fit.

§. IV.

EA, QUÆ POST LITIS DECISIONEM FIUNT.

I. Executio ille actus dicitur, quo res judicata, si parere condemnatus renuit, auctoritate Judicis per remedia coactiva in actum deducitur, estque

a) *principalis*, quam Judex *propria* auctoritate, z)

b) *subsidiaria*, quam *alius* ad Judicis implorationem exercet, cui vel ipse victus, vel ejus bona subsunt; *a*)

c) *prior* fieri debet a Judice *ordinario*; delegatus enim, nisi *summi Principis* sit, aut *Pontificis*, aut nisi ei executio *specialiter* demandetur, hac potestate præditus haud censetur; *b*)

d) in caussa *reali* statim fit executio, *c*) nisi *restitutio* probetur *impossibilis*, aut *tertius* se obponat, cui præjudiciosa esse posset;

e) in *personali quadrimestre* conceditur, hodie vero vix non ubique Judicis arbitrio relinquitur. *d*)

z) Sive *immediate* ipse, sive *mediate* per executorem delegatum peragit: qua quidem delegandi facultate judicia superiora gaudent. *Cap. 5. de sent. et re jud.*

 a) Quo-

a) Quoniam subsidiarius executor executionem vi requisitionis peragit, fines ejus egredi, & de exceptionibus, quæ ipsi sententiæ opponuntur, cognoscere nequit, quamvis nihil prohibeat, quin judicet de exceptionibus, quibus mandata ei executio impugnatur. *Cap. 28. §. 3. de off. jud. deleg.* Conf. *ordo judic. tit. XXIV. §. 26. seqq.*

b) Conf. *§. I. n. II. 6. huj. cap.*

c) *Cap. 5. de sent. & re jud.* Conf. *ordo judic. ibid. §. 2 seq.* & *ibid. Sect. II.*

d) *Cap. 15. ibid.* Ad executionem *subsidiariam* maxime spectat sic dicta *invocatio* brachii *secularis* & imploratio *potestatis ecclesiasticæ*, dum judex *ecclesiasticus* a *seculari*, aut *hic* ab *illo* auxilium petit. Conf. *Cap. 14. de off. jud. ord. cap. 10. de jud.*

II. Inter impedimenta executionis primo memoranda venit adpellatio, qua judex *superior* imploratur, ut gravamen ab *inferiore* illatum tollat. *e)*

Dividitur

a) in *judicialem*, quæ ob gravamen per *sententiam*,

b) & *extrajudicialem*, quæ *ob aliud gravamen* a judice illatum interponitur. *f)*

1) Adpellare potest quivis gravatus etiam tertius, nisi

a) *ob veram contumaciam* sit condemnatus; *g)*

b) in

b) in judicio *ſponte confeſſus*, aut *evidenter convictus*; *h)*
c) gravamen jam ſit *ſublatum*;
d) admittitur tamen, ſive gravamen *præſens* ſit, ſive *futurum*. *i)*

e) Nomine *gravaminis* hic loci venit, quidquid adverſus jus alterius suscipitur.

f) Cap. 12. de appell. cap. 1. 3. ibid. in 6. Clem. 1. ibid.

g) Conf. Schrodt loc. cit. §. 269.

h) Cap. 14. 28. 61. de appell.

i) Cap. 13 & ſeq. de appell.

2) Adpellatio admittitur in omnibus cauſſis, præterquam

a) in cauſſis *poſſeſſionis momentaneæ*, aut moram non ferentibus. *k)*
b) poſt *trinam ſententiam conformem*, aut ſi res ſit *evidens*; *l)*
c) a *ſententia interlocutoria*, niſi vim definitvæ habeat. *m)*

k) Conf. Pehem §. *1138. ordo judic. tit. XIV. §. 3.*

l) Cap. 95: de appell.

m) Concil. *Trident: Seſſ. XXIV. cap. 20. de reform.*

3) Adpellari quoque potest a quovis Judice Superiorem habente, nulloque *de non adpellando* privilegio gaudente

a) ad *Superiorem*, cui Judex *proxime* ſit ſubjectus; *n)*

b) in

b) in caussis *ecclesiasticis* ad Judicem *ecclesiasticum*,

c) *instantiis* et *ordine non servatis* ad *intermedium* remittitur. *o*)

n) A *delegato* quoque ad *delegantem*.

o) Ne alteri beneficium intermediæ instantiæ intercipiatur.

4) Adpellatio ut effectum sortiatur

a) *rite* est *interponenda*, nempe *intra decendium* a lata sententia a *præsente*, a *tetertio* vero vel *absente intra decendium* a tempore cogniti gravaminis vel sententiæ; & quidem vel illico coram Judice sententiam ferente, vel si ejus copia non sit, coram Notario & Testibus; petendæ insuper *intra triginta dies* litteræ, (*Apostolos* vocant) quibus Judex inferior de interposita adpellatione testetur; *p*)

b) *rite* est et *introducenda* et *prosequenda*; scilicet adpellans intra tempus, vel lege præfixum vel a Judice statuendum, offerat libellum adpellationis et gravaminum, petatque, ut Judex inferior in caussa ultra procedere prohibeatur, et Acta primæ instantiæ transmittere cogatur; sua item gravamina justa et vera esse demonstret. *q*)

p) *Cap. 9, de appell. in 6.*

q) Conf. *ordo jud. ibid. Sect. II. III.*

5) Es-

5) Effectus:

a) Facta adpellatione sententiæ *executio* in regula ſuspenditur;
b) cauſſæ cognitio et deciſio ad *ſuperiorem* devolvitur;
c) tota cauſſa in *ſtatum priſtinum* reducitur;
d) adpellatio adverſus *totam* sententiam *utrique* parti prodeſt;
e) sententia prior vel *confirmatur*, et *temere* adpellans ad *expenſas* damnatur;
f) vel *reformatur*, et *utraque* pars solvit *expenſas*, ac Judex, ad quem adpellatum eſt, executionem decernit. *r)*

r) Schenkl §. 777. Conf. *ordo jud. cit. loc.* §. 5 *ſeqq.* Adpellationem sequi non raro solet in cauſſis civilibus majoris momenti *Reviſio*, cujus ab adpellatione discrimen, ac modum vid: in *ord. judic. cit. P. tit. XV.*

III. Querela nullitatis, qua lata sententia ut nulla impugnatur *s)* Jure nostro civili *t)*

1) inſtitui poteſt, ſi sententia lata ſit

a) ex *falſa cauſſa; u)*
b) *contra legem; v)*
c) aut a Judice *jurisdictionem*, vel ejus *exercendæ jus* nondum habente. *x)*
d) *actore* aut *reo*, quem ſine Curatore ad judicium admittendum non eſſe leges statuunt, admiſſo; *y)*
e) *Procuratore* ſive *nullo* ſive *falſo mandato* inſtructo; *z)*

f) de-

f) demum ſi in *contumaciam* lata eſt contra eum, cui citatio non fuerat inſinuata. *a)*

s) Plurimas nullitates recenset Vantius & alii.

t) Vid *ordo judic. tit. XVI.*

u) *Ibid.* §. 2.

v) *Ibid.* §. 2. *n.* 2.

x) *Ibid. n.* 3.

y) *Ibid. n.* 4.

z) *Ibid. n.* 5.

a) *Ibid. n.* 6.

2) Effectus:

a) ſententiam et proceſſum, quo illa nititur, *nullum* reddit, *b*)
b) *ſalvis* tamen illis proceſſus *actibus*, qui advenientem nullitatis cauſſam *præceſſerunt. c*)

b) *Ibid.* §. 8.

c) *Ibid.* §. 9. Conf. §. 10.

IV. Restitutio in integrum beneficium Juris eſt, vi cujus negotium auctoritate judiciali ob juſtam cauſſam reſcinditur.

1) Reſtitutio in integrum concedenda

a) tantum *in defectu* alterius remedii *ordinarii*;
b) *majorennibus* raro, et non niſi in cauſſa *ſpecialiter* in Jure probata;
c) facilius *minorennibus*, Eccleſiis et Corporibus eccleſiaſticis;

d) hoc

d) hoc item privilegio *una* Ecclesia *contra aliam* uti potest. *c*)

c) *Ordo judic. cit. tit. §. 12. seqq.*

2) Petenda est

a) a Judice *competente* illius, contra quem petitur;

b) intra tempus *quadriennii* factæ, vel in casu ignorantiæ *cognitæ* læsionis. *d*)

d) Si ex capite *minorennitatis* petitur restitutio in integrum, *intra quadriennium* — si vero ex *noviter repertis* — *intra decenniam* a die *latæ sententiæ* petendam esse jura nostra statuunt Vid. *ord. judic. cit. loc. §. 13. 19.*

3) Effectus:

a) nomina in *priorem statum* restituuntur; proin ea pendente nil *innovari*, nec sententia executioni dari potest;

b) *res cum fructibus*, nisi *bona fide* consumtis, aut *legitime præscriptis*, refusis impensis restituenda est. *e*)

e) Jus civile nostrum minorem restitutioni in integrum effectum tribuit. Vid. *ord. jud. cit. loc. §. 16. 28.*

V. Reconventionem supra §. II. n. I. lit. d. actionem diximus, quam Reus adversus Actorem instituit. *f*) regulas circa eamdem has statuunt:

a) *reconvenire possunt omnes*, quibus *agendi jus* est;

b) *locum habet in omni caussa*, sive *connexa*, sive *diversa*; *g*)

c) *institui potest* coram *eodem Judice* sive *ordinario*, sive *delegato*, modo caussæ reconveniendæ sit capax; *h*)

d) *non tamen coram Arbitro*, aut *in instantia adpellationis*. *i*)

f) Adde: *in eodem judicio*, *licet* respectu actoris *incompetente*.

g) Non nullis exceptis; vid. Zech *de jud. eccl. tit. XIX.* §. 222. *ord. judic. tit. XIX.* §. 17.

h) *Cujus enim in agendo quis observat arbitrium, eum habere et contra se Judicem in eodem negotio non dedignetur: Can. 1. Causs. III. quæst. 8.*

i) *Primum*, ne potestas arbitri *ultra compromissum* extendatur; *alterum*, ne actor beneficio *primæ instantiæ* privetur.

VI. Processus summarius est, in quo omissis solennitatibus substantialia solum judicii observantur. *k*)

1) Causæ per se summariæ sunt:

a) *caussæ spirituales*, ad quas *matrimoniales*, *beneficiales*, & caussæ *decimarum* referendæ sunt;

b) *caussæ usurarum*;

c) *caussæ Pauperum*, *Pupillorum* et *Viduarum*; *l*)

k) Quod tum fieri solet, quando caussæ sive *ex natura* sua, sive *per accidens* moram non patiuntur.

l) *Clem 2. de jud.*

2) Caus-

2) Caussæ per accidens summariæ ſunt

a) *per Reſcriptum Principis;*
b) *per mutuum partium conſenſum.* m)

m) Recte tamen monetur judex: ne ita cauſſas has ſummarie pertractet, quin probationes *neceſſariæ* admittantur.

VII. Processus possessorius, qui inter ſummarios numeratur, ille eſt, in quo de poſſeſſione adipiscenda, retinenda, vel recuperanda agitur; circa hæc notanda:

a) is, qui in *ſummariſſimo*, ſeu eo, in quo *noviſſima* ſolum poſſeſſio examinatur, ſuccubuit, agere poteſt adhuc de poſſeſſorio *ordinario*, ſeu eo, in quo poſſeſſio *antiquior* inveſtigatur;
b) qui *poſſeſſorium ordinarium* amiſit, de proprietate in *petitorio* agere poteſt, modo priori *ſatisfecerit* ſententiæ, et *ſpoliatus* ſit *reſtitutus;* n)
c) licet inſuper in eodem judicio de *præſenti* poſſeſſione, et *antiqua* agere, imo & rei poſſeſſionem ſimul et proprietatem proſequi. o)

n) Haud tamen reſtitutio facienda, ſi *animæ* vel *corpori* grave imminent periculum, ſi *ſpoliatus* rei poſſidendæ ſit *incapax:* aut jus *commune* ei reſiſtat, vel *ſpolians* aut *tertius* rei dominium liquido probet. *Cap. 8. de reſtit. ſpol. & cap. ult. eod: in 6.*

o) *Cap. 3. 4. 6. de cauſſ. poſſ. Clem. un eod.* Melior ex utroque jure eſt *conditio poſſidentis*; remedia enim ſuam poſſeſſionem in judicio defendendi ei conceduntur; *propria auctoritate* ſe in poſſeſſione tueri, ereptamque ſibi vindicare poteſt; a *probandi onere liber* exiſtit: & jus *fructus ſuos faciendi* habet, ſi *bona fide juſtoque titulo poſſideat*:

Modum procedendi in Poſſeſſorio *ſummariſſimo* exhibet *cit. ordo judic. tit. XXXI.*

VIII. Conventionalis litis deciſio

1) Dividitur

a) in *gratuitam*, quæ eſt gratis & deliberato animo facta remiſſio juris ad evitandum litigium;

b) et *oneroſam*, ſi res dubia dato aliquo, aliquo retento vel promiſſo deciditur. *p*)

p) Chriſtianæ legi quam maxime conſonum, in antiquioris Eccleſiæ judiciis uſitatiſſimum, ac legibus quoque Principum ſerio commendatum dirimendæ litis medium! Vid. Fleury *Inſt. J. E. P. III. cap. II. ſ. IV. ſeq. Ordo judic. tit. XI.*

2) Utraque tunc ſolum valet ſi nec legi, nec bonis moribus, nec alteri cuipiam pactioni obſtet, *q*) proin non valet

a) in rebus, quæ non ſunt *privati arbitrii*, vel ubi *conſenſus aliorum* requiritur, aut in *damnum tertii* cedere poſſet;

b) ubi *peccandi* ſubeſt periculum;

c) ſi partes *libere non* conſentiant. *r*)

q) Quodſi

q) Quodsi enim obstet, litigantibus ad transigendum libertas moralis, essentiale ad valorem pacti requisitum, deest.

r) Conf. Zech *cit. loc. tit. IX.* §. 107 *seqq.*

3) Effectus:

a) *inter partes*, non vero alios, jus & obligatio exsurgit;
b) vim *rei judicatæ* obtinet;
c) *exceptionem litis ingressum impedientem* parit, & actionem *caussæ transactæ* tollit, nisi beneficium *restitutionis in integrum* agendi jus denuo restituat;
d) sic transacta ex capite quidem *doli* aut *minorennitatis*, non vero *erroris*, *læsionis*, *novi instrumenti* impugnari potest. s)

s) Legantur, quæ de *transactionis effectu* scripserat Zech cit. loc. §. 112. *seqq.*

IX. Arbitrium est modus decidendi caussas per Arbitros, seu viros bonos t) quibus sive ex dispositione juris, sive a partibus litis decisio defertur. Inde sunt alii

a) *Arbitri juris*, quibus ex dispositione juris; u)
b) *voluntarii*, quibus ex compromisso partium caussæ decisio committitur: v)
c) *eligi possunt omnes*, qui jure non prohibentur, etiam *feminæ*, quæ jurisdictione *ordinaria* gaudent; x)

d) *eligere possunt omnes*, qui liberam rerum administrationem habent, in caussis *sui arbitrii*; *y*)

e) eorum *potestas* ex *formula compromissi*, et *caussa* est dimetienda;

f) vi Juris *Canonici*, si plures sunt electi, *vota majora* concludunt; si *paria* sint, *Superarbiter* (*Obermann*) eligi potest; *z*)

g) contra sententiam Arbitrorum, *Laudum* vocant, adpellari nequit, nisi *intra decem dies* sit impugnata; *a*)

h) eorum *potestas expirat morte* Arbitrorum, aut compromittentium, nisi & in hæredes sit compromissum; *lapso tempore*, *sententia pronuntiata*, *inita transactione*, *adito Judice*, *mutua remissione*. *b*)

t) — — — *Vir bonus est quis?*

Qui consulta patrum, qui leges juraque servat:

Quo multæ magnæque secantur judice lites. Horat. *lib* 1. *epist.* 16. *ad Quinctium.*

u) Constitui in pluribus singularibus casibus solent. Vid. Zech. cit. loc. *tit XI.* §. 132.

v) Discrimen inter eos, & *arbitratores* statuitur. Idem *ibid.* §. 133.

x) Idem *ibid.* §. 135.

y) Idem §. 134.

z) Constituunt enim arbitri *societatem æqualem*, in qua pluralitas votorum decidit. — Quid vero, si ex pluribus arbitris omnes discordent? vid. Zech *ibid.* §. 138.

a) Conf.

a) Conf. idem §. 139.

b) Addunt: si Arbiter *tempore* et *loco*, ad quem citavit partes, non compareat.

CAPUT IV.

JUS ECCLESIASTICUM CRIMINALE.

§ I.

JUDICIUM CRIMINALE.

I. Primis jam seculis Ecclesia ex ipsa Imperii notione sibi propriam potestatem puniendi legum prævaricatores, seu Jurisdictionem Criminalem exercuit *c*) ita quidem, ut

a) *crimina* quævis *majora* tum *Clericorum* tum *Laicorum* Episcopus in sua Diœcesi puniret, adhibitis in consilium suæ Ecclesiæ Presbyteris et Diaconis imo convocato quandoque Concilio diœcesano; *d*)

b) *crimina* vero *Episcoporum* in Conciliis, provincialibus maxime, examinata et punita sunt, exulante tamen omni strepitu judiciorum *forensium*. *e*)

c) Vid. Proleg. *cap. I. §. II. n. II. not. r.* Id ipsum ex Conciliorum mox post datam Ecclesiæ pacem frequentius celebratorum actis manifeste elucet, in quibus fere omnibus severioribus pœnis ecclesiasticis contra fidei, ac morum inimicos animadversum fuisse legimus.

 d) Fleu-

d) Fleury *Inst. J. E. P. III. cap. I. et. II.*

e) Idem *ibid. cap. II. §. V.* Rigger *P. I. §. 134. et P. IV. §. 240.*

II. Hodie vero ad normam Juris *Civilis* hi Processus adornantur *f)*, unde etiam dividuntur:

a) in *ordinarios*, qui ad præcedentem adcusationem;

b) et *extraordinarios*, qui per viam inquisitionis exercentur. *g)*

f) Caussas neglectæ simplicis, et planæ judiciorum formæ, ac introducti *solennissimi* civilis *processus* in criminalia quoque judicia ecclesiastica *P. I. cap. II. §. V. n. II. not. y)* exhibet.

g) Conf. *Cap. præced. §. I. n. I. lit. d)* cum respondente annot.

III. Adcusatio est delatio delicti et personæ delinquentis facta apud Judicem ecclesiasticum publicæ vindictæ et pænæ caussa. *h)*

1) Adcusare prohibentur

a) *Clerici Laicos* in Judicio *criminali seculari*, quamvis judicem ob suam suorumve injuriam implorare possint, modo non ad *vindictam sanguinis*; *i)*

b) *Laici Clericos* adcusatione *solenni*; *k)*

c) *excommunicati* excommunicatione *majori*; *l)*

d) *inimici, aliique*, quibus fides haberi nequit. *m)*

h) So-

h) Solus processus *accusatorius* olim in foris *ecclesiasticis* usitatus fuit, adeo, ut regulariter sine accusatore neminem condemnandum esse unanimi consensu veteres docuerint: nisi crimen aut *notorium* et cum scandalo *publico* conjunctum (I. Corint. *V.* & *Can.* 21. *Causs. II quæst. I.*) aut spontanea *confessione* proditum esset. *Can.* 1. 18. *ibid.*

i) *Can* 6. *Causs. II quæst VII. Cap.* 2. *de homicid. in* 6. Conf. *Cap. I. §. I. n. IV.* 6.

k) *Cap.* 14 *de test. cap.* 10. *de accus.* Rationem vid. *can.* 5 14 *Causs II. quæst. VII.* Alia fortasse relate ad Episcopos & Presbyteros est: quod pro illis tanta olim circumspectione electis innocentiæ militaret præsumtio At cum ratio hæc relate ad Clericos inferiorum graduum haud semper obtinuerit, inde contrarium statutum est de illis in Capitular. Reg. Franc. *lib. I capit.* 30 *VII.* 84. Ne vero Pontificum constitutiones his directe oppositæ videantur: de *solenni* solummodo accusatione eas intelligi debere nunc jam passim docent.

l) *Can.* 1. *seq. Causs. III. quæst. IV.* Conf. *cap III.* §. *I. n. III. lit. a*)

m) *Arg. cap.* 3 & 21. *de accus.* Conf. Riegger *P. IV. §.* 263.

2) Adcusationis modus: *n*)

a) Adcusator sit *præsens*, & ad *talionis* pœnam scripto se obliget;

b) *vulgo Procurator* non admittitur. *o*)

n) Qualis *antiquitus* fuerit, vid apud Fleury cit. loc. *cap. XV. §. I. II.*

o) Ita fere jure romano cautum est, ex quo Isidorus ac postea Gratianus *Can. 1. 3. 4. Cauſſ. II. quæſt. VIII.* hauserat; *formamque libelli* accuſatorii *cit. loc. ad fin.* propoſuerat. Poſterios Pontifices confirmaverunt hanc accuſationis formam, tanquam ſacris & vetuſtis canonibus adprobatam vid. *cap. 18. 24. de accuſ.*

3) Adcusationis effectus:

a) *Adcuſatus* pendente adcuſatione ab officiis publicis adquisitis et adquirendis *ſuſpenditur*;

b) Adcusatorem *recriminare* nequit *p*)

p) Hi effectus ſpectant ad *accuſatum*. Quod adtinet *accuſantem*, graves admodum in eum conſtitutas leginus] pœnas ſi *vitium* vel *calumniæ*, vel *prævaricationis*, vel *tergiverſationis* in accuſatione commiſerit. Riegger cit. loc. *ſ. 264. ſeq.*

IV. Denuntiatio eſt revelatio criminis occulti facta superiori

1) Dividitur

a) in *evangelicam*, quæ fit ad ſuperiorem ceu Patrem, ut reus emendetur; *q*)

b) *judicialem*, quæ fit ad ſuperiorem ceu Judicem, ut damnum *privatum* reparetur, aut reus puniatur. *r*)

q) Eſt hæc legi evangelicæ apud Math. *XVIII. 15.* conformis; unde recte *evangelica*, vel etiam *charitativa* officio charitatis hominis chriſtiani digna

na non inepte appellatur. Fieri debet præmissa *fraterna correctione* et *secreto.*

r) Fieri potest vel ab iis, qui ex officio ad denuntiandum tenentur, vel etiam a quocunque alio privato, cum nemini vetitum sit conferre, quantum potest, ut ad conservandam salutem et tranquillitatem publicam, lenioribus mediis nihil proficientibus, crimen plectatur, ac in posterum impediatur. Facienda tamen esse videtur 1) prævia denuntiatione *evangelica*, 2) apud Judicem *competentem*.

2) Effectus

a) utrique *communis* est: quod probandi obligationem non pariat; *s)*

b) *proprius evangelicæ*: quod judicialem excludat, si paterne monitus se emendaverit; *t)*

c) *judiciali*, quod viam sternat ad inquisitionem ex officio a Judice instituendam. *u)*

s) Ne vero hæc ab onere probandi liberatio calumniatoribus faveat, præscripta sunt nonnulla a Superiore et denuntiante observanda, antequam hic denuntiet, ille vero denuntiationem acceptet. Vid. Zech *de judic. eccl. Sect. II. tit. II.* §. 27.

t) Id obtinet potissimum in causis ecclesiasticis *Regularium* Prælato denuntiatorum. Idem *ibid.* §. 26.

u) Ne, puniendo absque diligente inquisitione denuntiatum, puniat innocentem.

V. Inquisitio est actus, quo Judex, an, et a quo commissum sit crimen, ex officio inquirit.

1) Dividitur

a) in *generalem*, si *generatim* in delictum, & ejus auctorem,

b) et *specialem*, si in *certam* personam, an criminis rea sit, inquiritur. *v)*

v) Est præterea alia inquisitio, *generalissimam* vocant, a superioribus ecclesiasticis certis temporibus, ex Concilii *Trident*: decreto *Sess*: *VII. cap. 8. XXI cap. 8. de reform*, absque ullius delicti vestigiis instituenda. De hac utpote inter Episcoporum officia pertinente actum est *P. I. cap. I. §. V. n IV. lit. c)* et in Concil. *Trid. Sess. XXIV. cap. 3. de de reform.* Hic loci de *generali*, ac *speciali* sermo sit. Utraque *processus* est 1) *recentior* ab Innocentio III qui ejus fundamenta *cap. 14: de accusat*: jecit, introductus; 2) *subsidiarius*; tum demum adhibendus, si accusator deerat, et tamen clamore publico quis adeo infamatus, ut diutius sine scandalo dissimulari non posset, nec sine periculo tolerari; 3) *Extraordinarius*, ut nec pœna ordinaria affici posset ejusmodi judicio condemnatus; 4) *irregularis*, per me licet, quod nemo sine accusatore ante hæc tempora condemnari potuerit (*præced. n. III. not. b) et cap. un. ut eccles. benef: sine diminut.*) At num propterea, si abusus aliunde 17. *seqq. de accusat.* reprobatos demas, etiam *rejiciendus?* Qui id volunt, edisserant, quæso, qua ratione alia in tanta malitiosorum copia, accusantium vero raritate vitiorum licentiæ frœna imponenda, aut bonorum virorum famam, quam obscuri calumniatoris furor dilacerat, a suspi-

a suspicione labis vindicandam esse censeant? Convenientissimum huic scopo medium visa est Innocentio III in causa Archiepiscopi *Bizuntini cap. 14 eod.* inquisitio, quam nec *civiles leges* suis in caussis adhibere dedignantur.

2) Requisita:

a) ad *generalem* sufficit, ut delictum sit patratum, aut rumor de eo commisso volitet, vel saltem justa adsit de eo patrato suspicandi ratio; *x)*

b) ad *specialem* requiritur, ut et de *corpore delicti* constet, et persona, in quam inquiritur, merito de commisso scelere suspecta, aut alias infamis sit. *y)*

x) Si nimirum inquiritur in *actorem* delicti — v. g: quisnam commissæ simoniæ reus sit? — Paullo aliter se habet res, si generatim in *delictum* e. g. an non Titius commiserit aliqua crimina? fiat inquisitio. Tum enim prærequiri *infamiam* vel *gravia indicia*, ex eo concludunt, quod sine iis personæ inquisitæ fama injuste læderetur. Vid. Pichler *J. C. lib. V. tit. I. §. IV. n. 29.*

y) Conf. Idem *ibid. n. 30. 31.* aut Zech *cit. loc. tit. IV. §. 60. seq.*

3) Mo-

3) Modus procedendi, si ex prævia informatione sufficientia contra Reum indicia habeantur:

a) pro ratione *criminis* et *personæ custodiæ* vel *carceri* traditur; z)
b) sequitur *constitutum* a) formantur *articuli*, ad quos respondere cogitur, *testesque* audiuntur; b)
c) Conceditur *defensio*, c) et si ea omnem suspicionem abolere non potuit, *purgatio canonica*; d)
d) quæ locum non habet, si absoluta defensione *indicia* delicti *illæsa* maneant; e)
e) Sed tunc gravatus, nec confiteri volens aliquando *torturæ* subjicitur. f)
f) demum *sententia* fertur g) qua accusatus vel absolvitur, vel ad luendas pœnas damnatur. h)

z) Ne fuga judicium eludat. Sed vid. quæ in Concil. *Trident. sess. XXV. cap.* 6. *de reform.* & *cap.* 15. *de sent. excomm. in 6.* circa incarcerationem *Clericorum* notantur.

a) Seu *examen inquisiti*. Hujus examinis, & Constituti *formulas* exhibet Pellegrini in *Praxi Vicar. P. IV. Sect. XI.*

b) De *dotibus testium* in judiciis adhibendorum actum est *cap. præced.* §. *III n. III.* Singularia quæpiam circa eos in processu inquisitionis observanda vid. apud Zech cit. loc. §. 67. *seqq.*

c) Ad quam, ne mediis ad eam necessariis reus destituatur, *edenda* ei sunt *Acta* & *Protocolla*, atque *Ad-*

Advocati, quorum opera uti possit, admittendi. Conf. Zech cit. loc. §. 72. *seq.*

d) Seu *juramentum purgatorium* (*Cap. præced.* §. *III. n. V.* 1. *lit. f*) quo infamatus in caussa propria, quasi judex constituitur. Ne vero juramentum istud perjuriis & fraudi tam facile locum faciat, præstandum erat olim ad *Sanctorum reliquias*, ut ipsi Martyres veritatis testes, aut perjurii vindices essent. Unde passim *justum can.* 1. *Causs. XXXIII quæst. I. cap.* 5 *de frig. verum, rectum cap.* 1. *ibid.* & *divinum* judicium, *can.* 15. *Causs. II. quæst. V.* vocatur. Nunc vero cautum est: 1) ut præstetur *tactis Evangeliis* (*Can.* 17. *Causs. II. quæst. V. Cap.* 5. *de purg. can.* 2) ut purgandus *testes* adferat, qui suis juramentis purgationem compleant, quique eapropter *sacramentales, compurgatores* &c. vocantur, & sicut ipse purgandus de veritate: ita hi, quod credant eum verum jurasse (*Cap.* 13. *eod.*) jurare debent. *Cap.* 5. *eod.* De *reliquis* Compurgatorum, hodie rarissime adhiberi solitorum, *dotibus* vid. *cap.* 7. 10. *eod. de purg. can.* Conf. Riegger *P. IV.* §. 277.

Ab hac purgatione canonica, legibus nempe ecclesiasticis introducta, differt toto cælo ea, quam *vulgarem* dicunt, cujusque *varias species* ignorantia & gentium barbaries peperit. Quo pertinet 1) *judicium aquæ calidæ can.* 15 *Causs. II. quæst. V.* 2) *Ferri candentis* Concil. *Triburiense. can.* 13. *Rhemens can.* 11. 3) *aquæ frigidæ* (Wasserprobe Wasserurtheil) quo virtute exorcismorum jubetur aqua innocentem submergere, nocenti vero resistere. Perperam Eugenio II istud tribui Natal. Alexander *hist. eccles. sec. IX. X. Tom. IV. fol.* 187. & Bœhmer *J. E. P. ad tit. de purg. vulg.* §. 12. demonstrarunt. 4) *purgatio per duellum*, vid. Zech *de jud. Sect. I, tit. XXVI.* §. 309 *seq.* & *II. Feud.*

II. Feud 27. 39. §. 2. *V* 2. 5) per *crucem* (Kreuzprobe), cujus frequentissima in Capitularibus fit mentio. Vid. Riegger cit. loc. §. 274. *schol.* 7) *cruentationis*, *stillicidii* (Bahrrecht,) quam sec. XVII. adhuc obtinuisse narrat Strykius.

Hujusmodi purgationes vulgares *Judicia Dei*, aut *ordalia* (Urtheile) etiam dictas, nunquam probaverunt Pontifices, sed eorum potius vigilantia factum est, ut eliminata fuerint pedetentim hæc monstra. *Can.* 7. 20. *Causs. II. quæst. V. Cap.* 9. *ne cler. vel monach. cap.* 1. 2. 3. *de purg. vulg. cap* 8. *de purg can. cap.* 10. *de excess. prælat.* Et rectissime quidem! nam nemo non videt, ex ordaliis expectatum fuisse effectum, ad detegendam veritatem, legibus naturæ physicis repugnantem; id vero Deum tentare est.

e) Zech *de jud. eccl. Sect II. tit. VII* §. 78.

f) *Torturæ usus* olim frequentissimus nunc jam in omnibus fere judiciis abrogatus est. Agnoverunt enim Legislatores, 1) quod illa sit medium ad detegendam veritatem ineptum; cum *plerique patientia sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit: alii tanta sunt impatientia, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta velint. L.* 1. §. 23. *ff. de quæstion.* 2) quod ideo facile contingere possit, ut innocens condemnetur. Justus Oldekopp plura injuste tortorum refert nomina in *observat. criminal. append.* 3) quod sit prorsus fini processus criminalis contraria, qui in eo consistit, ut veritas criminis detegatur, ne quis ob delictum incertum puniatur. At istud per torturam non obtinetur. *Cum* enim, *quæritur*, ait S. Augustinus *de Civit. Dei lib.* 19. *cap.* 6. *utrum sit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto*

incerto scelere certissimas pœnas, non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse nescitur, ac per hoc ignorantia judicis plerumque est calamitas innocentis. 4) quodque nulla indicia sint ad torturam sufficientia; proinde se nullam excusationem habituros, si judicibus, quondam neque de indiciis ut Zech cit. loc. §. 82. ostendit, multum sollicitis non adimerent libertatem decernendi *tormenta* quæ ex gravissima Ciceronis in *Orat. pro P. Sylla n.* 77. sententia *gubernat dolor, moderatur natura cujusque tum animi tum corporis, regit quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur* Quapropter interdixerunt eam plerique Principes adeo, ut *unicum superesse* solummodo *casum* censeant Doctores, in quo fini processus criminalis non repugnat, ac moderate adhiberi potest. Casus is est: si convictus socios criminis & complices manifestare recusat, crimen vero ex natura sua est ejusmodi, ut sine sociis perpetrari non potuerit; aut si quis circumstantias varias judici scitu necessarias de crimine jam convictus fateri renuat. Tum enim per suam contumaciam et inobedientiam novum committit delictum, ob quod utique, quoniam certum est, puniri seu torqueri potest. Conf. vero Zech *cit. loc. §. 86. seq.*

g) Quo *modo?* vid. Zech cit. loc. *Sect. II. tit. VIII.* §. 88.

h) In sententia *condemnatoria* ratio habenda est eorum quæ pœnas mitigant vel aggravant. Conf. Riegger cit. loc. §. 278.

§. II.

§. II.

POENÆ ECCLESIASTICÆ.

I. Pœna est malum alicui ob ejus demeritum morale ab alio inflictum. *i)*

1) Dividitur

a) ratione *boni*, quod aufertur, in *spiritualem*, quæ bonum spirituale adimit; et in *temporalem*, quæ temporali bono privat; *k)*

b) ratione *scopi* in *medicinalem*, quæ ad delinquentem corrigendum; et *exemplarem*, quæ ad alios a violatione legis absterrendos infligitur. *l)*

c) ratione *extensionis*, in eam, quæ omnibus fidelibus *communis*; et quæ solis *Clericis propria* est; *m)* utraque denuo

d) ratione *originis* in eam, quæ *a jure* seu per statutum in omnes legis prævaricatores: et in illam, quæ *ab homine* per singularem sententiam in certam personam decernitur; *n)* prior iterum

e) ratione *actuum præmittendorum* in pœnam, quæ *latæ*, et quæ *ferendæ sententiæ* dicitur, prout nempe sententia condemnans vel non, vel adhuc requiritur. *o)*

i) Ad illustrandam *definitionem pœnæ* notetur 1) malum id esse, quod nos imperfectiores reddit. Cum igitur ablatione boni, quod aut actu possidemus, aut petendi jus habemus, imperfectiores reddamur, sequitur: ablationem boni recte malum dici, & pœnas potissimum in ablatione cujuspiam boni consistere: 2) non nisi

malum

malum ob demeritum *morale* inflictum pœnam vocari; quæ enim mala nulla posita actione injusta sustinemus, hæc *infausti casus* seu *infortunii* nomine veniunt; 3) scopum pœnæ esse, aut *emendationem* delinquentis, aut *exemplum*, quo alii ad abstinendum a transgressione legis moveantur; 4) a pœnis multum differre *pœnitentias*, Fleury *Inst. J. E. P. II. cap IV. § 5*; 5) hic de pœnis, quæ in *foro ecclesiastico* obtinent, sermonem esse.

k) *Temporales* pœnas potestas *civilis*; *spirituales* vero *ecclesiastica* decernit. Vid. *proleg. Cap. I. § II. n. IV. lit. a) not. g)* Nihil tamen impedit, quo minus Ecclesiæ Superioribus etiam pœnas quaspiam *temporales* dictandi jus *accidentaliter* conveniat. Conf. *P. I cap. I. §. V. n. IV. lit. d) not. b) ibid. §. VI. n. I.*

l) Wolff *Inst. J. N. et G. P. I. cap III. §. 93.* Utramque hanc pœnam, si spiritualis sit (*præced. lit. a*) non nulli *censuram* vocant. Vid. Pehem *cit. loc. § 1212.* Alii vero nomen istud soli *medicinali* tribuunt, discernentes a censuris pœnas ecclesiasticas *stricte sic dictas* seu *vindicativas*, quæ directe ad delinquentis punitionem, et vindictam, ut ajunt, infliguntur. Sed enim alienum mihi videtur a mansveto Ecclesiæ Christi spiritu decretum, quo directe, ac primario delinquentis punitionem, et vindictam velit, nec tute adfirmari potest, dictasse unquam Ecclesiam pœnas mere vindicativas, seu tales, quibus aut corrigere delinquentem, aut absterrere alios ab imitatione vestigiorum ejus primario non intendisset. Quare præplacet mihi eorum philosophandi ratio, qui missa ea differentia, quam acuta scholasticorum natio censuras inter et reliquas ecclesiasticas stricte sic sumtas pœnas deprehendisse autumabat, 1) num pœnæ ecclesiasticæ vindicativæ dentur? dubitant; 2) omnes spirituales pœnas ecclesiasticas censuras adpellari posse docent exemplo vete-

rum, qui pœnæ et censuræ nominibus promiscue usi sunt *Can. 18. Cauſſ. XI quæſt III;* ac 3) ſolis pœnis eccleſiaſticis temporalibus (*not. præced.*) nomen censuræ eccleſiaſticæ denegant.

m) Ad priorem claſſem pertinet *excommunicatio, interdictum, irregularitas ex delicto*; ad poſteriorem: *ſuspenſio, depoſitio, degradatio.*

n) Pœna ſeu censura *ab homine* lata reſervata eſt communiter auctori ſuo, vel ejus ſuperiori, aut ſuccessori. Quæ *a jure* eſt, et nemini expreſſe reservata, absolvi poteſt ab Episcopo pro foro externo, et a proprio Parocho in foro conſcientiæ.

o) Dum contrarium ſit fragili hominum conditioni in ſe ipsum pœnas exequi, hæ ſtatuuntur regulæ: circa pœnas, ubi de *jure quæſito* agitur, ſententia ſaltem *declarans* requiritur, niſi in caſibus expreſſe decretis; ubi vero de *jure quærendo*: pœnæ latæ sententiæ ante omnem ſententiam obligant; in caſibus, ubi ſententia *condemnante* opus eſt, a die ſententiæ latæ; ubi *declarante*, a commiſſi criminis tempore pœnæ ſortiuntur effectum. Schenkl *cit loc. §. 794 Schol. 2.*

2) Potestas censuras, ſeu pœnas eccleſiaſticas ferendi Eccleſiæ a Chriſto concessa *p)* exerceri poteſt per illos Superiores,

a) qui *Jurisdictione ſacra*,
b) *in foro externo*,
c) et *nullo modo impedita* pollent. *q)*

p) Vid. *proleg. cap I. §. II. n. II not. r*)

q) Riegger *P. IV §. 567.* Inde vero conſequitur, Jus irrogandi censuras competere 1) Summo

mo Pontifici per *universam Ecclesiam*, sed tamen intra genuinos limites Primatus; *vid. P. I cap. I. n. IV. lit. b) not. o)*: 2) Episcopis *in suis diœcesibus*, licet *consecrati* nondum sint, sed tantum *confirmati*; *ibid. §. V. n IV. lit. d) not. b)* et *P. II. cap. I. §. V. n. II. 9 lit b) not. u)*. 3) Jure *extraordinario* Prælatis *regularibus* in suos subditos regulares, *Cap. 10 de maj et obed.* omnibusque, qui exercent *jurisdictionem quasi episcopalem* uti capitulum sede vacante: 4) aliis etiam *non Presbyteris* ex privilegio, consvetudine, et præscriptione, *Cap. 3 de offic. jud. ord.* S. Thomas *in IV. Dist 18. quæst II. art 2*: 5) excludi tamen *fœminas*, quamvis in dignitate constitutas, *Cap. 10 de pœnit. et remiss.* non obstante *cap. 12. de maj et obed.* vid. Pehem *cit. loc. §. 1214 schol*: 6) censuram latam in *non subditum* nullam et irritam esse, quod tamen fallit in censuris episcopalibus intuitu *Regularium exemtorum*: Concil. *Trid. Sess. XXV. cap. 12. de Regular.*

3) Caussa ferendæ censuræ est

a) culpa *gravis*, saltem ad *graviorem* censuram, *r)*

b) *externa* tantum, et cum *contumacia* conjuncta. *s)*

r) Necesse enim est servare proportionem inter pœnam, et culpam. Quam vero culpam vocamus hic loci *gravem*? Eam, ni fallor, quæ dum peccatum mortale involvit, scandalum simul generat. Suarez *de censur. disp. IV. sect IV. n 3.*

s) Primum ideo: quod, nisi *externa* sit ad forum externum, in quo censuræ feruntur, (*præcd. n 2. lit. b.*) non pertineat. Alterum vero: quod prudentis sit Pædagogi, non afficere pœnis, quos

quos mansuetis monitionibus corrigere valet; cauti medici, non imperare sectionem membri, quod emplastris sanari potest; ac inprimis quod Christus Matth. *18.* doceat: non nisi in *contumaces* ecclesiasticis pœnis animadvertendum esse. Conf. etiam Concil. *Trident. Sess. XXV. cap 3 de reform.* Ex hactenus *n.* 2) ac 3) dictis facile colliges, quid de *caussis* a censura *excusantibus*, de *forma* ferendi censuras, de *jure* ab iisdem *absolvendi* statui debeat. Conf. Schenkl *§. 796.* et Riegger *§. 625. seqq.*

II. Præcipua inter Censuras omnibus fidelibus *communes* est Excommunicatio (*præced. n. I. 1. lit. c. not. m*) seu exclusio a communione ecclesiastica, et jurium inde pendentium denegatio.

1) Dividitur

a) in *majorem*, quæ omnibus,
b) et *minorem*, quæ aliquibus tantum bonis ecclesiasticis privat. *t*)

t) Hanc *excommunicationis divisionem* a veteribus didicimus, quibus hæ quoque duæ ejus species celeberrimæ erant: nempe *minor* seu *medicinalis*, quæ etiam voce *excommunicationis* simpliciter posita atque prolata passim denotabatur (*can. ult. Causs. III. quæst. IV. can. 41. 108 Causs. XI. quæst. III*) et in exclusione hominum a communione publici cultus divini consistebat. Ejus gradus erant quatuor; vel enim 1) a sola Eucharistiæ participatione, vel 2) a precibus quoque fidelium, imo et 3) catechumenorum, vel deniquè 4) ab omni ecclesiæ ingressu peccatores secundum pœnitentiæ publicæ gradus (*vid. præced. cap. II. §. II. n. IV. 2. not. q.*) exclude-

cludebantur. *Major* in antiquis canonibus *omnimoda separatio*, *anathema*, excommunicatio *mortalis* nuncupata (S. Chrysost *hom*. *XV. in epist. ad Rom.*) qua homines de ecclesia penitus expulsi tanquam ethnici et publicani habebantur. Illi locus erat ob crimina pœnitentia publica luenda, cum qua semper erat conjuncta: ad hanc vero processum est tum demum, quando contumax peccator nullo alio remedio absque fidelium detrimento in sinu ecclesiæ retineri potuit. Vid. S. Augustinus *lib. post collat. contr. Donatist.* Recentiores non nulli post Gregorii IX. declarationem *cap. penult. de sent. excomm.* alium hisce nominibus significatum tribuere, et per *excommunicationem sine addito* non solum *minorem*, quæ a perceptione Sacramentorum, sed etiam *majorem non solennem*, quæ a communione fidelium separat; per *anathema* vero *majorem solennem*, a majori *simplici* in eo tantum diversam, quod hæc absque solennibus, illa autem adhibitis quibusdam ceremoniis pronuntietur, intelligere cœperunt. Hac ratione *triplex* excommunicationis *species* nata, et quia, ubicunque in antiquis canonibus, et Patrum regulis vox *excommunicatio* occurrit, eam pro *majori* et *mortali* acceperunt, cum tamen Patres plerumque *minorem* intelligerent: numerus quoque excommunicationem majorum multum auctus est. Cæterum consentiunt recentiores cum veteribus: excommunicationem, *majorem maximam esse*, quæ in Ecclesia datur *pœnam*; quod vel ex ipsa ejus notione manifestum redditur. Conf. *Can. 17. Causs. XXIV. quæst. III.*

2) Requisita ad Excommunicationem *majorem* infligendam:

 a) de-

a) delictum *grave*, u) *publicum*, v) *certum*, x) et cum *vera contumacia* conjunctum: y)

b) *trina admonitio canonica*, z) vel saltem *bina publica*: a)

c) *summa cautela*, præcipue circa *multitudinem* b) et delicta *summorum Principum*, ne tale fulmen in eos evibratum in majus ipsius Ecclesiæ malum cedat. c)

u) *Can. 41 Cauff. XI. quæst. III*: et *præced. n. I. 3. lit. a not. r*) collat. cum *can 17. Cauff. XXIV. quæst. III.* Adde, quod rectissime a Concilio *Tridentino* observatum est: *excommunicationem, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem*; *Seff. XXV. cap. 3. de reform.*

v) *Can. 19. Cauff. II. quæst. I. Cap. 48. de sent. excom.* Id ipsum ex præcedentibus sequenti ratione ostendi solet: Excommunicatio *major maxima* est in Ecclesia *pœna* (*præced not. t ad fin.*) ergo ad eam ferendam delictum *grave* requiritur (*præcd.: n. I. 3. lit. a*) At, nisi *publicum* sit, scandalum haud generat, proin nec omni ex parte *grave* dici (*ibid. not. r*) nec pœna adeo magna et publica corrigi debet. Quid, quod ob delictum occultum neque ad pœnitentiam publicam quispiam severissima etiam in Ecclesia disciplina vigente cogeretur? Ex his tamen nolim inferas: nullam *aliam* censuram in delicta occulta constitui posse.

x) Seu *legitime probatum*. Quo enim major est pœna, eo gravior caussa criminalis, eo accuratior ejus tractatio requiritur. Peremtorius est in hanc rem S. Augustini textus: *Nos vero quemquam a communione prohibere non possumus, quamvis hæc probibitio* n o n d u m m o r t a l i s *sit*, s e d m e d i c i n a l i s, *nisi aut sponte confes-*

sum,

sum, aut in aliquo sive seculari, sive ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum Lib. I. Homil. ult.

y) Vid. *præced n. l. 3. lit. b. not. s*). Huc S. Augustini verba *lib. post collat contra Donatist.* inprimis spectant: *Neque a populo Dei separamus* (quod excommunicatione *majore* secundum *præced not. t*) dicta efficitur) *quos vel degradando vel excommunicando* (excommunicatione nempe *minore* vid. cit. mox locus) *ad humiliorem pœnitentiæ locum redigimus.*

z) Ea *intervalla temporis* complectens, ut de vera contumacia prudenter dubitari nequeat. Hanc regulam præscripsit Christus Math. 18: reverenter probavit antiquissima Ecclesiæ doctrina. *Can. Apost.* 73. *Can* 5. *Causs. XVI. quæst. VII.* omni religione impleverunt Concilia, *Ephesinum* contra Nestorium; *Chalcedonense* contra Dioscorum: ut videre est apud Harduinum *Tom I. col* 1442 *Tom. II. col.* 346. ac pœnis etiam in transgressores ejusdem dictatis observari præceperunt novissimarum Ecclesiæ legum Auctores, *cap.* 48. *de sent. excom. cap.* 3. 5. *eod. in* 6.

a) Concil. *Trident. Sess. XXV. cap* 3. *de reform.*

b) *Summa circumspectione* opus esse, quotiescunque de excommunicatione in *multitudinem* ferenda agitur, magno verborum pondere, et argumentorum adparatu demonstravit S. Augustinus *lib. III. contr. epist. Parmen. cap. II.* Contendit inter cætera: quod eo in casu *consilia separationis et inania sint*, *et perniciosa — quia plus perturbant infirmos bonos*, *quam corrigunt animosos malos.* — — — Quare addit: cum execrabile crimen plurimos occupavit, *nihil*

hil aliud bonis restat, *quam dolor et gemitus*. Conf. Zech *cit. loc.* §. 119.

e) Uti teste *historia*, *optima* in ejusmodi rebus *magistra*, non nunquam cesserat. Nolim tamen hæc quæ de sola convenientia dicta sunt, ad jus ipsum extendas. Conf. *P. I cap.* 2. § *I n. I. lit. a not.*

y) Corollaria ex hactenus enumeratis excommunicationis *majoris* requisitis vid. apud Riegger *cit. loc.* §. 575.

3) Forma. *d*)

a) Excommunicatio *ſcripto* proferatur, quod ejus *cauſſam* exprimat:

b) ejus exemplum ſeu *copia* tradatur *excommunicato*, ſi exigat: *e*)

c) ad vicinos *Parochos* et *Presbyteros*, imo et *Episcopos* mittatur *f*).

d) Scilicet omni excommunicationi *communis*.

e) *Cap.* 1. *de sent. excommun: in* 6. Ubi porro præscribitur: 1) traditionem *intra mensem* fieri; 2) super requisitione vero debere confici *instrumentum*, vel litteras *teſtimoniales* sigillo authentico consignatas.

f) *Ne quis per ignorantiam ulterius illi communicet*. *Pontifical. Roman. tit. Ordo excommunicandi, et absolvendi*. Hoc semper in Ecclesia usitatum fuisse, ex Concilii *Toletani I. can.* 2. et *Nicæni can* 5 clarum fit. De *formulis* et *ritibus anathematis* vid. idem *Pontificale roman. cit. loc.* Conf Riegger *cit. loc.* §. 583.

4) Effectus Excommunicationis *majoris*:

a) alii ſunt *eccleſiaſtici*, qui in *ſacrorum* privatione continentur: *g*)

b) alii

b) alii *civiles*, cum excommunicato *communio* etiam *forensis* ac *civilis* prohibetur. *h)*

g) Quo spectant 1) *suffragia* Ecclesiæ, 2) facultas *sacramenta* tum *suscipiendi*, tum *administrandi*, 3) potestas *divina celebrandi*, frequentandi, adipiscendi beneficia ecclesiastica, jurisdictionem ecclesiasticam exercendi, 4) *sepultura ecclesiastica*, &c: Effectus hos Christus ipse insinuaverat, dicens: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut* Ethnicus et Publicanus. Math. *XVIII. 17.*

h) Ad *communionem forensem* pertinet inprimis facultas *judicem*, *actorem*, vel *testem agendi* in judicio; ad *civilem* conversatio *vulgaris* cum excommunicatis, a qua abstinendum esse 1) ratio suadet, 2) Apostoli *I. Cor. V. 4. Rom. XVI. 17. Thess. III 14. II.* Joan. *V. 10. 11.* verbis monent, exemplis docent apud Irenæum *lib. III. cap 3.* Eusebium *lib III. 3.* 3) ipsa tandem Ecclesia, non nullos casus excipiens, severis legibus præcipit. *Cap. 15. de sent. excommun.* Omnes hi excommunicationis *majoris* effectus exprimuntur vulgato illo versiculo:

os, orare, vale, communio, mensa negatur.

5) Caussæ Excommunicationis *minoris*:

a) *Communicatio* cum *excommunicato vitando*, absque legitima caussa, *i)*

b) aut cum *injusto* et *notorio Clerici percussore. x)*

i) Quis vero est *excommunicatus vitandus?* quis *toleratus?* *In celebri Extravaganti Martini V. incipien.* Ad evitanda, *edita in Concilio Constantiensi*, evitandi *decernuntur*, (verba sunt

Benedicti XIV, de *Synod. diœces. lib. XII. cap. V. n. IV*). *solum excommunicati*, publice et nominatim denuntiati. . Quicunque igitur absque *legitima caussa* cum ejusmodi excommunicato communicat, *minorem* excommunicationem incurrit, nisi aut in eodem crimine, ob quod alter excommunicatus est, aut Clericus cum excommunicato a Romano Pontifice in officiis divinis *sciens* et *sponte* communicaverit. *Cap. 18. 29. de sent. excommun.* Legitimas caussas ab hac pœna excusantes vide apud Schenkl § 797. continentur noto versu:

Utile, lex, humile, et res ignorata, necesse.

k) Etiam *publici* et *notorii Clericorum percussores* inter excommunicatos *vitandos* numerantur, quamvis publice et nominatim, ut tales, non denuntientur; (*cit. Constit.* Ad evitanda:) ergo, qui cum illis communicat absque legitima caussa excommunicationi *minori* subjicitur; *not. præced. i*) Conf. *præced. cap. I. §. III. n. II.*

6) Ejus effectus: *l*)

a) jure *percipiendi Sacramenta*,

b) et *electionis passivæ* ad dignitates et beneficia ecclesiastica privat. *m*)

l) Quales fuerint olim; *præced. not. t*) dictum est.

m) *Præced. cap. I. §. V. n. II. 5. lit. e*).

III Altera omnibus fidelibus *communis* pœna est Interdictum seu censura, qua usus quarumdam rerum sacrarum fidelibus communis, quatenus talis est, prohibetur. *n*)

1) Ejus ſpecies:

a) *perſonale*, ſi immediate in Eccleſiæ membra; o) *locale*, ſi in certum aliquem Eccleſiæ tractum dirigitur; p)

b) *generale perſonale*, quod in perſonam moralem, ſeu communitatem; q) *generale locale*, quod in locum plura particularia complectentem fertur; r)

c) *ſpeciale*, quod aliquas tantum perſonas determinatas, aut unam duntaxat eccleſiam adficit. ſ)

n) Singula definitionis verba ponderando facile discrimen *interdicti* ab *excommunicatione*, *ſuspenſione*, *ceſſatione a divinis* invenies. Vid. Riegger *cit. loco* §. 556.

o) Vocari quoque solet *ambulatorium*, eo quod personas sequatur, iisdemque certum quemdam usum verum divinarum, in quocunque loco fuerint, interdicat. *Cap. 16 de sent: excomm: in 6.*

p) Interdicendo: ne ibi divina officia fiant juxta modum a canonibus præscriptum; ideo hoc casu personæ possunt in alio loco sacris adsistere. Ex hac duplici interdicti specie oritur, quod *mixtum* adpellant, quodque æque directe et personas et locum respicit.

q) *Cap. 16. cit. loc.*

r) *Cap. 10. 17. eod.*

s) *Cap. 17. eod.*

2) Ejus

2) Ejus effectus *t)*

a) prohibet quorumdam *Sacrorum administrationem: u)*

b) — *publicam divinorum celebrationem*, et *ingressum ecclesiæ*, nisi in *festis præcipuis: v)*

c) — *sepulturam ecclesiasticam. x)*

t) Olim et numero et duratione maximi. Nempe in omnibus ecclesiis interdicto subjectis omnia plane divina cessare jubebantur, populusque usu divinorum officiorum, et Sacramentorum, et instructionum privabatur. *Quia vero ex districtione hujusmodi statutorum excrescit indevotio populi, pullulant hæreses, & infinita pericula animarum insurgunt, ac ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur. (Cap. 24. de sent. excomm. in 6)* ut ipsa experientia docuit; (vid. exemplum de quodam in Marchia loco a Glossographo ad cit. cap. allatum.) igitur varii Pontifices rigorem istum temperarunt.

u) Ita tamen, ut posito licet *generali* interdicto 1) *baptismus* parvulorum, et *poenitentiæ* morientium possint celebrari *cap. 11. de spons.* et sacrum *viaticum* morientibus subministrari *cap. 24. de sent. excomm. in 6.* Sani quoque ad poenitentiam admitti *cap. 24 eod.*) 2) Verbum Dei *prædicari* et parvulis Sacramentum *Confirmationis* dari permissum sit *Cap. 43. de sent. excomm.* et *cap. 19. eod in 6.*

v) Bonifacii VIII. in *cap. 24. de sent. excomm. in 6.* hac de re Constitutio ita sonat: *Singulis diebus in ecclesiis et — monasteriis Missæ celebrentur, et alia dicantur divina officia sicut prius: submissa tamen voce, & januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis — In festivitatibus vero* Natalis Domini,

ni, Paschæ, *ac* Pentecostes, *et* Assumtionis Virginis gloriosæ *campanæ pulsentur, et januis apertis alta voce divina officia celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis sed interdictis admissis.* Idem privilegium habetur in festo Corporis Christi, et per totam octavam ex concessione Martini V. *Ineffabile* et Eugenii IV. *Excellentissimum.*

x) Zech *§. 126.*

3) Caussæ ferendi Interdicti:

a) *locale* non nisi ob caussam *generalem* ex delicto *publico*,

b) *personale generale* ob culpam a *majore* communitatis *parte* admissam,

c) *personale speciale* ob culpam *gravem* etiam *specialem* decernitur. y)

y) Ceterum valent etiam de Interdicto, quæ supra *n. I 3.* de *caussa* ferendæ *censuræ*; et *n. II 2.* de *requisitis* ad *excommunicationem majorem* infligendam dicta sunt.

IV. Tertia pœna ecclesiastica omnibus fidelibus *communis* est irregularitas ex delicto. z)

1) Ejus effectus:

a) directe privat *susceptione ordinum:*

b) aut *susceptorum usu.* a)

z) *Irregularitatem ex delicto* censuram seu pœnam ecclesiasticam non esse, sed impedimentum tantum canonicum Theologi & Canonistæ scholastici passim pronuntiant. Sed enim si pœnæ ecclesiasticæ notionem (*præced. n. I. not. i*) adcuratius

ratius spectemus: deprehendemus omnes ejus *essentiales characteres* irregularitati quoque ex delicto convenire, proin posse eam, et *impedimentum*, et *pœnam* vocari,

a) Cum jure suscipiendi ordines *laici*: susceptorum vero usu *Clerici* privari possint; sequitur: *irregularitatem ex delicto* esse pœnam fidelibus *communem*.

2) Differt igitur

a) ab *excommunicatione* et *interdicto:*

b) quia *excommunicatio* impedit functiones ordinum, quatenus sunt *communicatio* quædam fidelium;

c) *interdictum* vero, quatenus sunt *usus* sacrorum. *b)*

b) Ob qualia, et quæ in specie delicta pœnam hanc quis incurrere possit: dictum est *præced. cap. I. §. I. n. III.*

V. Ad pœnas *Clericis proprias* pertinet primo: Suspensio, quæ est censura qua Clericus ab exercitio functionum ecclesiasticarum impeditur. *c)*

1) Dividitur.

a) in illam *ab officio*, quæ exercitio jurisdictionis,

b) — *ab ordine*, quæ exercitio ordinis,

c) — *a beneficio*, quæ fructibus beneficii privat:

d) in *totalem*, quæ se ad omnes hos actus, —

d) in

d) in *partialem*, quæ ad aliquos tantum se extendit. *d*)

c) Aut, si alia placent verba: *qua clerico potestatis ecclesiasticæ quam habet ratione officii aut beneficii, exercitium interdicitur*. Ejus a pœnis omnibus fidelibus *communibus* discrimen vid. apud Riegger §. *605*, *et 610*.

d) Addunt non nulli suspensionem *localem*, si in certo loco functiones suas obire clericus prohibeatur: et *personalem*, si in omnibus locis.

2) Regulæ circa hanc pœnam:

a) *in dubio*, an sit *ab officio* et *beneficio*, *stricte* est interpretanda; *e*)

b) ferri non potest, nisi ob delictum *grave personæ*, si *personalis*; vel *communitatis*, si *generalis* fuerit; *f*)

c) cum suspenso *palam denuntiato* in actibus ipsi prohibitis *communicare* haud licet. *g*)

e) Seu ita statuendum est: quod, qui *ab officio* suspensus pronuntiatur, *a beneficio* quoque suspensus censeri non debeat; nisi dicatur expresse: *ab officio et beneficio*. Sunt tamen, quibus non absque gravibus argumentis contrarium præplacet.

f) Vid. *supr. n. I. 3.*

g) Suspensioni non absimilis est illa Clericorum pœna, quæ sub nomine *communionis peregrinæ* in antiquis canonibus occurrit. Concil. *Regens. can.* 3. *Agathens can.* 2, 5 *Illerdens. can.* 15 Hæc *advenarum* intuitu non erat genus pœnæ, sed præcautio, ne forte in communionem reciperentur hæretici, schismatici, aut alii scelesti. Inde olim Clerici absque *litteris commendatitiis*, quas

hodie

hodie *formatas* dicimus, ad extraneam ecclesiam venientes, benigne quidem excipiebantur, sacrorum tamen communio iisdem denegabatur, usquedum ejusmodi litteræ ab ecclesia, unde venerant, possent procurari. Istius prudentis disciplinæ vestigia hæc adhuc apud nos supersunt, quod vetitum sit ecclesiarum Præpositis, admittere ad celebrandum missæ sacrificium peregrinos Clericos *formatas* non exhibentes. Non raro eodem modo cum Clericis in sua ipsorum ecclesia agebatur. Etiam hi, ac si peregrini forent, sui ordinis exercitio carere aliquando debebant tamdiu, donec per condignam pœnitentiam officium et stationem possent recuperare; id sane pœna erat titulo *reductionis clericorum ad communionem peregrinam* olim celeberrima.

VI. Depositio, æque pœna Clericis *propria*, est remotio perpetua Clerici vel ab ordine *h)*, vel a jurisdictione *i)* vel a beneficio *k)* salvo manente statu et dignitate clericali *l)*.

a) antiquus est hujus pœnæ usus: *m)*

b) in modo *totalem*, modo *partialem* divisio: *n)*

c) magnum, si effectum spectes, ejus a *suspensione discrimen. o)*

h) *Cap. 4. de judic.*

i) *Cap. 4. de Cler excomm ministr.*

k) *Cap. 13. de vit. & honest. cleric.*

l) *Arg. cap. 10 de judic.*

m) Occurrunt ejus exempla in Concil. *Ancyran. can.* 1. *Nicæn. Can. 8.*

n) Tota-

n) *Totalis* est, si ab *omnibus* in definitione nominatis juribus removet; *partialis*, si ab *uno* tantum, *alterove*. Ad ultimam speciem pertinet inprimis, *privatio beneficii*, quæ ultra privationem possessi ad idem et alia beneficia obtinenda inhabilitatem inducit.

o) Nam et natura sua *perpetua* est, et sine remissionis spe infertur, atque officio et beneficio ita privat, ut sine nova collatione et titulo nullus pateat reditus; quod tamen neque tunc contingit, etsi suspensio a beneficio sit perpetua, adeoque cum ejus amissione ipso jure conjuncta. Relaxata enim suspensione beneficium sine nova collatione retinetur. Wiestner *ad tit. de pœn. art. V.*

VII. Degradatio est pœna ecclesiastica, qua Clericus non tantum beneficio, et exercitio ordinum, p) sed ipso etiam statu et dignitate clericali privatur. q)

a) Hac opus est, quoties Clericum tanti criminis reum esse constat, ut pœnam *mortis*, aut *mutilationis* membrorum mereatur. r)

b) Est vel *verbalis*, vel *realis*. s)

c) Ejus *decernendæ*, et *peragendæ* non eadem fuit semper in Ecclesia *forma*. t)

p) *Can. 33. Dist. IV. de consecr.*

q) *Cap. 10. de judic.* Ex hac definitione sequitur 1) *effectu* suo differre *degradationem* a *depositione*. Hæc enim non privat statu et dignitate, proin nec *privilegio fori*, aliisque privilegiis clericalibus; privat vero illa. 2) Idem esse *degradationem* nobis, quod antiquis fuit *reductio ad communio-*

munionem laicam, non raro *excommunicationis ecclesiasticæ clericalis* nomine compellata. Balzam: in *can.* 16. *Concil. Nicæn.* Zonar. in *can. eund. Can Apost.* 42. 55. 56. 3) Hanc pœnam esse *relate ad Clericos* post excommunicationem majorem *gravissimam*.

r) Hanc pœnam enim exequi debet judex secularis (*cap. præced. I §. I. n. IV. 6 lit. a. not. p.*) a cujus jurisdictione Clericus *privilegio fori* (*eod. cap. § III. n. V*) exemtus est; quare antequam tradatur, dignitate clericali spoliari debet.

s) Prior est ipsa sententia promulgata: quod Clericus degradari debeat; altera vero est ipsius sententiæ executio.

t) Antiquitus degradationis caussa, utpote gravissima (*præced. not. q. 3.*) in Synodo Episcoporum tractari solebat. *Can.* 7. *Causs XV. quæst. VIII.* Cum vero id in singulorum caussis difficultatibus non careret, cautum est postea, *secundum statuta veterum Conciliorum, ut si quis Episcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, et fuerit nimia necessitas, non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, a XII. episcopis audiatur, et Presbyter a VI episcopis cum proprio suo episcopo audiatur, et Diaconus a tribus. Can.* 4. *Causs. XV. quæst. VII.* Atque hanc judicii solennitatem non obstante *can.* 61. *Causs. XI. quæst. III.* in *prima* etiam *instantia* necessariam esse communis Canonistarum opinio tradidit, sed simul ad solennem degradationem restrinxit. Verum et hac ratione difficulter ad degradationem deveniri poterat; inde crimina plura enormia non satis vindicari conquesti sunt Germani in suis gravaminibus *gravam* 21. Quare statuit *Tridentinum*, ut Episcopus ad degradationem procedere possit adhibitis, loco Episcoporum, Abbatibus usu mitræ et baculi gaudentibus, aut aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, et *juris scientia com-*

men-

mendatis (*Sess. XIII. cap. 4. de reform.*) quas non solum adsistere debere *ceremoniæ* degradationis, sed et *caussæ* ipsius *cognitioni*, colligit Van Espen *P III tit. XI. cap. I. §. 55.* Hæc degradationis *decernendæ forma* adhucdum obtinet. Quod ad *executionem* ejusdem adtinet, olim sicut excommunicatio absque certa formula peracta est. Verum adjunctæ sunt ei postea ad terrorem incutiendum lugubres ceremoniæ, quas Bonifacius VIII. *cap. 2. de pœn. in 6.* refert. Abstrahuntur inter eas insignia sacri ordinis degradando, atque unum quidem ex aliis: tondetur caput, et raduntur digiti sacro oleo inuncti; traditur demum curiæ sæculari: quamquam et tum Ecclesia mansuetudinis suæ memor pro eo adhuc intercedat. *Cap. 27 de V. S. cap. 2. de homicid. in 6 Pontifical roman. tit. degradationis forma.* Quodsi judex sæcularis hac intercessione, aliisve caussis permotus degradato sibi tradito gratiam faciat, aut depositio non subsecuta traditione facta sit (*cap. 6. de pœn.*) tum canones jubent, ut *in distincto claustro, vel monachorum, vel canonicorum regularium, si fieri potest, recludantur depositi cap. 6. §. 7. de homicid.* idque vel ad certum tempus, vel in perpetuum. *can. 7. Dist 50. ut ibi peccata lugeant, et ulterius non committant. Can. 7. Dist. 81.* Id *detrusionem in monasterium* vocant; quam ob varias difficultates omnino a foro recessisse testantur auctores; vid. Zech *cit. loc. Sect. II. tit X. §. 130.* Solent tamen hodie adhuc Episcopi Clericis suis injungere, ut se ad tempus in monasterium, aut seminarium clericorum retrahant, ibique certa pœnitentiæ exercitia in peccatorum expiationem; et vitæ emendationem subeant.

Hactenus enumeratis pœnis ecclesiasticis addere solent non nulli *mulctam pecuniariam, pœnam carceris, verberum,* et *relegationis.* Sed enim

enim cum jus eas infligendi ex natura spiritualis imperii ecclesiastici solide deduci vix possit; passimque ab Episcopis sola Principum indulgentia exercitum sit, sufficiet notasse: eas ubi adhuc obtinent, minus ex sacris canonibus, quam ex civilibus legibus determinari debere.

§. III.

DELICTA ECCLESIASTICA. *u)*

I. Inter delicta ecclesiastica hæc primo loco recensenda veniunt, quæ fidei repugnant. Quo pertinet

1) Apostasia *a fide: v)*

a) est vero hæc transitus ad religionem a christiana alienam, aut aliam falsam;

b) grande delictum, iisdemque, quibus *hæresis*, pænis subjiciendum. *x)*

u) Delictum seu *crimen ecclesiasticum* est actio hominis *christiani libera externa* legibus *ecclesiasticis* contraria, atque hoc ipso salutem Ecclesiæ violans. Arctior igitur est *delicti*, quam *peccati* notio. Delicta non uno eodemque modo distribuunt. Vid. Riegger *P. IV.* § *281.* Nos de ecclesiasticis solummodo acturi exponemus 1) ea, quæ *fidei repugnant:* 2) quæ *cultui divino* adversantur. 3) quibus *proximus læditur:* 4) *crimina carnis:* 5) delicta *Clericorum* propria; indicaturi quoque *pœnas* iis statutas, et quidem potissimum eas, quæ ex propria Ecclesiæ potestate fluunt, viresque suas etiamnum exserunt, non adeo facile mutationibus obnoxiæ, quas ad hunc usque diem patiuntur pœnæ

tempo-

temporales (*præced.* §. *II. n. I. lit. a. not. k*) item *n. VII. not. t. ad fin.*) aut ob arctissimam religionis cum salute civitatis nexum a Principibus ipsis vi *juris advocatiæ* (*P. I. cap. II. §. I. n. VI. 2. lit. b. c. not. o*) in subsidium disciplinæ ecclesiasticæ olim latæ; aut eorum indulgentia a Superioribus quidem ecclesiasticis, at non nisi *jure accidentali* dictatæ.

v) Alias apostasiæ species jus canonicum addidit, scilicet: *apostasiam obedientiæ*, et *irregularitatis* seu *a statu clericali*, de quibus infra, ubi de delictis Clericorum propriis agetur, sermo recurret.

x) *Cap. 13. de hæret. in 6.* Conf. *L. 4. Cod. de apostat.*

2) Hæresis: y)

a) dividitur in *internam* et *externam; formalem* et *materialem.* z)

b) Contra *formalem externam* gravissimæ olim *utroque jure* statutæ erant pœnæ; *a*)

c) recentiore ætate *pleræque civiles* abrogatæ sunt, præprimis in *Germania; b*)

d) quod tamen de pœnis ex *jure canonico* dicendum non est. *c*)

y) Quæ in sensu *theologico* est *pertinax defensio dogmatis Ecclesiæ universalis judicio condemnati symboloque fidei catholicæ contrarii* *Can. 26. 27. Causs. XXIV. quæst III.* Ex hac definitione deducunt 1) hæreticos dici non posse *infideles*, sed eos tantum, qui baptizati sunt: *cap. 13. de hæret. in 6.* nec 2) illos, qui in *adiaphoris*, et *disciplinaribus* aliter quam bene multi Theologi et Canonistæ sentiunt; sed qui *a catholicæ religionis dogmate deviare contendunt: L. 13. cod. de pagan. L. 2. §. 1. cod. de hæret.* 3) imo nec dissentientes circa dogmaticam quæstionem, nisi *ut*

ut dogmatica ab Ecclesia ad credendum fuerit proposita: 4) nec eos denique, *qui sententiam suam, quamvis falsam et perversam nulla pertinaci animositate defendunt* (*Can.* 29. *Causs. XXIV. quæst. III*) *sed qui correpti resistunt contumaciter, suaque pestifera, et mortifera dogmata emendare nolunt. Can.* 31. *ibid.*

z) *Interna* est, quæ mente retinetur; *externa*, quæ indiciis externis manifestatur; *formalis*, si error est voluntarius et pertinax; *materialis*, si nec voluntarius nec pertinax. *Interna* peccati quidem, at non delicti: *materialis* neutrius notionem involvit. vid. *præced. not. u*).

a) *P. I. cap. II.* §. *II. not. y*). At cur utroque? Quod nimirum utriusque societatis salutem hæresis violet. Conf. *not. u*) *ibid.*

b) Vi Pacis *Westphal. art. V.* §. 1. 34. 35. *J. O*; integris tamen manentibus non nullis saltem quoad eos, qui, cum sunt christiani, dissentiunt tamen a fidei formula publice in Germania adprobata vel tolerata, idque mente constantissima, *hæretici* propterea *in sensu civili* dicti. Conf. *Recess Imp. Spirens de an.* 1529. §. 6. *Wormat. de an.* 1535. §. 13. *Augustan. de an.* 1551. §. 87.

c) Quæ sunt sequentes: 1) *excommunicatio major* ipso jure lata, *cap.* 7. 8. 9. 13. *prin.* 15. *de hæret. cap.* 49. *de sent. excomm:*, et Papæ reservata. Gregorius *XIII. Constit.* Officii nostri *de an.* 1576: qua etiam eorum *receptatores, fautores, defensores, cap.* 13. §. 5. *de hæret*; horumque omnium corpora sepelientes afficiuntur, *cap.* 2. *prin. de hæret. in* 6: 2) *irregularitas* ad ordines suscipiendos, vel in susceptis sine dispensatione ministrandum, etsi ab hæresi sint absoluti, *cap.* 2 §. 2 *ibid.*: 3) *incapacitas ad dignitates*, beneficia, et officia ecclesiastica, *cap.* 2. 15. *ibid:* 4) *privatio beneficiorum*, et officiorum

rum ante lapsum in hæresim legitime obtentorum, *cap. 9. de hæret. cap. 12. ibid. in 6:* Conf. *Reservatum ecclesiasticum proleg. cap. 2.* §. *III. n. II. 1 lit. f:* 5) *sepulturæ ecclesiasticæ. Cap. 2. de hæret. in 6.*

3) Schisma: *d)*

a) quod est vel *particulare*, vel *universale*; vel *purum*, vel cum hæresi *mixtum*. *e)*

b) *Mixtum* pœnis hæreseos castigatur. *f)*

c) si vero *purum* sit, *excommunicatione majore* Papæ reservata, et privatione *beneficii* ac *sacræ jurisdictionis* perstringitur; g)

d) a *schismatico ordinati* ab ordinum exercitio perpetuo suspenduntur. *h)*

d) Græcum nomen est, et generatim *scissuram* sonat, *can. 34. Causs. XXIV. quæst. I*; definitur vero: *dissolutio unitatis Ecclesiæ.* Eo gravius crimen existimandum est, quo sanctior christianis omnibus esse debet unitatis regula, quam qui violant *Corpus Christi Dei nostri, hoc est, sanctam Ecclesiam lacerare*, can. 43. Causs. XXIII. quæst. V. *dilaniare*, can. 29. ibid. *magnum et gloriosum Corpus Christi conscindere, et dividere et quantum in ipsis est, interficere* dicuntur. S. Irenæus *lib. IV. advers. hæres. cap. 62.*

e) *Particulare* est, quod per solutionem unionis in ecclesia *particulari* contingit. *I. Cor. I. 10. seq. Universale* (de quo hic præcipue agitur) cujus rei existunt illi, qui ab unitate Ecclesiæ *catholicæ* recedentes totale discidium faciunt. *Purum*, si servata fide per spiritum contumaciæ et rebellionis negando debitam ecclesiasticæ auctoritati obedientiam unitas scinditur. *Mixtum*, si hæresis aut antecedat, aut sequatur. Inde ad-

 patet



paret I. schismatis *particularis*, reos esse 1) qui religiosos conventus ad cultum Dei publicum penitus negligunt. Concil. *Sardicens. can.* 11. *Trullan. can* 80. aut oppositas congregationes instruunt Concil *Gangrens: can.* 4. 18. 2) qui spreta auctoritate Episcopi vel Antiepiscopos contra eum constituunt; vel communioni ejus et gubernationi se se subtrahunt, vel etiam publica ipsius ecclesiæ decreta despiciunt. S. Cyprian. *epist.* 44. 55 69. 3) qui *justas* ecclesiæ suæ censuras contemnunt, aut restitutionem sui in quacunque alia ecclesia moliuntur, quive eam concedunt, priusquam ecclesiæ suæ fecerint satis. *Can. Apost* 12. 31. S. Epiphanius *hæres* 42. II. *Universale* schisma illos facere, qui 1) universales Ecclesiæ consvetudines, ad unitatis conservationem pertinentes non recipiunt, aut generalium Conciliorum decretis se subjicere nolunt. S. Augustin. *epist.* 118. *ad Jan. epist.* 86. *ad Casulan. Can. Apost.* 65. 2) qui communioni plurimarum aut fere omnium ecclesiarum renuntiant, quod Optatus Milevitan. *lib.* II. *contr. Parmen.* Donatistis objicit: 3) qui Romani Pontificis Primatum, et annexam cum eo ex Christi *institutione* potestatem contemnunt. III. Schisma posse quidem esse sine hæresi, *quod schismaticos non fides diversa faciat, sed communionis disrupta societas* S. Augustin. *lib. un quæst. XVII. in Math. quæst XI.* §. 2. ordinarie tamen hæresim conjunctam habere, aut in eam degenerare; *nullum enim schisma non aliquam sibi confingit hæresin, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* S. Hieron. apud Gratian. *can.* 26. *Causs. XXIV. quæst. III.* Alia corollaria vid. apud Rigger *cit. loc.* §. 336. *seq.*

f) Harum aliquas *præced. n.* 2. *lit. b. c.* indicavimus.

g) Conf. Riegger §. 338.

h) Hoc

h) Hoc sensu intelligenda sunt *cap. 1. et 2. de Schismat.* ubi ordinationes schismaticorum *nullæ et irritæ* esse dicuntur.

4) Fidelium cum infidelibus communio: *i*)

a) Hujus delicti reos se faciunt, qui *periculosa*, et religioni christianæ *noxia fœdera* cum infidelibus pangunt; *k*)

b) eos utpote christiani nominis hostes armis aut mercibus juvant; *l*)

c) aut in præjudicium Christianorum *justo liberalius* tolerant. *m*)

i) *Infideles* dicuntur, qui alienam plane a religione christiana fidem profitentur Tria sunt eorum genera: *Ethnici*, *Saraceni*, *Judæi*; qui omnes per baptismum Ecclesiam christianam non ingressi nec legibus ecclesiasticis humanis subjiciuntur; inde peccare quidem possunt: at infidelitate sua delictum ecclesiasticum committere nequeunt. Quare ipsa potius *periculosa, et religioni christianæ noxia fidelium cum infidelibus communio* delictis ecclesiasticis adnumeranda est. *Can.* 12. 13 14. *Causs. XXVIII. quæst. I. cap. 5. 8. de judæ.*

k) Conf. Grotius *de Jur. B. et P. lib. II. cap. 15. §. 8. seqq.*

l) *Cap. 6 11.* 17. *de judæ. cap. 1. ibid. Extravag. comm.*

m) Ad quid igitur obligatum censes Principem, qui *infideles* nactus est subditos? Num ut, quos tolerare non debet, ex terris suis migrare in alienas jubeat? aut vi ad amplectenda christiana sacra cogat? aut demum liberos eorum per baptismum in Ecclesiam invitis parentibus introducat? Quod ad postremum: liberi infidelium

rationis expertes parentibus utrisque insciis vel invitis per baptismum in Ecclesiam introducendi non sunt, quia nec sine injuria a parentibus abstrahuntur, nec sine evidenti perversionis periculo iis relinquuntur. Conf. *Can. 3. Dist. XLV. cap. 3. de baptis.* Quod ad alterum: omnium minime id ratio, scriptura, aut Ecclesiæ leges exigunt. Assensus intellectus, ait ratio, non vi extorquetur, sed argumentis et veritate obtinetur: vis hypocrisim, non religionem generat. Fides, addit sacra scriptura, donum Dei est; *cujus enim vult Deus, miseretur, et quem vult, indurat.* Rom. IX. 18. *Ergo non vi*, concludunt canones, *sed liberi arbitrii facultate, ut convertantur, svadendi sunt, non potius impellendi.* Can. 5. Dist. XLV. *Quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad christianum baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire*, Cap. 9. *de judæ.* Vid. *P. I. cap. II. §. II. n. I. lit. f) not. y)* Superest igitur primum: scilicet, ut, si salva religione vera possit, justos præscribendo limites, de quibus *ibid. n. II.* actum, toleret; si non possit, transplantet. *ibid. n. I. lit. f. not. y)* *Tolerantiæ*, præsertim *judæorum*, graves satis patrocinantur rationes. Vid. Riegger *cit. loc. §. 285.*

II. Ad alteram classem delictorum, quæ cultui divino adversantur, pertinet

1) Blasphemia:

a) quæ est *dictum vel factum in contemtum Dei seu immediate, seu mediate n) admissum; o)*

b) alia *verbalis, realis* alia; dein *simplex* et *hæretica; atrox, non atrox. p)*

c) *Hæ-*

c) *Hæretica* ad crimen hæreseos referenda est; q) reliquarum pœna *canonica antiqua* in *laicis* est *excommunicatio*, in *Clericis depositio*; r) *nova* vero, pœnitentia *publica* et *solennis* per *septem dies dominicos* peragenda. s)

d) His pœnæ quoque *temporales Principum legibus* additæ sunt. t)

n) Ducto scilicet argumento, aut per interpositam personam: veluti Virginem Deiparam, aut alios Sanctos. *Sicut enim Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ in Sanctis suis efficit, ita et blasphemia quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat.* S. Thomas 2. 2. *q.* 13. *Art.* 1.

o) *Speciales*, quibus blasphemia committitur, *modos* indicat Rigger *cit. loc.* §. 384.

p) *Verbalis*, quæ verbis; *realis*, quæ factis admittitur. Exempla vid. apud Zech *de jud. eccl. Sect. II. tit. XX.* §. 240. *Hæreticæ* blasphemiæ rei sunt, qui dogmata defendunt ad detrahendum de excellentiis, proprietatibus, et actionibus divinæ naturæ comparata. Ita Arianis et Nestorianis blasphemia imputatur, eo quod Divinitatem Servatoris nostri, et incarnationem divinæ naturæ negaverint. *L.* 6. 8. *cod. Teodos. de hæret.* Non *atrox* quædam blasphemia dicitur; non ideo, quod non omnis blasphemia delictum atrox sit, sed quia gradus atrocitatis dantur.

q) De qua vid. *præced. n. I.* 2.

r) *Can.* 10. *Causs. XXII. quæst. I.*

s) *Cap.* 2. *de maled.*

t) *Si enim contra homines factæ blasphemiæ impunitæ non relinquuntur, multo magis, qui ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere.* Novell.

vell. 77. cap. I. Conf. *Cod. Pruss. P. II. tit. XX. Sect. 6.* Cetera de crimine blasphemiæ videantur apud Doctores juris *criminalis.*

2) Perjurium et Pejeratio: *u*)

a) Qui gravissimo hoc crimine se maculant, hos Jus *canonicum* in *foro pœnitentiali* quadraginta dierum jejunio in pane et aqua puniendos esse statuit; *v*)

b) in foro *externo eodem jure Clericus* deponendus est ab ordine et beneficio; *x*) *Episcopus* vero gravius, quam alii puniendus; *y*)

c) omnis perjurus infamia notatur, *z*) et a testimonio dicendo penitus repellitur; *a*)

d) qui alios ad perjuria sollicitavit, aut permovit, usque ad exitum vitæ communione privatur; *b*)

e) quodsi autem *occultum* sit *perjurium*, peracta pœnitentia, in jam susceptis vel suscipiendis ordinibus nemo impeditur. *c*)

u) *Perjurium* est violatio juramenti præstiti: *Pejeratio*, quando quis verum se dicere jurat, dum sciens falsum dicit. Utrumque crimen *species blasphemiæ* est, nec Civitati minus, quam Ecclesiæ perniciosum. Unde vero mortalium ad illud; tanta audacia? Judice S. Augustino: ex nimia juramentorum frequentia. Ita enim ille *epist. 157.* scribit: *Jurationem cave, quantum potes; melius quippe nec verum juratur, quia jurandi consvetudine in perjurium sæpe caditur, et semper perjurio propinguatur.*

v) *Can. 18. Causs. VI. quæst. I.*

x) *Can. 12. Dist. LXXXI.*

y) *Cap.*

y) *Cap.* 12. *de jur. civ.*

z) *Cap.* 9. *Causs. III. quæst. V. Can.* 17. *Causs. VI. quæst.* I.

a) *Cap.* 54 *de Test.*

b) *Can.* 7. *Causs. XXII. quæst. IV.*

c) *Cap. ult. de temp. ord.* Pœnæ ex *jure civili nostro* in perjuros statutæ vid. cit. *Cod. P: II. tit. XX. Sect.* 15. *rubr. C.* 1.) Meineid und Lügen vor Gericht.

3) Magia; *d)* cujus *præcipua genera* sunt

a) *Divinatio* seu *Mantia*, qua denotantur omnes operationes ac viæ *revelandi secreta*, et prænuntiandi futura, quæ ex nullis naturæ legibus sciri possunt; *e)*

b) *Magia stricte sic dicta*, quæ significabat *artem* noxiarum operationum, et *mala* quæcunque *inferendi* deorum inferorum auxilio; *f)*

c) *Incantatio*, quæ in *peritia* et potestate per certa verba, signa, aliave *faciendi* aliquid *boni* ponebatur; *g)*

d) *Præstigium*, quo *vim* potestatemque *miracula efficiendi* contineri existimarunt; *h)*

e) Vana et superstitiosa *observatio dierum* et casuum fortuitorum, et fausta inde vel infausta præsagiendi, ac ominandi consuetudo. *i)*

d) *Magia* ex ethnicæ theologiæ principiis primum conflata (Riegger cit. loc. §. 588. *seqq.*), ac inter christianos etiam, deceptorum studiis, quibus nulla ætas caruit (Idem §. 395. *Schol.*), culta

culta denotabat ad seculum usque XIII *artem et scientiam dæmones colendi, evocandi, et ad quæcunque flectendi.* Idem § 390. Posteris aliam magiæ formam dare, eamque ex aliis longe principiis explicare placuit. Nempe gentiles illi sub nomine *dæmonis*, cujus ope uterentur, modo ipsum *Deum summum*, modo Deos *intermedios*, modo *animas defunctorum* intelligebant. Christiani recentiores *angelum* illum ab initio bonum, beatumque, deinde ob superbiæ peccatum ad æterna supplicia condemnatum Math. XXV. 41. II Petr. II. 4. substituerunt, firmiter persuasi, 1) miserrimam hanc creaturam prorsus insigni rerum omnium scientia et potestate præditam esse; 2) posse eam ab hominibus evocari; dein 3) pactum vel *expressum* vel *tacitum*, et familiare commercium cum ea celebrari; tum demum 4) hominem paciscentem *magum sagamve* constitui, diabolumque obligari, ut ad nutum hominis non modo in corporali specie vel bestiæ, vel hominis, vel monstri compareat, sed etiam solo vocis imperio nescio quæ exequatur. Riegger cit. loc. §. 391. 411. Inde vero nova magiæ definitio originem traxit, quod sit *crimen, quo quis pacto expresso, vel tacito cum diabolo interveniente ejus auxilium et commercium sibi stipulatur*, adeo infallibili cum effectu, ut quidquid a dæmonibus sibi ex pacto implicito vel explicito concurrentibus expostulaverit, accipiat, nisi quoties ordinatione divina prohibiti præstare nequeant, quod petitur. Novissimum istud magiæ systema quantos progressus fecerit, scripta Doctorum, quales ævum illud tulerat, rerum judicatarum documenta, rogique usque ad seculum XVI. accensi abunde testantur. Sed enim sunt ætate nostra non pauci, qui, ut ipsi ajunt, expensis adcuratius sapientiorum inter ethnicos, dein SS. etiam Patrum, Conciliorum, ac Legislatorum que-

quoque civilium de magia antiquiore judiciis: examinatis tandem diligentius recentioris magiæ principiis, non solum de ejus *existentia* dubitant, sed et ipsius *possibilitatem* ita inficiantur, ut eam *frequenter saltem* a Deo permitti haud posse tum ex ipso divinæ *benevolentiæ* conceptu, tum ex aliis rationibus gravissimis probent. Hos inter palmam ceteris præripuerunt Franc. Constantin. a Cauz in opere: *De cultibus magicis, eorumque perpetuo ad Ecclesiam, et Rempublicam habitu.* Viennæ 1768 prima vice edito, denuoque auctius et emendatius an. 1771. in 4. recuso: larvatus Ardoino Ubbidente Dell' Osa in suo Weltbetrügenden Nichts. P. Fridericus Spee Soc. Jesu in libello: *Theologi Romani cautio criminalis de processibus contra sagas.* De Riegger *P. IV.* § *388.* — *436.* Istorum opinione vix ulla datur *magia*, ut ajunt, *effectrix*: bene vero dantur homines, qui eam dari credunt, quique, cum per Dei providentiam propositum suum inclarescendi, ditescendi, libidinem explendi, et vindictam privatam exercendi se obtinere non posse videant; aut pessimis impostoribus, qui magicas artes se noscere jactant, fidem tribuunt, aut ipsi diaboli vires et auxilium implorant, et conatu serio quidem, attamen *irrito* commercia et pacta cum eo inire adtentant. Hoc sensu existere *magiam*, eamque *accessum mentis ad Satanam cum conatu*, *et fiducia aliquid ab eo obtinendi* definiri posse, ultro concedunt. Nec, si recte video, hac definiendi ratione *gravitati* criminis magiæ quidquam detrahitur. Manet imo, hoc licet sensu sumta, turpissimorum scelerum aut mater aut filia, apertæ blasphemiæ socia, dignaque profecto, quæ severis pœnis plectatur. Ast non diffiteor dari Viros alios et eruditione sacra et pietate colendos, quibus doctrina hæcce recentiorum

non omni ex parte probatur; quique aut suam sententiam modeste suspendunt, ut Zechius *cit. loc* §. 249. aut neutri systemati penitus adhærendum, imo id provide vitandum esse suadent, scilicet: ne vel nimis virtuti diaboli et arti magicæ tribuatur, vel ne quicunque effectus naturæ leges excedentes illusioni et imaginationi adscribantur. Horum argumenta proponemus in prælectionibus. Conf. Riegger §. 622.

e) *Can.* 1. 14 *Causs. XXVI. quæst. III.* Species ejus sunt 1) *Astrologia judiciaria* seu ars *apotelesmatica*, quam qui professi sunt, communiter *mathematici*, nonnunquam *genethliaci* vocabantur. *Can* 6. §. 3. *Causs. XXVI. quæst. II. Can.* 1. *ibid. quæst. III.* Ecclesia rem istam, tanquam *idololatriam*, et *blasphemiam* damnavit. Concil. *Toletan. I. reg. fid.* contra *Priscill:* S. Leo. *epist.* 91. *cap.* 11. *ad Turib* 2) *Augurium*, quo *haruspicium*, *aruspicina*, *chiromantia*, *physiognomia*, *notomantia* (*Can.* 8. *Causs. XXVI. quæst. II* et *necromantia* pertinet. Posteriorem dicunt esse artem evocandi vel resuscitandi Deos manes, qui ad interrogata respondeant, aut in umbris et imaginibus occulta revelent. *Cap.* 2. *de sortileg.* Has superstiones Ecclesia exclusione a communione plectendas censuit; *Can.* 9. *Causs. XXVI. quæst. V. cum certum sit ex idololatria hujusmodi opprobria pullulare. Can* 9 § 1. *Causs. XXVI. quæst II.* 3) *Divinatio per sortes* seu *sortilegium*, cum actus quidam ponitur, ut ex eventu illius fortuito et casuali futura cognoscantur; *Can.* 1 *Causs. XXVI. quæst. III* et *IV.* ex *antiqui* (Jud. *VII.* 18. *I. Reg. XIV.* 38. *seq.*) et *novi* fæderis (Act. Apost. *I.* 26.) sortibus, aut ex speciali lege, vel Dei inspiratione adhibitis prognatum, ast superstitiose deinceps ad quoscunque futuros eventus prænoscendos adplicatum, quos ausus

ausus SS Patres *nil aliud, quam divinationes et maleficia esse decreverunt. Can. 7. Causs. XXVI. quæst. V. cap. 1. de sortileg.* Huc spectant *sortes Sanctorum* seu *sacræ* in eo repositæ, ut ex arrepto sacrorum bibliorum loco, qui primus oculis subjicitur, futura divinentur, quibus insignem diu religionem Semichristiani adhibuerunt, excommunicationis licet pœna ab hoc ethnicæ superstitionis exemplo prohibiti. *Can. un. Causs. XXVI. quæst. I. can. 6. ibid. quæst. V.*

f) *Can. 14. §. 1 Causs. XXVII quæst. III.* Qui se ei dederant *venefici*, et *malefici* vocabantur. *Novell. CXV. cap. 3. §. 4. cap. 4 §. 2.* Huc præter alia ægri animi phantasmata referuntur 1) *Philtra*, et *pharmaca L. 4 de malef.* 2) falsitates *tempestariorum Can. 16. Causs. XXVI. quæst. VII.* 3) *Maleficia*, queis conjuges in usu matrimonii impediantur, et impotentia afficiantur. *Can. 4. Causs XXXIII. quæst. I* His ineptiis crimen idololatriæ, homicidii, et falsi Ecclesia objecit. Concil *Laudun. can 6 Trullan. can. 61 Can 16. Causs XXVI. quæst. VII. Can. 5. ibid. quæst. V.*

g) Cujus classis sunt 1) stultæ artes *thesauros effodiendi*, et *investigandi L. un. cod. de thesaur.* 2) *Carmina* et *characteres magici*, atque *exorcismi:* 3) *Phylacteria* seu *servatoria:* 4) *ligaturæ*, et *amuleta. Can. 6. §. 1. can. 7. Causs. XXVI. quæst. II.* His ludibriis, ut speciem haberent pietatis, nomina Christi, Angelorum, verba sacræ scripturæ addere solebant. S. Augustin. *tract. VII in Joan.* Ecclesia in eos, qui incantatores observaverint, aut phylacteriis usi fuerint, anathema pronuntiavit. *Can. 15 ibid. quæst. VII. can. 4. ibid. quæst. V. can. 1. ibid.*

Sed ais: ipsam Ecclesiam exorcismis, amuletis, reliquiis, signis, et imaginibus non carere, quibus ad sanationem tam hominum-

quam jumentorum, aut frugum conservationem uti videatur. Habet utique, sed *non invocationibus angelicis facit aliquid, nec incantationibus, nec reliqua prava curiositate, sed munde, et pure, et manifeste orationes dirigens ad Dominum, qui omnia facit, et nomen Domini nostri Jesu Christi invocans, virtutes secundum utilitatem hominum sed non ad seductionem perficit* S. Irenæus *lib. II. cap.* 57 Eos, qui aliter utuntur sacris remediis, a mente Ecclesiæ alienos esse constat. Vid. S. Chrysostom. *serm. XLIII in Math.*

h) Sceleris hujus ut plurimum rei erant hæresiarchæ, ut novis opinionibus suis fidem conciliarent, magi quoque omnes gentilium, ut sensuum ludificatione homines deciperent. II. Tim. *III.* 8 Exod. *VII.* 11. His adtentatis lex ecclesiastica excommunicationis censuram irrogavit, *Causs XXVI. quæst. V.* Non minori autem sacrilegio se polluunt, qui hujusmodi impostoribus credunt, et ita divinæ Majestatis potentiam creaturis temerarie adtribuunt. *Can.* 5. *ibid.*

i) Cujus exempla quotidiana recensent S. Augustinus *ap. Gratian can.* 6. *ibid. quæst. II. can.* 17 *ibid. quæst. VII.* et S. Chrysostomus *homil XXI. ad popul. antiochen. Sed omnis hæc observatio paganismi est. Can* 13. *Causs. XXVI. quæst VII.* et qui talibus persuasionibus se dederunt, juxta effatum Apostoli *infirmi adhuc in fide sunt*, et vix ulla religione utuntur. Galat. IV. add. *Can.* 14. 16. 17. *Causs. et quæst. cit.*

Leges *antiquas Germanorum* contra hæc magiæ genera recensuit Riegger cit. loc. §. 406. Juris *nostri* Regii decreta legi possunt in cit Cod. Pruss. *P. II tit. XX. Sect. VI. rubr.* Mißbrauch der Religion zu Gaukeleyen. ibid, *sect.*

sect. XV. rubr. II. B. 3 Goldmacher, und Wahrsager.

4) Sacrilegium: *k*)

a) sumtum in sensu *stricto* denotat *furtum rei sacræ*; *l*)

b) in sensu *latiore*, *quamcunque religionis et sacrorum violationem*; *m*)

c) in sensu *latissimo*, omnia illa *facta*, quibus *personæ*, *res*, et *loca consecratione* vel *benedictione* adfecta, et generatim *speciali sanctione* adversus injurias hominum munita violantur. *n*)

d) *Pœna* sacrilegii pro modo admissi sceleris multiplex et *varia* est. *o*)

k) Ab eo, qui *sacra legit*, seu auffert, et furatur sic dictum.

l) Ejusmodi scilicet rei, quæ *immediate* ad cultum Dei destinata est Conf. *præced. cap. II.* §. *I. not. e*). Ergo hoc crimen committitur, si aufertur res sacra ex loco, etiam *non sacro*, et multo magis ex loco *sacro*, eoque *publico*, vel *privato*. *Can. Apost.* 71 72. *Can.* 21. *Causs. XVII. quæst. IV.* Furti istius *impietas* in relatione ad cultum Dei externum, qui sine adparatu rerum plurium decenter peragi nequit, maxime conspicitur.

m) Ita acceptum *generis* rationem habet, et omnia adversus Deum crimina, præcipue vero 1) injurias Sacerdotibus in ecclesia rem divinam facientibus, vel ipsi cultui vel loco illatas, 2) Sacrorum turbationes, 3) Sacramentorum profanationes, 4) indiscretum sacræ potestatis con-

temtum, et abusum, aliaque tanquam species suas comprehendit. Vid. Riegger §. 437,

n) Qui jam ex hoc capite *Sacrilegi* dicuntur: vid. apud Eundem §. 438. *seq.*

o) Vid. *can.* 21. 22. 24. 28. *Causs.* XVII. *quæst.* IV. item *cap.* 2. *de rapt.* Conf. cit. Cod Pruss; cit. loc. *Sect* VI. *rubr.* Störung des öffentlichen Gottesdienstes; item *Sect.* XIV *rubr.* I. Diebstahl mit erschwerenden Umständen.

5) Simonia: *p*)

a) *dividitur* in plures species. *q*)

b) *requisita* ad eam constituendam sunt *res spiritualis* vel *ei adnexa*; *r*) *pretium* seu *munus*: *s*) *pactum*; *t*)

c) *malitia* ejus *gravis*: *u*) *pœnæ* variæ: *v*) in pluribus simoniæ casibus *ipso facto*, in aliis *accedente* judicis *sententia* incurrendæ; *x*)

d) *dispensatio* prioribus undecim seculis vix ulla, *y*) nunc circa simoniam *juris humani*, et *utriusque* ejusdem juris *pœnas* non nisi ex gravissimis caussis concedenda. *z*)

p) Vitium heu! frequentissimum, a Simone *Mago* ita dictum, qui potestatem dona Spiritus S. conferendi ab Apostolis emere volebat (Act. apost. *VIII.* 14. *seqq.*) *ut ex venditione signorum, quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur.* Can. 8. Causs. I. *quæst* III. Denotat ergo omnem *actum, quo quis sibi spirituale pro temporali, aut vicissim comparare nititur*; vel etiam: *quo spiritualia pro spiritualibus contra grave Ecclesiæ præceptum dantur, aut accipiuntur.*

q) Ac quidem 1) in simoniam *juris divini*, et *humani*; *illa* priore definitionis (*præced. not. p*) membro: *hæc* vero altero describi solet. *Istius* exempla vid. apud Riegger § *366.* et in Concilii *Trident. Sess. V. cap. 1. XXIII cap. 18. XXV. cap. 7 de reform. illius* vero occurrent infra. 2) *Prior* distribuitur iterum in *mentalem* seu *inchoatam*; cum datur vel accipitur aliquod temporale, intentione efficaci animo retenta, recipiendi, vel reddendi spirituale: et *externam* seu *completam*, quæ scilicet in pactum transiit. 3) *Hujus* demum tres species faciunt, *conventionalem* si traditio ex *neutra* adhuc parte secuta est; *realem*, ubi traditio *utrinque* facta: *mixtam*, si ex *una* tantum parte traditio accessit. Præter has species datur adhuc 4) alia, quam *confidentialem* vocant, et quæ committitur, dum quis alteri procurat beneficium eo pacto expresso vel tacito, ut idem vel aliud beneficium procuranti vel tertio resignetur, aut pensio solvatur. Riegger § 357.

r) Vid. *def. præced. not. p.*) Sed operæ pretium est, singula pluribus verbis proponere. Requiritur 1) *res spiritualis*, quo generatim ea pertinent, quæ aliquo modo sunt *supernaturalia* vel ad Dei cultum, et animarum salutem *immediate* ordinata e. g. *Sacramenta jurisdictio sacra, verbi divini prædicatio, professio religiosa* etc. vel 2) *spirituali adnexa*, quo *beneficia ecclesiastica* res quæcunque *consecratione* vel *benedictione adfectæ*, *officia* ad rerum ecclesiæ temporalium *administrationem*, *defensionem*, vel *custodiam* instituta, et plura alia referuntur. Quare *ratione spiritualium rerum* simoniacæ pravitatis rei sunt 1) qui Sacramentorum administrationem emunt, vendunt. *Cap. 15. Causs. I, quæst. III. can. 99. seq. Caus. I. quæst. I. cap 9. 14. de simon.* 2) qui sacros ordines pro pecuniis dant et accipiunt. *Can.*

 apost.

apost. 28. Concil *Trident. Sess. XXI. cap. 1. de reform.* 3) qui *prædicatione verbi divini* lucrum quærunt Math. *X. 8. I.* Petr. *V.* 2. 4) qui pro *benedictione* quacunque, (*cap. 9. 29. 43 de simon.*) pro consecratione ecclesiarum, et altarium, (*Can. 106. Causs. I. quæst. I. can. 15. Causs. I. quæst. III. cap. 19. de præscript.*) pro sepultura ecclesiastica (*cap. 41 de simon.*) turpem mercedem requirunt. 5) qui quoscunque actus ordinis (*cap. 9. 21. ibid.*) et jurisdictionis spiritualis (*Can. 124. Causs. I. quæst. I. cap. 21. de simon. Trident. Sess. XXIV. cap. 5 de reform. matrim. Sess. XXV. cap. 18. de reform.*) venales exponunt: 6) non solum, qui ista pro pretio administrant, sed et, qui licentiam dispensandi et administrandi nummis sibi comparant, vel aliis concedunt. *Can. 105. Causs. I. quæst. I. Trident. Sess. V. cap. 2. de reform.* 7) qui potestate ecclesiastica præditi ejus exercitium vicariis pro certa mercede elocant, vel censum annuum pro concessione illius sibi reservant. *Cap. 12. ne prælat. vices suas sub ann. cens. conced.* 8) qui pro ingressu relionis sive ad *novitiatum* sive ad *professionem* aliquid dant, aut accipiunt, (*Can. 3. Causs. I. quæst. II. cap. 8. 19. 25. de simon.*) aut sub quocunque demum, etiam *paupertatis*, titulo a Candidatis exigunt et sibi stipulantur. *Cap. 40. de Simon. Cap. 1 de instit. cap. un. §. 4 de stat. regular. in 6.* Concil. *Trident. Sess. XXV. cap. 3. de Regular.* Argumenta contraria, quibus has simoniæ species excusare volunt, vid. apud Riegger *§. 347. seq.* item *§. 364. Schol.* Porro ratione *rerum* spiritualibus *adnexarum* simoniæ rei fiunt 1) qui parochiarum et ecclesiarum regimen majorem censum annuum licitantibus offerunt: *cap. 3 ne prælat vic. suas sub ann. cens.* 2) Episcopi, qui monasteriis olim possessionem ecclesiarum et redituum beneficialium, a laicis oblatam, ea lege concesserunt, ut vicario deinceps quocunque mortuo

mortuo certa pecuniæ quantitas ipsis persolvatur, *cap.* 41. *de simon.* qui abusus *Redemtio altarium* olim dicebatur, et in *can.* 4 *Causs I quæst. III.* proscriptus est; add. *cap.* 1 *de usur.* 3) qui pretium rerum consecratione vel benedictione adfectarum (ipsas enim quoad materiam emi vendique posse, dubio caret. *L.* 21. *eod. de sacros: Eccles Authent.* Præterea *ibid*) intuitu consecrationis aut benedictionis augent 4) qui promittunt, aut dant pecuniam electoribus, ut hunc vel illum eligant. *cap* 27. *de simon.* 5) qui ut eligeretur, cum electoribus collocutus, eosque deprecatus cum illis jurans pactus est. *cap.* 26 *de elect.* 6) qui confirmationem electionis ad removendum injustum licet obicem pretio adquirunt: *cap.* 33. *de simon.* 7) qui ad beneficium obtinendum promittunt se beneficii jura remissuros iis, quorum ope egent, ut illud obtineant. *cap.* 31. *de præscript.* 8) qui per munera amicitiam et favorem aut ipsius Patroni, vel Collatoris, aut ejus, qui apud alterutrum multum pollet, aucupantur, ut inde beneficium reportent. *Can.* 3. *Causs. I quæst. V.* 9) qui præbendæ suæ cedunt, et juri renuntiant, ut ex hoc certam pecuniæ summam consequantur. *cap.* 5. *de rer. permutat.* 10) Patroni, qui a præsentatis novos vel majores census stipulantur, vel patronis offerunt. *cap.* 15 *de cens cap* 6. *de pact.* Multique alii: vid. Riegger § 353. *seqq.* Ajunt quidem beneficiorum nundinatores, se non *ministerium* ecclesiasticum, sed *jus percipiendi proventus* temporales pretio æstimare; nec se rem temporalem tanquam *pretium*, sed duntaxat per modum *motivi*, ut sibi conferatur beneficium, dare. Verum hi adtendant ad illud Paschalis Papæ: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Can.* 7. *Causs I quæst. III* Et quid interest, num per modum *pretii* aut *motivi* aliquid

quid detur, si utroque modo non *merito* sed *pretio* beneficium conceditur? Conf. proposit. ab Innocentio XI. damnat. *Thes. XIV. XLVI.*

s) Quod non in sola pecunia, sed in re qualibet pretio haberi solita consistit, et antiquissima divisione jam a S. Hieronymo *Can. 6. Causs. VIII. quæst. I.* et distincte magis ab Urbano II. *Can. 8. Causs. I. quæst. III.* in *munus a manu*, ab *obsequio*, et a *lingua* distribuitur. *Munus a manu* est pecunia in sensu *juridico* accepta *can. 6 ibid.* Nec quantitas ejus modica crimen simoniæ extinguit, *cap. 28. de sim.* nisi personæ dantis et accipientis qualitas et donationis tempus mitiorem interpretationem suggerant *Cap. 18. eod. Munus ab obsequio* est servitus indebite impensa. Hinc simoniam committit, qui obsequium quodcunque gratis exhibet collatori vel patrono, ea conditione vel expressa vel tacita, ut sibi data occasione de beneficio provideat. *Munus a lingua* est favor, qui succedit in locum pretii. Qua de caussa simoniaci dicuntur, qui ad preces, laudes alterius eo animo beneficia conferunt, sive ut ejus gratiam seu favorem ad propriam utilitatem obtineant, sive ne recusantes illius gratiam perdant. Conf. Riegger § 369. *seqq.*

t) Seu quævis *conventio*, cujuscunque nominis, utrinque obligationem inducens. Neque refert, sive conventio illa sit *expressa*, sive *tacita*; sive *vera*, sive *ficta*; (Vid. Riegger §. 372. *Schol.*) et ficta enim eadem passim consectaria habet, quæ veram comitari videmus; hinc jure, ut ista, modo *dantem*, modo *accipientem* simoniacum facit. Idem §. 373.

u) Nam 1) *spiritualia* vix majore ignominia, quæ utique in illorum auctorem Deum redundat, obrui possunt, quam si rebus profanis et pecunia parabilibus æquiparantur. *Can. 9. Causs. I.*

quæst

quæst. III. cap. 5. 6. §. 13. de maj. et obed. Quis denuo veneretur, quod venditur? aut quis non vile putet, quod emitur? S. Gregorius *Lib. VII. epist. 114* 2) Voluit divina bonitas, ut æque inopi ac potenti in promtu essent remedia omnia salutem suam operandi, et vel ideo Apostolis inculcavit: *gratis accepistis, gratis dabitis* Math. *X 8* Quanta ergo est illorum immanitas, qui religionem *quæstui habent.* I. ad Timoth *VI 5.* et plus offerentibus, indignis sæpius, divina mysteria dispensant, atque ita aliunde miseris rerum divinarum usum pretiosum faciunt? *Can. 100 101. Causs. I. quæst I.* Hæc de simonia, quæ *ratione rerum spiritualium* committitur, (vid *præced not. r.*) inprimis valent. Quod si ad longe frequentiorem simoniæ speciem, quæ ratione *rerum spiritualibus adnexarum*, ac præcipue in *beneficiorum collatione (ibidem)* intervenire potest, respiciamus, quis non videt, quanta præterea inde malorum copia pullulet? Inde contingit 1) ut *qui sacros ordines adpetunt, non vitam corrigere, non mores componere studeant, sed divitias, quibus honor sacer emitur, satagant congregare.* S. Gregorius *Lib VII. Indict. II. epist. 115.* 2) ut divitiarum congregandarum studio toti quanti immersi clerici, nihil jam christianæ prolis gratuitam instructionem, nihil pauperum miserias levandi media, nihil scientias sacratiores, nihil fidelium suorum in virtute christiana profectum: plurimum vero agrorum cultum, accidentia stolæ, potentioribus placendi artes, redituum ecclesiasticorum augmentum curent. *Hæc vero perversitas, ubi in Ecclesia invaluit, omnis prope ecclesiastica disciplina collapsa est.* Concil. *Bituric. Tit. XLI. can. I.* Quare nemo jam mirabitur, cur inter *crimina graviora* simonia reputetur. *Cap. 16 §. 1. de purg. can.*, et *pestis sui magnitudine alios morbos vincere cap. 6 de simon.* imo cetera crimina *ad*

ejus comparationem quasi pro nihilo reputari, *Can.* 27. *Causs. I. quæst. VII cap.* 32. §. 1. *de simon.* dicantur: cur *detestabile scelus simoniacæ pravitatis tam divinarum legum, quam sacrorum canonum auctoritas abhorreat, atque damnet cap.* 8. *de simon. Extravag. comm:* cur in ipso ortu suo zelo apostolicæ ultionis percussa et damnata est, Act. Apost. *VIII* 20. cur demum *piaculare Can.* 5. *Causs. I. quæst. I. execrabile flagitium can* 7. *ibid. lepra spiritualis can.* 14. *ibid. capitale crimen. cap.* 11 *ibid. hæresis* et *thesaurus criminum can.* 16. *ibid.* aliisque probrosis nominibus ad gravitatem delicti significandam passim compelletur.

w) Nempe 1) qui *simoniace ordinatur*, tam ab ordinibus aliis suscipiendis, quam a susceptorum exercitio: *ordinans* autem a collatione ordinum quorumcunque, et omnium Pontificalium executione suspenditur. *Cap.* 37 45. *de simon. cap.* 2. *ibid. Extravag. comm.* 2) *Provisio* ad beneficia ecclesiastica et dignitates, simoniace facta, est ipso jure nulla, consequenter omnes fructus percepti, ante omnem judicis sententiam restituendi sunt. *Extravag.* 2. *cit.* porro inducit inhabilitatem ad idem beneficium de novo obtinendum. *cap.* 12. 59. *de elect. cap.* 27 *de simon.* Huc pertinet e cit. Cod. Pruss *P. II. tit. XI. sect. VI.* lex: Wer rechtlich überführt wird, daß er sich durch Bestechungen, oder andre unerlaubte Wege, in ein geistliches Amt einzuschleichen gesucht habe, wird eines solchen Amtes auf immer unfähig. 3) *Simoniace professus* in arctius monasterium detrudendus est: *cap.* 19. 25 *de Simon.* Prælatus vero regularis de simonia condemnatus deponendus. *Cap.* 30 *ibid.* His pœnis omnis simonia *completa* seu *externa* (*præced not. q.*) etiam mere *conventionalis* subjicitur. Pehem. §. 1296. *Schol.* Mitius de simonia *mentali* statuendum est. Idem §. 1287.

x) Pœnæ circa *ordines*, *beneficiorum collationes*, et *ingressum religionis* a canonibus statutæ, et ordinariæ incurruntur *ipso facto*: in reliquis simoniæ casibus sententiam judicis accedere debere docent. Riegger §. 377.

y) Quod eo magis adhuc de simonia *juris divini*, (*præced. not. g*) in qua nemo hominum dispensare potest, dicendum est.

z) Nempe non nisi ex *gravissima necessitate*, vel *utilitate* Urbanus II. in Synod. *Roman. de an.* 1099. *ap. Gratian. can.* 1. *Causs.* I. *quæst. V. can.* 2. 3. *ibid.* At a quo petenda est hæc dispensatio? responsio vid. apud Riegger §. 383. *Schol.* conf. vero Pehem §. 1297. Schol.

III. Delictorum, quibus proximus læditur, notatu digniores species sunt

1) Homicidium: *a*) ad hoc referuntur

a) *Parricidium*, *b*) *Infanticidium*; *c*)
b) *Procuratio abortus*; *d*)
c) *Expositio infantum*; *e*)
d) *Torneamenta* *f*)
e) *Duellum.* *g*)

a) Seu *factum legibus interdictum*, *quo homini vita adimitur.* Aliud est *dolosum*, *culposum* aliud; vid. Riegger § 442. *seqq.*. Quodcunque sit, nempe sive dolo sive culpa admissum, legibus naturalibus, quinto Decalogi præcepto, saluti Ecclesiæ, ac Civitatis repugnat. Rectissime ergo in illud non solum ecclesiasticis, sed etiam quam maxime civilibus pœnis animadvertitur. *Ecclesiasticarum* mentio facta est *cap. præced. I. n. III. 5.* *Civiles* vero ex jure nostro pro diversitate circumstantiarum decernendæ vid. in cit. Cod.

Cod. *P. II. tit. XX Sect. XI. rubr.* Todschlag Mord. *et seqq.*

b). *Species homicidii, quod in ascendentes vel descendentes committitur.* Ex jure *canonico* variis pœnitentiis mulctatur *can. 19. Dist. de pœnit. can. 15. Causs. XXIII. quæst. II.* ex jure nostro *civili* latius patet, ac severioribus etiam pœnis plectitur. cit Cod. *cit. loc. rubr.* Verwandten= und Aelternmord.

c) Seu *cædes liberorum, etiam ex damnato coitu, recens natorum.* Jure *canonico* mater infanticida, omnibus modis inducenda, ut perpetuæ pœnitentiæ caussa monasterium intret, absolute tamen cogenda non est. *Can. 1. 2. de his, qui fil. occid.* Jus *civile antiquum* pœnam parricidii infanticidio indixit. *L. 9. pr. de Leg. Pomp.* Constantinus M. *in Leg. un. de his, qui parent. vel liber. occider.* Quid vero *recentius* nostrum statuat, vid. cit Cod. *cit loc. rubr.* Kinder= Mord. Parentibus, apud quos infantes adhuc tenelli in suo lecto collocati reperiuntur mortui, pœnitentia trium annorum imponenda est, quorum unum in pane et aqua peragant. *Can. 2. Causs. II. quæst. V. cap 3. de his, qui fil. occid. cap. 7. de pœnit.* Conf. cit. Cod. *cit. loc. rubr.* Vorbeugungsmittel. 9) Gegen Säuglinge.

d) Hæc, si fœtus *animatus* sit, irregularitate, inhabilitate ad officia et beneficia, ipsaque excommunicatione punitur; *clericus* vero dignitate exui, et seculari Judici tradi jubetur. Si vero fœtus sit, ut ajunt, *nondum formatus*, sola excommunicatio, eaque Pontifici reservata locum habet. Sixtus V. *Const. 87.* Effrœnatam Gregorius XIV. *Const. 8.* Sedes apostolica. Posterius valet quoque de procuratione *sterilitatis.* Conf. cit. Cod. *cit. loc. rubr.* Abtreibung der Leibesfrucht.

e) Aequi-

e) Aequiparatur homicidio, (*præced. not. a*) si cum vitæ infantis periculo conjungitur. *Tam enim nefarium est exponere, quam necare.* S. Lactantius *Lib. VI. inst. divin. CXX. n. 24* Conf. cit. Cod. *cit. loc. rubr.* Kindermord.

f) Concilia et Pontifices dementiam hanc sub pœna privationis sepulturæ ecclesiasticæ, *cap. 12 de Torneam.* prohibuerunt. Quod ipsum Pius V. ad *Taurorum agitationes*, *Dæmonum* illa, *et non hominum spectacula a pietate et charitate christiana aliena* extendit.

g) *Duellum pugnam inter duos ex condicto et armis susceptam* denotat. Erat olim aliud *judiciale*, quod auctoritate judicis actor alia probatione destitutus offerebat, et oblatum reus suscipere cogebatur. §. *præced. I. n. V. 3 not. d.*) Riegger § 454. Nunc solum *extrajudiciale* superest, quod jam in *publicum*, et *privatum* dividunt. Utrumque quam alienum sit ab omni jure et recta ratione, quam indignum hominibus non est cur nunc demonstretur. Vid Ant. Michael. Zeplichal Inst. Jur. nat. et gent. *§. 227 seqq.* Pœnæ sunt infamia, denegatio asyli, respectu occisi privatio sepulturæ ecclesiasticæ, omnium concurrentium excommunicatio; *clericus* insuper ab officio suspendendus, beneficio privandus, et deponendus est. Concil. *Trident. Sess. XXV. cap. 19 de reform.* Benedictus XIV. *in Constit.* Detestabilem. *de an. 1752* Conf. cit. Cod *cit. loc. sect. X. rubr.* Von Duellen überhaupt. *seqq.*

2) Crimen Falsi, seu stellionatus: *h*) huic adjunguntur

a) *injuria*; *i*)

b) *calumnia*. *k*)

h) *Stellionatus* seu *dolosa veritatis immutatio alteri damnosa* tribus generalioribus modis committitur; 1) *sermone* per mendacium: quod, quamvis nunquam mentiri liceat, (vid. *Can. 8. 14. 15. 16. 17. Causs. XXII. quæst. II.*) censuris tamen ecclesiasticis non adeo severe adficiebatur. *Can. 1. 4. 18. ibid.* 2) *scripto* e. g. falsatione litterarum, documentorum; cui crimini severiores pœnæ dictantur *can. 3. Dist. 19. cap. 2. 7. de Rescript. cap 4. §. 1. ibid.* item cit. Cod. *cit. loc. sect. XV. rubr. B.* Verfälschungen 1) Urkunden. 3) *facto* per eos, qui pondera, aut publice probatas vini, frumenti, aut cujuslibet rei mensuras corrumpunt. *cap. 2. de emt. et vend.* qui sigilla et insignia aliorum usurpant et corrumpunt, *cap. 3. de crim. fals.* qui monetas vel quoad formam, materiam, aut pondus adulterant. His excommunicatio Papæ reservata indicitur. *cap. un. ibid. Extravag. Joann. XXII.* Conf. cit. Cod. *cit. loc. rubr. C.* — 4) Mißbrauch fremden Namens und Wappens. *D.* — Betrug des Publici. 1) Verfälschung von Waaren, Maaß, und Gewicht.

i) Seu *læsio dolosa existimationis bonæ alterius.* Est vel *verbalis* vel *realis*: dein *simplex* vel *atrox* potestque tam *facto* quam *omissione* eorum, quæ fieri oporteret, committi *cap. 15. de excess. prælat.* Cum bona fama pari passu cum vita ambulare dicatur, diligentissime provident leges, ut homines non solum ab homicidiis, sed et ab injuriis tutos præstent. Dispositiones juris *canonici* vid. ap. Riegger *§. 461. seq. civilis* vero cit. Cod. *cit. loc. Sect. X.*

k) Eaque *vera*, si quis innocenti dolo malo falsa crimina intendit: aut *præsumta*, si quis defecerit in delati criminis probatione. *Pœnæ ecclesiasticæ* contra calumniatores vid. apud Riegger §. 146.

264. *civlies* vero cit. Cod: *cit. loc. rubr. C* .... Falsche Anschuldigung und Anklage.

3) Furtum: *l*) huc pertinent

a) *Rapina*, seu ablatio per vim personæ illatam; *m*)
b) *Peculatus*; *n*)
c) *Plagium*; *o*)
d) *Abigeatus*; *p*)
e) *Incendium*. *q*)

l) *Furtum ablatio rei alienæ est invito prudenter Domino. Pæna* ejus jure *canonico* infamia est. *Can.* 17. *Causs. VI. quæst. I.* et per sequelam irregularitas. *Clericus* de furto magno convictus deponi jubetur ab ordine et officio. *Can. 12 Dist. 81.* et si corrigi nequeat, etiam excommunicari. *Cap. 10. de jud.* Conf. cit Cod. *cit. loc. sect. XIV.*

m) *Raptores* de rapinis viventes (*cap. 1. de rapt.*) quive in specie fideles christianos justa de caussa navigantes, aut naufragos (*cap 3. ibid.*.) aut loca sacra visitantes (*can. 23. Causs. XXXIV. quæst. III*) rebus suis spoliant, ab Episcopo loci, in quo delinquunt, excommunicandi sunt, (*can. 4. causs. VI. quæst. III.*) et si renuant satisfacere, sepultura ecelesiastica privandi: *Clerici* hoc delictum committentes, officio, beneficioque exuendi. *Cap. 2. de rapt.* Conf. cit. Cod. *ibid. rubr. II.* — Raub.

n) Qui, si in res ecclesiæ grassetur, in *sacrilegium* abit; de quo supra actum. *Can. 3. Causs. XXIII. quæst IV.*

o) Seu *dolosa hominis liberi vel servi alieni asportatio aut suppressio*; cujus si quis convictus fuerit, *morte moriatur*, (*cap. 1. de furt.*) non quod Ecclesia hanc pœnam statuat, sed quod a judice secu-

secülari infligendam esse judicet. Conf. cit. Cod. *ibid. sect. XIII. rubr.* Menschenraub.

p) Quem quantitas a furto discernit; *nam qui unum suem surripuerit, ut fur coercebitur, qui gregem, ut abigeus. Can. 19. Dist. I. de pœnit.*

q) Hodie *dolosus incendiarius* ab Episcopo excommunicandus est, a solo Papa absolvendus, si damno prius resarcito juret, se non ulterius ignem suppositurum. *cap. 19 de sent. excom.* Si mortuus fuerit impœnitens, ecclesiastica sepultura carebit. *Cap. 5. de raptor.* Conf. cit. Cod. *ibid. sect XVII. rubr.* Vorsätzliche Brandstiftung.

4) Usura: seu *lucrum ultra sortem* solo *mutui* titulo acceptum, *r*) huic

a) ipsum Jus *naturæ* contradicit, quod dati et accepti æqualitatem exigit,

b) et lex *divina positiva* refragatur. *s*)

c) Inde mirum non est, graves in eam dictatas fuisse pænas; *t*)

d) a quibus tamen *contractus fænebres* eximuntur, *u*)

e) si quidem per eos lex *charitatis* non negligatur. *v*)

r) Alia aliis *usuræ definitio* præplacet; ajunt nempe: *usuram rem esse, quam creditor a debitore pro usu sortis et quantitatis* non quidem ex *mutuo*, quod gratuitum esse debet, sed ex *contractu oneroso*, qui mutuo adjicitur, et *fænus* vocatur, *exigit*. Inde concludunt 1) quod, sicut ejusmodi contractus nec officiis erga alios *perfectis*, nec *imperfectis* repugnat, ita quoque omnes usuræ indistinctim prohiberi haud possint; 2) et si quando

quando Patres, Pontifices, Concilia omnes usuras indiscriminatim damnare videantur, id de usuris solummodo *immoderatis* ac *illegitimis* intelligi, et explicari debeat. Nemo non videt, concedi ejusmodi conclusiones ut genuinas posse, quin nostræ ab his diversæ, et ex diversa usuræ definitione promanantes quidpiam de logica sua veritate amittant.

s) Exod *XXII.* 25. Deuter. *XXIII.* 19. 20. Levit. *XXV.* 35. Ezech. *XVIII.* 5. Luc. *VI.* 35.

t) Quæ in Decretal. Gregor. et in 6. *tit. de usur* legantur.

u) Quibus nempe sibi creditor ob *lucrum cessans*, *damnum emergens*, et *periculum sortis amittendæ* pro *concesso* pecuniæ *usu* moderatum pretium a debitore stipulatur. Ratio eadem est, quam adversarii *præced. not r. conclus.* 1.) produxerunt.

w) Lex nempe ea, quæ pauperibus gratuito mutuum dare jubet, et ne ab aliis fœnus aut *illegitimum*, aut *modo inhumano* exigatur, prohibet. *Fœnus* vero *illegitimum*, illud nobis est: quod *mensuram* legibus *præscriptam* excedit. Mensura hæc non ubique locorum, nec pro omnibus creditorum classibus eadem est. Vid. Pehem *§. 1311.* Quantam Legislatores nostri præscripserint: quasve in ejus transgressores pœnas decreverint, in cit. Cod. *P. I. tit. XI. sect. VII. rubr.* Wucher videri potest.

IV. Quartam classem delictorum constituunt

1) Crimina carnis; inter quæ occurrit

a) *fornicatio*: x)

b) *stuprum:* y)
c) *concubinatus:* z)
d) *adulterium:* a)
e) *incestus;* b)
f) *sacrilegium;* c)
g) *sodomia.* d)

x) In jure *canonico* denotat fornicatio *concubitum naturalem soluti cum soluta meretrice:* (Gratian. *post can* 2. *Causs. XXXVI. quæst. I*) cujus nempe *publice venalis est turpitudo. Can.* 16. *Dist* 34. Hujus flagitii reis septem annorum pœnitentia olim injuncta fuit. S. Basilius *Can.* 59.

y) Id *generatim* sumtum ex ejusdem Gratiani sententia *concubitus est inter solutum et solutam extraneam virginem, vel viduam honeste viventem:* in *specie* vero *eundem concubitum mediis libertatem fœminæ adimentibus obtentum denotat.* Jus *canonicum* de priore legem mosaicam (Exod. *XXII.* 16.) repetens constituit: *ut stuprator, quam stupravit, uxorem habeat,* (*cap.* 2. *de adult.*) aut si per extremam contumaciam ad hoc adigi nequeat, in subsidium corporaliter castigatus, excommunicatusque in monasterium detrudatur. *Cap.* 2. *ibid.* At aliter jam jus nostrum civile de stupratoribus *in genere*, et *in specie* si dolus aut violentia accesserit disposuit cit. Cod. *P. II. tit. XX. sect. XII. rubr.* Verführung, Nothzucht.

z) *Sæpius iteratus concubitus inter personas matrimonio ecclesiastico sibi non conjunctas, cohabitantes Concubinatus* dicitur; estque alius *temporarius* seu *dividuus*, alius *perpetuus* seu *individuus. Hic* obtinet, si 1) pars utraque soluta sit; 2) fides mutua, at clandes-

tine sibi data, accedat, quod nec alteri se jungere; nec a procreatione sobolis velint abhorrere; 3) propositum tandem usque ad mortem in ea vitæ conjunctione manendi adveniat: *ille* vero, ubi unum alterumve horum trium defuerit. Concubinatus *perpetuus* a matrimonio *clandestino* haud differt: iisdem ergo, quibus matrimonia clandestina, sanctionibus et pœnis ecclesiasticis subjacet. Concil. *Trident. Sess. XXIV cap.* 1. *de reform. matrim.* Concubinatus vero *temporarius*, quia nec clandestini matrimonii naturam imitatur, sed potius aut fornicationem, (*præced. not. x.*) aut stuprum, (*præced. not. y.*) aut adulterium iteratum involvit, et divortiorum licentiæ summopere favet, quæ omnia legi divinæ aperte adversantur, dignus excommunicationis censura judicatus est. Concil. *Trident. Sess. XXV. cap.* 14. *de reform.*

a) Quod nobis est *concubitus inter personas non conjuges, quarum saltim alterultra est matrimonio juncta:* unde adulterii *simplicis* et *duplicati* divisio descendit. Hujus criminis reis antiqui canones quindecim aut triginta annorum pœnitentiam imponunt S. Basilius *can.* 7. 58. *Clericis* vero *adulteris* nec in fine tribuendam esse communionem statuunt. Concil. *Illiberit. can.* 18. Pro *foro externo* adulteri laici excommunicantur. *cap.* 6 *de adult.* Clerici depositione ab officio, incarceratione, infamia plectuntur, et inter laicos agere pœnitentiam coguntur. *Can.* 10. *seq. Dist.* 81. Conf. cit. Cod. *ibid. rubr.* Ehebruch.

b) *Incestus est concubitus inter personas ob consanguinitatem vel affinitatem veram et carnalem jungi vetitas.* Gratian. *post can.* 2. *Causs. XXXVI. quæst.* I. Incestuosi excommunicantur,

cantur, (*can 9. Causs. XXXV. quæst. III.*) *Clerici* insuper deponuntur, et decem annorum pœnitentiæ subjiciuntur, (*can 5. Dist. 82.*) qua peracta ab Episcopo restitui possunt. *Cap 4. de Judic.* Conf. cit. Cod. *cit. loc. rubr.* Blutschande.

c) Conf. *præced n. II. 4.* Hoc loco denotat *concubitum religiosi professi, vel Clerici in sacris constituti cum fæmina soluta: aut monialis per castitatis votum Deo consecratæ cum masculo soluto.* Jure *canonico* sacrilegus corruptor, si *laicus* est, excommunicatur: si *clericus*, deponitur, et ad pœnitentiam perpetuo agendam ad monasterium condemnatur: ipsa vero monialis corrupta in arctius monasterium pariter detruditur. *Can. 6. 28. Causs. XXVII. quæst. I.*

d) Quæ est *omnis libidinis extinctio, alia via, quam qua natura monstrat, facta.* Has libidinum furias exercentibus nec in fine dandam communionem *Veteres* decreverunt. Concil. *Illiberit. can. 71* *Hodierni* canones laicos his spurcitiis inquinatos excommunicationi subdunt, et a cœtu fidelium penitus excludunt: *cap. 4. de excess. prælat.* Clericos autem degradatos, curiæ seculari puniendos tradi jubent. Leo X. *Const.* Supernæ. Pius V. *Const.* Cum primum. et *Const:* Horrendum. Conf. cit. Cod. ibid. rubr. Unnatürliche Sünden.

2) Quæ ad carnis delicta viam et occasionem præbent. Sunt vero

a) *Lenocinium: e)*
b) *Raptus. f)*

e) Per

e) Per istud intelligimus *omne factum, quo quis prostitutionem alienæ pudicitiæ adjuvat.* Leges ecclesiasticæ fere in nullum crimen severius animadvertebant, quam in hoc, et omnium judicio recte quidem. Igitur *qui, quæve fidelis lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus vel potius suum, placuit, eos nec in fine accipere communionem.* Concil. *Illiberit. can.* 12. 70. Dignæ lectu sunt leges *civiles* adversus *lenones* in Cod. cit. *ibid. rubr.* Gemeine Hurerey promulgatæ.

f) *Raptus*, de quo *præced. cap. II. §. IV. n. III.* 4. inter impedimenta matrimonii mentio facta est, differt a *raptu inter crimina carnis numerando* in eo, quod ille animo *matrimonium ineundi:* hic vero intentione *libidinem explendi* fiat. Sileo pœnas ab antiquis canonibus in raptores statutas, (de quibus Riegger §. 529.) quod pleræque in desuetudinem abierint. Novissime quid Concilium *Tridentinum* et jura nostra civilia circa raptores decreverint, ex illius *Sess. XXIV. cap. 6. de reform. matrim.* et horum cit. Cod. *cit. loc. Sect. XIII. rubr.* Entführung videri potest.

V. Claudunt criminum agmen delicta Clericis propria, quo inter cetera

a) *sollicitatio ad turpia in sacramentali confessione; g)*

b) *apostasia tum irregularitatis tum obedientiæ; h)*

c) *furtiva ordinum susceptio: i)*

d) *promotio per saltum: k)*

e) *exercitium ordinum tum suspensorum, tum non susceptornm* pertinent. *l)*

 g) Hac

g) Hac execrabile magis crimen concipi vix potest. Quare ut illud Pontifices impediant, caverunt: ut omnes locorum Ordinarii, aliique, ad quos pertinet, contra omnes et singulos sacerdotes quomodolibet exemtos, qui inhonesta et turpia in actu sacramentalis confessionis, sive antea, sive post immediate, sive inter se, sive cum aliis perpetranda sollicitant, tanquam de hæresi valde suspectos procedant, et præcedente degradatione, secularis judicis arbitrio puniendos, curiæ tradant; utque eodem modo procedatur contra confessarios, qui suos pœnitentes, quos noverint ab aliis fuisse sollicitatos de obligatione gravissima denuntiandi sollicitantes admonere negligunt. Gregorius XV. *Const.* Universi. Benedictus XIV. *Constit:* Sacramentum pœnitentiæ. *de an. 1741. etc:* Exstat præterea S. Inquisit. de an. 1745. 5. Aug. decretum saltem semel in anno Religiosis prælegendum, vi cujus sollicitantes Confessarii etiam inhabilitatem perpetuam ad Sacrificii Missæ celebrationem incurrunt. Dicatur hic loci de *absolutione complicis* sane inter delicta Clericis propria computanda.

h) Illa est *transitus Clerici post susceptos SS. Ordines a statu clericali ad laicalem:* hæc vero *derelictio ordinis religiosi post professionem absque animo redeundi.* Illam adtentantes censuris hodie ecclesiasticis ad habitum resumendum compellendi, (*cap. 3. de apostas.*) et si post trinam monitionem Episcopi se non emendaverint, privilegio fori et canonis privandi sunt. *Can 23 Causs. XXVII. quæst. IV. cap. 25 de sent. excomm:* Hujus autem reus monachus religionis suæ desertor amittit omnia privilegia ordinis sui, (Concil. *Trident Sess. XXV. cap. 19. de regular.*) incurrit suspensionem

nem ordinum in religione susceptorum, et sub gravi custodia coerceri permittitur, *cap. 5. de apost.* Postremo tamen effectui jura civilia nostra et consvetudines non favent.

i) Quinam illius rei sint, quasve pœnas incurrant, vid. apud Riegger §. 535. Conf. *præced. cap. I. §. I. n. III. 2.)*

k) Vid. Idem §. 536.

l) Idem §. 537. 538. Benedictus XIV. *Constit.* Sacerdos. Conf. *præced. cap. I. cit. loc. n. 3).*

NON

NON NULLA ERRATA CORRIGENDA.

P. I. pag.	lin.		lege.
14	34	*cap.*	*can.*
16	13	*cap.*	*can.*
16	14	*dist. 28.*	*dist. 38.*
16	14	*C. 21.*	*C. 2. de ref.*
16	15	ead. *Sess. C. 8. 16.*	*deleatur.*
16	15	*C. 1.*	*C. 1. 2. de ref.*
21	9	*litterariæ*	*litteraria*
61	7	refractorios	refractarios.
72	20	Imperatorum	Imperatorem.
75	24	*consistorialis*	consistoriales.
82	28	Papalam	Papalem.
91	25	*XXXXVII*	*CXXXVII.*
92	18	abusum	abusuum.
99	7	*not. z.*	*not. b.*
183	1	&	ut.
192	6	Domino	Dominio.
192	27	*Dominum*	*Dominium.*
196	24	*vetori*	*veteri.*



